This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

N
ii
347
stack RBS
2/0
c 34
A 1

MUSEUM ASHMOLEANUM

EX LIBRIS

FRANCISCI JOANNIS HAVERFIELD

SEXT. AURELIUS VICTOR
cum notis
VARIORUM
curante
JOANNE ARNTZENIO Icto.

Amstelodami ---- } Apud { JANSSONIO-WAESBERGIOS } MDCCXXXIII.
Trajecti Batavorum } { JACOBUM A POOLSUM ---- }

SEXTI AURELII VICTORIS
HISTORIA ROMANA,

CUM

NOTIS INTEGRIS

DOMINICI MACHANEI, ELIAE VINETI, ANDREAE SCHOTTI, JANI GRUTERI,

NEC NON EXCERPTIS

FRID. SYLBURGII & ANNAE FABRI Filiae.

CURANTE

JOANNE ARNTZENIO, JCto.



AMSTELODAMI
TRAJECTI BATAV. } Apud { JANSSONIO-WAESBERGIOS.
JACOBUM à POOLSUM.

M. DCC. XXXIII.

N
ii
347
stack RBS
2/0 [illegible]
c 34
A 1

MUSEUM ASHMOLEANUM

EX LIBRIS

FRANCISCI JOANNIS HAVERFIELD

Jamque insueta sibi miratus moenia dixit,
Surgeret e placidis cum Tiberinus aquis:
Ergo Agamemnonias cernam trepidare catervas,
Cum novus hic Priamus, cum novus Hector erit.
Non Ithacus, non hoc saevus sperarat Achilles,
Tutior est alio Troja renata loco.
Surgite felices, mea gloria, surgite muri,
Haec, sic fata jubent, Urbs caput Orbis erit.
Illa Numae faciet Pietas, Virtusque Quirini,
Et qui de falso nomine Brutus erit.
Huic castas mentes, libertatemque tueri
Cura erit, & Populi jura sacrata sui.
Instituet primus rigidos frenare Tyrannos,
Ut gravibus damnis facta superba luant.
Mox liber populus certos habitura triumphos
Fortior invicto milite bella gèret.
Romanas acies atque aurea signa videbis,
Qua Phoebus roseos flectere gaudet equos.

Hic

Hic dum Scipiadae ſternent Carthaginis arces,
Sub juga demittet bellua victa caput.
Illic quadrijugo procedet laurea curru,
Quam ſequitur lacerus Gallia capta comis.
Nec minus ingenium cultaeque potentia linguae
Plurima, laudatos tollet ad aſtra Senes.
Verus erat Vates, nam tantis ſerior aetas
Lumina promiſſis nobiliora dedit.
Ne numerem fruſtra varios longo ordine teſtes,
Sit ſatis, e multis hoc breve dicat opus;
Cum Sextus, *laeto ſibi qui tenet omine nomen,*
Exigua dites pelle coartet opes.
Moenia Dardaniae quae ſint ab origine Romae
Narrat, & invictos, Martia corda, Duces.
Extorris patria, peregrinis hoſpes in oris,
Adtulit ad noſtros naufraga membra lares.
Ut vidi tabulas, paupertatemque fatentes,
Et male dirupta vulnera tecta toga.

**

Quo

DEDICATIO.

Quo potui ſtudio (ſed nullis uſus ab annis,
Et tenue ingenium ferre negabat opem)
Attamen ut potui, neque enim tam dura gerebam
Pectora, tentavi triſte levare malum.
Si non ſuſtulerim corruptis ulcera venis,
Hac ſaltem poterit veſte redire novus.
Porticus excipiat maleſanum, ut turba Medentum
Praeteriens liquidis vulnera purget aquis.
Jamque, VIRI ILLUSTRES, *tendit ſua brachia, poſſit*
Ut patrocinio tutior eſſe pio.
Accipite, & grati VOBIS *munuſcula teſtes*
Sint, precor, haec animi qualiacunque mei.
Vilia dona fero, ſed nec tus Numina ſpernunt,
Quod manus in calidos mittit egena focos.
Maxima nec niveis ſemper cadit hoſtia vittis,
Ponitur ad meritos pauper & agna Deos.
VESTER *amor nimium cogunt & amica voluntas,*
Ut ponam ad VESTROS *dona puſilla pedes.*

Pro

DEDICATIO.

Pro multis meritis, breviori carmine, templi
Scribantur medio Nomina VESTRA *tholo.*
Quamvis ambiguis graviora negotia curis,
Et teneant queruli jura regenda fori;
Auris ubi ſtrepitu vel mens defeſſa quieſcent,
Non duros aditus mollior hora dabit.
Lumina quae fuerint Pacis, quae Fulmina Belli
Dicet, & inſignes Marte vel Arte Viros.
Occurret Patriae per VOS *florentis Imago,*
Jactata ut variis haec ſit & illa malis.
Non ego (nam quis erit modus?) hic antiqua revolvo,
Quae poterunt atavis faſtibus acta legi.
Ardua cum noſter rapidis Dux moenia flammis,
Inque fugam Batavas ureret actus opes.
Scilicet injecta Civilis *perdere taeda*
Maluit, ut majus ſurgeret inde decus.
Non referam domitos proſtrato milite faſtus
Hiſpanûm, & ſervo libera colla jugo.

DEDICATIO.

Tempora, ſic fas eſt, melius propiora loquantur,
Perpetuum feſto condecoranda die.
Si Latii veterès timuerunt ſigna Parentes,
Gallorum repulit fortior arma Nepos.
Cum valido noſtros quateret gravis ariete muros
Hoſtis & infeſtas ſpargeret ore minas.
En dulci raptis pro libertate ſub armis
Belligera ſtabat promta Juventa manu.
Haud alia patriam texit virtute Camillus,
Et qui ſervata nomen ab arce tulit.
Galle retro propera, nam quae conatibus obſtent,
Cernes in placidis corda ſagata togis.
Haec VESTRO, PROCERES, *debetur gloria ſeclo,*
Aetas quo priſcos poſtera vincit avos.
Cum ſint conſiliis ſervata haec moenia VESTRIS,
Cingat lauriferas Civica laeta comas.
Creſcite felices, pariter pietate vel armis
Egregii, Clario praeſidiumque choro.

Tollat

DEDICATIO.

Tollat conſpicuum longis ſuper aſtra tropaeis
Auſpiciis VESTRIS *Urbs Neomaga caput.*
Quaſque domus paries vel ſic bene coctilis ornat,
Civibus (at ſero!) linquite marmoreas.

Noviomagi
v. Non. Januarii
MDCCXXXIII.

PRAEFATIO
CANDIDO ET BENEVOLO
LECTORI.

PRodit tandem poſt longas moras, inſperatosque caſus Epitome & Hiſtoriae Romanae quaſi continuata ſeries, quae a Jano & Saturno usque ad Conſtantii decimum Conſulatum perducitur, niſi auctiorem ſequamur alterum, qui in ipſius Theodoſii mortem proceſſit. Inter omnes ingeniorum fœtus, quos ad Nos priſca tranſmiſit Antiquitas, vix ullum alium reperire licebit, de cujus vero Auctore aut incertior res ſit, aut diverſae magis Eruditorum ſententiae, ut in tanta varietate conſtituto vix decernere liceat, cui potiſſimum calculum adjicias. Si enim bene animo peregeris, quid quisque pro ſua ſententia loquatur, quaeve argumenta ad opinionem ſtabiliendam adferat, huc tandem evades, ut incertior ſaepe ſis, quam antea. Quare & horum librorum, & aliarum etiam Epitomarum conditionem eandem eſſe exiſtimo, ut verum ſcriptoris nomen ignoretur. Quod merito iis eveniſſe facile mecum adfirmabunt cordatiores, cum ipſi in cauſſa fuerint, quod tam multae praeclarorum ingeniorum reliquiae primum neglectae, mox perditae, perierint. Quid aliud Nobis *Liviam* eripuit, niſi obſcura male ſeduli Epitomatoris diligentia? Et haec eſt quotidiana Doctorum querela. Quid de *Juſtino*, quid de aliorum perpero ſtudio ſentiat Doctiſſimus *Reineſius* videri me-

meretur in Epiſtola ad Rupertum XLVI. Sed ne iniqui habeamur Cenſores, non incommodum viſum fuit, per ſaturam ſententiam noſtram exponere, quid de hiſce libellis videatur.

Primo loco ſeſe offert ORIGO GENTIS ROMANAE, utiliſſimus ſane libellus, qui multa continet, unde antiqua Italia, & obſcura ante conditam Urbem tempora egregie illuſtrari poſſint. Rerum namque geſtarum ſeriem perduxit ordine continuo ad Romulum. Hujus libelli Auctorem plerique faciunt *Aſconium Pedianum*, inter quos praecipui ſunt *Joannes Metellus* (eum huic Editioni adjectum videbis) & *Auſonius Popma*, cujus judicium reperies apud *Fabricium* in Bibliotheca. Hic adductus in eam opinionem, *primum, quia de Virgilio & Livio ut aequalibus & familiaribus ſuis loquitur, quod ipſum & facit Pedianus in commentariis ad Orationes Ciceronis.* De *Livio* quod ſcribit reſpicit locum Cap. XXIII. §. 7. ex quo & alii confecerunt, aequales hos Scriptores fuiſſe, ſed nemo illic ullam familiaritatis notam reperit. Et verba illa: *noſtrae memoriae proclamans Hiſtoria Liviana*, ſi ſana ſunt, alium ſane ſenſum admittunt, uti tum diximus, neque facile crediderim aevo Auguſtaeo ita quemquam voluiſſe loqui. Haud firmius eſt argumentum, quod de *Virgilio* addit Vir Eruditus, non enim eum vel aequalem vel familiarem appellavit unquam. Deceptus ſine dubio eſt, quod illum [1] alibi *Noſtrum Maronem* dixerit, quomodo appellare conſuevimus tales, quorum adſiduo uſu & amicitia delectamur. ſed alio ſenſu *Noſter* iis locis erit, quem frequenter lectitare ſolebat, & in cujus ſcripta commentationem ediderat, ut ipſe teſtatur cap. I. De adſidua hujus Poëtae lectione facile confici poterit, ſi perpetuam ejus imitationem intueamur, adeo omnia Virgilii ſibi in ſuccum & ſanguinem vertit, exempla in notis [2] abunde dedimus, & qui modo leviter verſatus erit in Principe Poëta facillime id ipſe deprehendet. Neque unquam, ſi bene memini, *Aſconius ſuum Virgilium* vocavit, vel alio modo ſibi familiarem fuiſſe oſtendit, ut dici non poſſit Auctor noſter idem feciſſe, quod in Commentariis fecerit *Aſconius*. Cum vero is *Livium Noſtrum* dicat, alia res eſt, ſi communem Patriam reſpicias. Addit deinde Popma: *Dicit ſe feciſſe*

1. Cap. III. §. 7. & cap. VI. §. 4.
2. Cap. III. §. 2. cap. VIII. §. 5. cap. IX. §. 1. &c.

ciſſe librum inſcriptum de Origine Patavina, at Pedianus fuit Patavinus. Sed qua demum lege cautum fuit, ut ſoli *Pediano* liceret de Origine Patavina ſcribere? Si illis argumentis pugnare permiſſum ſit, Romana Civitate noſtrum Auctorem poſſem donare, quia ſcripſit *de Origine Romana*, adecque fuit Romanus, & longe alius, ac *Pedianus*, qui Patavinus erat. An *Livius*, *Florus*, reliqui ideo Romani erunt, quia res Romanas litteris conſignarunt? nimis infirma talia ſunt, & eadem facilitate, qua adfirmantur, corruunt. Tertio loco adfertur ſtyli convenientia; ſed non multo majus diſcrimen inter eos eſt, quam *Ciceronem* inter & *Appulejum*, aut quemvis alium poſterioris aevi Scriptorem, cum multa habeat vocabula, de quibus cogitare ne quidem potuiſſet *Pedianus*. Ut mittam, in eo non apparere *Maronianas* illas imitationes, quae in Noſtro ſingulis paginis occurrunt. Has aliasque ob cauſſas factum eſt, ut non multos adſeclas nacta ſit ea ſententia, quare *Schottus* ceterique deinceps hoc quodcunque eſt libelli *Aurelio Victori* vindicarunt, eorumque auctoritati creditum eſt. Verum ut mittam titulum, & reliqua, quae contra hanc opinionem movere in promtu eſſet, nemini ea ſententia perſuaderi poterit, qui Auctorem de Viris Illuſtribus & Caeſaribus cum hoc ſcripto conferre velit, ita toto coelo diverſitate ſtyli differunt. Praeterea utrumque non eſſe *Aurelii* opus vel ſatis patet ex primo capite Virorum Illuſtrium de Proca Rege, quod cum convenienter ſuae narrationi adnectere non poſſet, quisquis demum ſit, Originis Scriptor, integrum omiſit, quia illa, quae eo continentur, latius in ſuo commentario jam pertractaſſet. Haec res, ni omnia fallunt, indicio eſt, alium eſſe Auctorem Virorum Illuſtrium, qui more ſuo breviter caput primum abſolverat, alium eum, qui latius Romuli Remique originem repetiit, & deinde, ne repetita crambe offenderet, & praecedentia melius connecterentur, illud ipſum caput omiſit. Interim omnes Manuſcripti, ſi ab uno, quo uſus *Schottus*, diſceſſeris, a Proca Rege auſpicantur. Si dicere liceat, quid ſentiam, crediderim poſterioris quidem aevi, ſed tamen non ignobilem Grammaticum fuiſſe, qui cum junctos de Viris Illuſtribus & Caeſaribus Libellos cerneret, non paſſus eſt tantarum rerum ignorari origines, quare ex variis undique Auctoribus, & praecipue *Virgilio* collegit, quae ad tempora Romanam Rempublicam praecedentia

cedentia pertinere videbantur. Hinc est, quod contra Historicorum morem ipsa Auctorum, unde res petitae sunt, verba adponat, ut potiori jure inter Grammaticos quam Historicos locum tueatur. Hinc expositiones illae vocis (1) *primus*, *tutus*, &c. inde quod in *Virgilium* commentaria se scripsisse commemoret. Nec ab hoc judicio valde diversa est sententia *Barthii* (2). *Qui* (sic is de Auctore nostro) *si* Victor *est*, *si etiam* Aurelius Victor *est*, *minime tamen is putandus est*, *cujus gravi & afro plane sermone ad nos Caesares pervenerunt. Nihil enim simile illi cum Grammatico hoc collectore*, *qui quidem neminem potiorem Censorino scriptorem praeferre videatur.* Tutius itaque feciisse putandi sunt illi, qui dubitarunt ἀνώνυμον vocarent an ipsum *Aurelium Victorem* (3).

Neque certiora sunt, quae de Auctore VIRORUM ILLUSTRIUM a doctis hominibus adlata sunt. Dubitanter olim suam sententiam proposuerunt etiam illi, qui in Veterum scriptis dignoscendis habebantur versatissimi, quidam *Plinium* (4), quidam *Nepotem* (5), alii alium dixerunt. Atque ideo res adeo nova non est, ut eo nomine reprehendi debuerit *Hottomannus* (6), quod alio loco *Probum* de Viris Illustribus, alio *Auctorem* simpliciter nominasset. Quod enim *Probum* dixerit, si peccavit, certe non sine exemplo id fecit, nam ita & alii (7), illudque minime mirum videri debet, nam & eo nomine reliqua *Nepotis*, quae iniquitatem temporis effugerunt, vulgo circumferri solebant. *Nepotis* vel *Plinii* stilum ignorare oportet, qui talia hodie auderet credere. Argumentum, quod ex *Plinii* epistolis (8) profertur, mihi semper satis ridiculum fuit visum, nec ei refellendo inmorabor: Majorem verosimilitudinis speciem inesse crede-

(1) Vide O. G. Rom. cap. I.
(2) Ad *Statium* lib. XII. Theb. vers. 664.
(3) *Bartholdus* de Ara cap. XI. *Aurelius Victor*, *seu quisquis ille tandem fuerit*, *qui Romanae Gentis Originem brevi quidem*, *sed eleganti stylo*, *contexuit*. *Merula* ad *Ennium* lib. I. Ann. p. 77. *Valguarnera* Antiq. Panormitanae tom. XI. Thes. Sicil. p. 123. *Rycquius* de Capit. p. 15. &c
(4) *Lipsius* lib. III. de Magn. Rom. cap. X. p. 795. *Dion. Vossius* ad *Caesarem* lib. III. Bell. Civ. cap. XLVI. §. 5.
(5) *Vossius* Etymol. voce *Tribus*. *Jac. Nic. Loënsis* Miscell. lib. I. cap. XX. *Machaneus* ad Vir. Illustr. cap. XLVII. §. 7.
(6) A *Schotto* ad Vir. Illustr. cap. XXXIII.
(7) *Zamoscius* de Senatu Romano lib. I. cap. VIII.
(8) Lib. VI. Epist. XX.

* * *

crederes, si *Cornelium Nepotem* intueamur, eum namque libellum de Viris Illustribus reliquisse nemo dubitat. Obstat tamen gravissime, quod ex illo apud priscos Grammaticos proferantur talia, quae apud Nostrum vel frustra quaesiveris, vel contraria reperies. (1) Praeterea cum multis erroribus abundet hic Scriptor, quis eo crimine reum agere auderet *Nepotem*, Historicum in rebus exteris etiam diligentissimum, & in ea Reipublicae tempora incidentem, quibus Viros principes & versatissimos in Historia Patriae sibi haberet familiares, adeoque abeat tam enormis suspicio, quae cadere in eum Historicum non debebat. De erroribus passim in Annalibus suis videatur *Pighius*. Tandem verum se Auctorem invenisse existimavit Eruditissimus *Schottus*, qui sub *Aurelii Victoris* nomine in lucem emisit, ea inductus ratione, quod in *Pulmanni* exemplo hanc reperisset inscriptionem: *Aurelii Victoris Historiae abbreviatae ab Augusto Octaviano, id est, a fine Titi Livii usque ad Consulatum decimum Constantii Augusti & Juliani Caesaris tertium.* Ego, si quid video, exinde contrarium efficerem, omnino horum libellorum de Origine Gentis Romanae, & de Viris Illustribus Auctorem non esse *Aurelium Victorem*. Quomodo enim tum dicere potuisset, principium duci ab Augusto, cum certe a Jano vel Proca dicere debuisset. Porro si idem sit Scriptor de Viris Illustribus & Caesaribus, cur in eodem libello in tantulo spatio bis repetit vitam Augusti. Praeterea quid est tam dissimile, quam utriusque stilus. Ille satis tersus, facilis, non intricata utitur oratione, hic durus est & adfectatus & Afrorum obscuritate deformis. Ut mittam, interseri ab eo passim utilissima & cuivis Principi, & qui ad Rempublicam accessurus est, haud spernenda monita, propter quae vel magni est faciendus, qualia in Viris Illustribus non inveniuntur. Adde, rationem consilii utriusque longe esse diversam, cum prior admodum concise Illustrium vitas pertractet, alter satis ample Caesarum Historiam persequatur. Tandem omnes MSS. tituli *Plinium* Auctorem clamant, & ita septem, quibus usus sum, sine ulla haesitatione Codices, neque quemquam offendi, qui aliter se reperisse testatus fuit. Qui enim id adfirmarunt, nimis secure *Schottum* secuti sunt, qui non dicit in manu exaratis se nomen *Victoris* inveniisse, sed admodum dubie,

(1) *Gellius* lib. XI. cap. VIII. & lib. XVII. cap. XXI. *Servius* ad lib. I. Aen. vers. 372.

dubie, quinque se libris calamo exaratis usum esse, in quorum uno haec, quam supra adtuli, habebatur ἐπιγραφή. Illa male ita deinceps pro certo accepta sunt, quasi de quinque MSS. locutus fuisset Vir doctus. Malim igitur judicio *Barthii* subscribere, cujus verba quid vetat addere lib. LVI. Adversf. cap. XII. *Auctor de Viris Illustribus, Sexto Victori vulgo possessionem suam cedens, licet, ut ego existimo, non admodum volenti animo.* Non alienus essem, si quis ita sentiat, eum, qui in Epitomen contraxit Caesares, vel alium denique quemcunque, *Nepotem* praecipue mutilasse, & in breviores tabulas artasse, ita tamen, ut in plerisque ipsissima verba, quantum id fieri potuit (uti factum videmus in Caesaribus) retinuerit, cum non eandem servando ordini curam adhibuerit, ex aliis etiam interseruerit nonnulla, unde haud raro factum, ut turpissimi errores in serie Historiae fuerint commissi.

Succedit tertio loco Auctor de Caesaribus, quem esse verum *Sextum Aurelium Victorem* non invitus Viris Doctis (1) adsentior, neque eorum argumenta repetere vel conjecturis firmare brevitatis studium permittit.

Agmen horum libellorum claudunt *Excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris de Vita & Moribus Imperatorum &c.* Et de hoc libello nova intervenit disceptatio, cui ille foetus debeatur. *Victorem* an *Victorinum* parentem agnoscant, dubitant Eruditi. (2) Ego neutrum credo, quod mihi ex ipsis MSS. luce clarius adparere persuadeo. Omnes enim Codicum inscriptiones prae se ferunt: *Epitome Victor.*, *Victoris*, vel *Victorini.* Jam autem si ex *Victore* vel *Victorino* in angustiores tabulas contractae fuerint hae vitae, neque *Victor* neque *Victorinus* potest esse libelli illius Epitomator. Quam absurdum enim esset dicere? *Victor contractus ex Victore.* Nisi conjicias & ipsum Scriptorem & Breviarii Auctorem *Victores* fuisse dictos, quod arripiant, quibus talia placent; vel malis credere, hunc Scriptorem sese *Victorinum* dixisse quasi *parvum Victorem*, sed tunc aliter constituendus esset titulus hoc vel alio modo: *Victorinus ex Victore*

(1) Cum aliis *Lindenb.* ad *Ammianum* lib. XXI. cap. X. *Spanhem.* ad *Julianum.* Orat. I. p. 59. & 220. & quae notantur ad Caesar. cap. XIII. §. 6.

(2) *Schottus*, *Vossius*, alii. *Barthius* lib. XLVIII. Adversf. cap. VI. lib. LI. cap. IV. lib. LV. cap. VI. lib. LVI. cap. IX. lib. LXV. cap. VI.

ctore contractus. Non autem, uti in Manuſcriptis ſit: *Excerpta ex Sexto Aurelio Victorino.* Malim credere, quod *Victorinus* in nonnullis Codicibus occurrat, cauſſam dediſſe ſcripturae compendium, quod & hodie fieri ſolet, cum pro integro *Victoris* poneretur *Vict.* vel *Victor*: quomodo adhuc in Codice Guelfelbyt. occurrit, unde alii fecerunt *Victorini*, quod nomen in gente Aurelia notum ex Inſcriptionibus, quas paſſim apud *Gruterum* (1) reperies. Interim conferenti illud facile patebit, pleraque ex *Aurelio Victore*, de quo antea egimus, deſumta eſſe, ſed non ex eo ſolo conflatam fuiſſe hanc Epitomen ſtatim conſtitues, quod in hoc libello reperiantur talia, quae apud alterum fruſtra quaeſiveris. Quam multa de Coccejo Nerva Epitomator, quae leviſſima manu percurrit alter, immo vix attingit. Si Hadriani vitam conferas in utroque omnia erunt diverſa, immo diſſentiunt, cum Numae Hadrianum comparet *Victor Schotti*, contra Antoninum Epitome. (2) Legit etiam & uſus eſt *Suetonio* (3), *Spartiano* (4), *Eutropio.* (5) Quare in eam deſcendo ſententiam, verum hujus libelli Auctorem hodie ignorari, & accedo illis, qui ad tempora vel Theodoſii vel mox inſequentia referunt.

Hi libelli, cum diu in tenebris jacuiſſent, variis temporibus in lucem protracti ſunt, vel ſeparatim, vel quod poſtea factum eſt, conjunctim editi, quarum Editionum longam ſeriem hic non recenſeo, poſt diligentiſſimum Fabricium, qui in hoc ſtudiorum genere facile ſibi palmam vindicat, & videri poſſunt in indice, quem ex *Pitiſci* Editione praemiſimus. Nulla earum majorem laudem meruit, quam quae apud *Gaesbeeckios*, Lugduni & Amſtelodami prodiit Anno MDCLXX. repetita alioque ordine diſpoſita cura *Samuelis Pitiſci* Trajecti ad Rhenum MDCXCVI. qui etiam ſub Auſpiciis

(1) P. LXXXIV. n. 5. p. CCCLXXII. n. 9. p. DCCXXII. n. 1. p. DCCLXII. n. 8.

(2) *Salmaſius* videndus ad *Capitolinum* Antonino Pio in fine. Confer. in Caeſar. cap. XV. §. 4. cum Epitome cap. XV. §. 1. & in utroque libello cap. XXII. ubi alter *foede laniatum periſſe*, alter *conſenuiſſe* refert. Quamvis haec poſſent conciliari, ſi opus eſſet. Adde *Schottum* ad Caeſar. cap. XXXI.

(3) *Schottus* ad Epitomen cap. IX. §. 14.

(4) *Caſaubonus* ad *Spartianum* Hadr. cap. I. & XIV.

(5) *Schottus* ad Epit. cap. XXXV. §. 8.

(6) Vide *Voſſium*, & quae notantur ad Epitomen cap. ult. §. 8.

ſpiciis Sereniſſimi Delphini edita commentaria *Annae Tanaquilli Fabri* filiae adjecit; quamvis non peccaſſet, ſi ſibi retinuiſſet vulgares & nullius hodie momenti notas *Machanei* & pleraque belliſſimae Feminae, & pro iis, ſi non aliorum, certe integras *Schotti* notas repraeſentaſſet, qua in re quam frequenter peccatum ſit, cognoſcent illi, qui eas multis locis, praeſertim prioribus capitibus Virorum Illuſtrium, longe copioſiores & auctiores reperient, cum neglexerit ſuo loco inſerere ea, quae in addendis inſerſeri mandaverat Vir Doctus. Praeterea haud raro peſſimo exemplo, ubi Virî illius notas deſcripſerat ſexus tenerioris Decus, quo conſilio divinare nolim, rejectis atque relegatis prioribus notis, tantum poſteriora *Annae* excerpta Lectori obſtruſit. Si ita tractemus Virorum Eruditorum ante nos commentaria, primas brevi tempore partes illi tenebunt Interpretes, qui per vim direptis aliorum obſervationibus eas imprudentioribus, quibus ad elegantiores dapes aditus non patet, pro ſuis adponunt. Nos ea mutavimus, quod nemo melior vitio vertet. Si hoc modo gratiam a cultiſſima Femina inire voluiſſet *Pitiſcus*, eam alibi inſigniter corrumpere non debuiſſet, ubi *Schotti* obſervationibus illius notas ſubjungit, cum ſic facile cognoſci liceat, unde ea petita & furto ſurrepta, vel, ut mitiori verbo utar, deſcripta ſunt. Sed propria haec familiae eſt calamitas, cum nuperi Editores male de *Dacerio* meruerint, quod in *Feſto* eum *Scaligero* addiderint comitem. Hinc inde adjecimus nonnullas minores *Schotti* notas, quae in majori editione textui ſubjectae erant; quamvis ſaepe non maximi eſſent momenti, negligere tamen nolui illis in locis, ubi aliquid adderent, quod in majoribus non inveniretur. Eadem cura tractavimus *Sylburgium*, qui cum nihil fere contineat praeter excerpta ex *Schotto*, integer adſcribi non debuit. Ubi alia nobis narrat, vel a ducis ſui ſententia decedit, ea adpoſuimus. Hujus editio cum rarior eſſet, & fruſtra a me quaeſita diu, notarum deſcribendarum laborem ſane taedio pleniſſimum in ſe ſuſcepit, qui tum temporis ſtudiorum cauſſa Lugduni Batavorum (nam ibi ſervatur ea editio in Bibliotheca publica) agebat Vir Eruditiſſimus *David Franzius*, cum maxime Scholae Thilanae Moderator digniſſimus. Quo beneficio adfectus omni tempore & memor eſſe & gratus conabor. Haec ſunt, quae ex aliorum notis huic Editioni nova potiſſimum acceſſere, in reliquis obſecutus voluntati Typographorum,

qui, ne quidquam ex jure ſuo periret, nihil reſecari maluerunt, cum ſi res mei fuiſſet judicii magna parte *Machanei* & *Annae* caruiſſet hic liber, non enim tales Editiones *Farnabios Minellioſque* deſiderant, qui ad inferiora ſubſellia detrudi debent, neque haec tempora poſtulant, quibus clariori lumine fruimur, quod ſaepe magis obſcuratur quam illuſtratur inſicetis Grammaticorum expoſitionibus. Quid *Vinetus*, *Gruterus* ceterique praeſtiterint, facile judicabunt Lectores; monere tamen liceat, non ea cura videri perſcripta eorum commentaria, qua a talibus Viris exſpectari debebat, ita plerumque levi manu aliud agentes hos Scriptores tractarunt.

Nobis in recenſendo de Viris Illuſtribus Auctore, nam Origenes & Caeſarum Vitae unico debentur *Schotti* Codici, ad manus fuerunt Manuſcripti ſex, quorum primus codex fuit membranaceus, olim pars bibliothecae *Boendermakerianae*. Scriptus erat forma, quam quartam vocant, non quidem vetuſtus, tamen is, cui maximam potui habere fidem. Alter ſimiliter in membrana exaratus, qui in Academiae Franequeranae Bibliotheca reperitur. Hunc littera F. vel Fran. deſignare ſoleo, uti ſuperiorem B vel *Boend.* Utrumque adcuratiſſima, qua in conferendis Auctoribus uti ſolet, diligentia cum Editis olim compoſuit & pro eo, quo eſt in me, ſtudio communicavit, cui praeter hoc & multa alia lubentiſſime debeo Cel. *Car. Andr. Dukerus*, ſub cujus in ſtudiis ductu quod mihi creſcere licuerit, gratulor ſaepe & gaudeo. Hiſce ſubſidiis non contentus alia circumſpicere coepi, neque defuit meis votis Vir Magnus, & ad recreandas & reficiendas, in quibus facile principatum obtinet, litteras unice natus *Petrus Burmannus*, ſeculi noſtri decus, conceſſis duobus Leidenſis Bibliothecae Manuſcriptis. Utiliſſimam hac in parte operam mihi navavit Frater mei amantiſſimus, & qui tum, ut ſtudiis obſequeretur ſuis, Leidae morabatur *Otto Arntzenius*, qui omne conferendi onus in ſe ſuſcepit, & ſumma cura perfecit. Poſtea eorumdem Codicum diſcrepantes Lectiones ad me transmiſit Erudiſſimus Scholae Harlemenſis Moderator *Oudendorpius*, cui eo nomine multum debeo, paria relaturus, ſi ulla dabitur beneficii remunerandi copia. Hoſce Codices adpello *Voſſianum* ſeu Leid. primum & ſecundum. Longe etiam jucundiſſimum mihi accidit & acceptiſſimum, quod Vir humanissimus

maniſſimus & Clariſſimum Academiae Haunienſis lumen *Joannes Grammius*, Graecae Linguae Profeſſor, ad me deferri curaverit duas itidem collationes. De quibus codicibus rectiſſime me facturum credidi, ſi ipſius Viri optimi verba & judicium adpoſuerim. De primo itaque, cujus ipſe eſt poſſeſſor, ita refert: *Codex, unde hae variae excerptae, in charta craſſiore nitida manu ſcriptus eſt in forma quarta ſeculi XV. circa exitum aut paulo ante. ea certe ſcriptura, quali multa Pii II. & Alexandri VI. Pontificum temporibus exarata vidi. In eodem habentur* Suetonii *liber de Claris Grammaticis & Rhetoribus*, & Modeſtus *de Re Militari*. De altero ita ſcribit: *Variae lectiones ad Scriptorem de Viris Illuſtribus excerptae ex Cod. MS. Bibliothecae b. m.* Olai Borrichii *V. Cl. quam legavit Collegio Mediceo a ſe fundato, in Acad. Haunienſi Danorum*. In fine addebatur: Caji Plinii Secundi Oratoris eximii de Viris Illuſtribus clariſſimum opuſculum feliciter explicit. Patavii per me Fratrem Jacobum Marinum Siculum ſcriptum 1468. ultimo menſis Septembris indict. prima. Τελος.

Saccenſis Jacobus Siculus frater ac Heremita
Illuſtres Viros Plinio pinxit opus.
Trecentis luſtris (ſeptem minus) atque duobus
Annis Verbigenae lapſis: adeſto finis.

(*Haec clauſula Codicis, haud ſane inter meliores habendi, quod facile ex lectionibus ejus, maximam partem vitioſis ac ſperuendis, judicabitur.*) Ita Vir. Cl. Hos diſtinguo G. vel *Gramm.* & H. ſeu Haun. Pro ipſo hoc beneficio multas gratias ago, nec minores Cl. *Havercampo*, qui mihi illius Viri benevolentiam conciliavit, illudque meritum pro ſuo in litteras amore auxit transmittendo Editionem Agrippinenſem Anni MDVIII. & Argentinenſem MDX. Utraque antiquiorem ſed ſine anno communicavit Cl. *Cannegieterus*, qui eum, quem puerum optimis artibus erudiit, juvenem factum amicitia non indignum judicavit. De reliquis Editionibus quidquam monere nihil neceſſe eſt, cum ex indice cognoſci queant. Sed jam maximam partem de Caeſaribus abſolverant operae, cum Codicem chartaceum mihi inſpiciendum atque utendum commiſerit Vir & ingenio & eruditione, & vitae elegantia praeſignis *Jacobus Philippus*

d. Or-

d'Orvillius, qui liber, quamvis non multa contineat, quibus juvari hic Auctor poſſit, meriti tamen illud gratiam non minuit. Cum vero notis interſeri jam non poſſent variantes Lectiones in addendis de nonnullis iiſque praecipuis monuimus.

Epitomen *Victoris* meliorem reddere conati ſumus ope trium Codicum. Unius copiam nobis fecit, ſive potius variantium lectionum excerpta deſcripſit Cel. *Gottlieb Cortius*, quem cum inmatura mors nobis praeripuerit, grato tamen animo Viri bene de me & de omni humanitate meriti memoriam colo. Excerpta erant ex Manuſcripto *Gudiano*, qui nunc Guelfelbyti (& inde Guelf. adpello) ſervatur num. 82. Duos reliquos debemus Bibliothecæ Lugduno Batavae. Eoſque benevola ſummi *Burmanni* voluntate pari ſtudio cum editis contulit idem, quem dixi, Frater meus, quod & hîc publice profiteor libenter. Ad manus fuerunt Editio *Aldina* MDXVI. *Gryphianae* Lugd. MDXXXVIII. & MDLI. & aliae, ſed quibus non multum juvari potui, cum altera alteram tueatur.

In textu exprimendo *Schotti* Editionem dari curavimus, ſed non dubito fore pleroſque, qui conſilium meum culpent, quod multis in locis non ſecutus ſim eas, quas jam in contextum receperat Vir Doctus, conjecturas, veroſimiles licet & fidei hiſtoriae maxime convenientes. Haec enim multis ſedet ſententia, ſi quidquam in priſcis Scriptoribus occurrat, quod vel veritati repugnet, vel etiam elegantiae & puritati minus reſpondeat, urendum potius & ſecandum eſſe illum, quam quid relinqueretur, quod Lectorem morari vel acutioribus diſplicere poſſet. Hinc fit, ut tales ſive Hiſtorici ſeu Poëtae non ſuo, ſed Editoris, quem nacti ſunt, cujuſque judicio loquantur, cum ſuum cuique commentum placeat. Ea ſi procedat agendi ratio, felicia cum tempore ea exorientur ſecula, ut priſcos Scriptores & gentium ſacris addictos Chriſtiano ore loqui audiamus, ſi modo in hunc vel illum Chriſtianae religionis doctorem inciderit, qui egregie curabit, ne tam turpes maculae eos dehoneſtent Scriptores, qui teneris puerorum animis ad imitandum proponuntur. Quid hac re effecerint, vel potius efficere conati ſint ii, qui ſe de Societate Jeſu profitentur Pontifices, quotidianis conviciis queruntur cordatiores, & meliores promovendae religioni Antiſtites. Sed hoc loco mittamus querelas. Interim admiſimus vulgares capitum diſtinctiones, quas ipſe *Schottus* inſtituerat, quamvis ali-

aliquando non satis adcurate, ut patebit ex cap. XII. init. & XXVI. init. & illustrius exemplum est in fine sectionis XXXI. quae si non cum XXXII. conjungatur, truncatus est sensus & mutilus. Sed hoc modo maluit peccare Vir doctus, potius quam non distinctos suo quemque capite Imperatores lectori offerre. Melius me facturum credidi, si eodem, quo ante me factum erat, ordine procederem. Nunquam enim probavi aliorum consilium, qui pro lubitu tales distinctiones mutant, intempestiva diligentia efficientes, ut frustra saepe & non sine taedio cogamur quaerere, quae ab aliis ex antiqua divisione laudata reperimus. Neque neglexi, quamvis aliter visum fuerat *Pitisco*, quos suae Editioni adjecerat *Schottus*, *Nannium* de Claris Corneliis & *Sigonium* de Vita Scipionis. In Monumento Ancyrano, quod habetur pag. 458. hujus Editionis, nihil mutavi, neque id tum agebam, & omnium manibus teritur *Gronovii* Memoria Cossoniana, cui annexa est nova hujus monumenti Editio. Quem additum vides amplissimum in *Victorem* indicem summo studio & stupenda diligentia in mei gratiam contexuit Vir doctissimus nostrique amantissimus *Philippus Ludovicus Lotichius*, Scholae Noviomagensis Praeceptor optime meritus, qui ea adsiduitate studiis inservit, ut quotidie majora mereatur, & suo tempore proferat talia, quibus ornari nostrae litterae, & delectari possit eruditior Orbis. Si qua autem utilitas ex additis Numismatibus, Lector Benevole, ad Te perveniat, id omne optimis Typographis adscribas velim, qui eorum renovandorum susceperunt curam. Si de novo exsculpi debuissent, multo & elegantiores & meliores dari potuissent; sed nunc alia ineunda fuit ratio. Vale &, si quid meruerim, fave. In Orthographia nonnullis locis variari aegre tuli, sed non omnia videmus. Praesertim cum hic *Imperator*, illic *Inperator* scribant. Ultimum illud tum praeferebam, nunc mutata sententia aliter sentio. neque ingenue pudet confiteri, hominem me esse. Interim, si ita videbitur, in textu haec errata emendes velim.

P. 70. lin. 4. *solo*. p. 149. l. 4. *legem*. p. 166. l. 5. *magnifice*. p. 238. l. 1. *mentiebatur*. p. 250. l. 4. *liberalitatis*. p. 281. l. 1. *fudit & oppressit, & potuit capere, nisi adv.* p. 320. l. 4. in fine *re* deleatur. p. 333. l. 13. *pertractus*. p. 343. l. 3. *prospexit, nisi a*. p. 353. l. 4. *viginti*. p. 354. l. 6. *ad legendos*. p. 412. l. 2. *res adtolli*. p. 430. l. 4. *tenebatur*. p. 442. l. 4. *legionum*. p. 481. init. abundat *num se gerens ipsius domi*. p. 489. l. 1. a fine *iste tumens cru*. p. 512. l. 2. *Piceni*.

Et haec sequentia in notis vel addi vel emendari possent.

* * * *

Pag. 28. b. lin. 23. lege: *praestinguerentur.*

P. 47. b. lin. 14. post *erat* sequatur: sed haec ratio non maximi erit momenti, cum brevem vocalem longam reddere potuerit vel per caesuram, vel Graecorum more, cum sequens vox a duabus consonantibus incipiat.

P. 48. b. lin. 34. post *altero* adde: Quomodo apud *Justinum* lib. x. cap. II. §. 4. *Mox poenitentia ductus Solis eam sacerdotio praefecit.*

P. 67. a. l. 22. lege: *Schottus* in majore Editione, sed aliter est in illa *Plantini. Tergeminorum bello* legit codex *d'Orvil.* Ex *Schotto* etiam *Gaesb.* post vocem *finivit* &c.

P. 71. a. l. 15. Quibus accedit Auctoritas Codicis *d'Orvil.* Nec *fortunam experiretur* dicere potuit, cum, ea locutio tribuatur his, qui ipsi instructa acie hostibus se opponunt, non qui otiose eventum certaminis, quod committitur inter alios, intuentur. *Caesar* lib. II. Bell. Gall. cap. XVI. §. 3. *His utrisque persuaserant, ut eandem belli* fortunam experirentur: *Curtius* lib. V. cap. VIII. §. II. lib. VIII. cap. XII. §. 13. *Belli* fortunam, *quisquis arma ferret*, experiri *decreverat.* & cap. XIV. §. 41. Porro apud Nostrum hoc capite §. 10. nonnulla mutatione legebat Codex *d'Orvil: Metius Suffetius, cum se invidiosum apud Cives videret, erat enim is Albanorum Rex, & quod* &c.

P. 79. a. lin. 3. a fin. lege: *Corniculana.* Tamen *Ocriculana* vocatur a Scholiaste *Juvenalis* Sat. VIII. vers. 259. *Ancilla natus, Ocriculana captiva, Servius Tullius.* Sed & eum locum corruptum esse pro *Corniculana* mihi persuadeo. Nisi potius, quod nunc non refugio, dissensum ex ignoratione veteris historiae agnoscamus. Eadem opera emendabis *Porphyrium* ad *Horatium* lib. I. Sat. VI. vers. 9. *Tullum autem nominavit, quia serva captiva fornicularia fuit natus.* Ipse litterarum ductus & rei veritas *Corniculana* scribendum monent. *Fornicariam*, meretricem in latinitate sequiore novimus. Sed nemo tale quid de Matre Servii dixit, &, si admitteretur, menti *Porphyrii* adversatur.

P. 95. a. b. 28. Nonnulla loca hic me adtulisse video, quae etiam ab Erud. *Oudend.* producta sunt ad *Frontinum* lib. III. cap. VI. § 7. Sed eosdem legimus Scriptores, neque ulla hic in me plagii suspicio, licet eam non metuam, potest cadere. Illo enim tempore, cum is liber exiret, jam operas occupabat Epitome. Et res ipsa levioris momenti est.

P. 97. a. lin. 14. Scio me primo olim intuitu conjecisse: *cum equo in Tiberim defluit*, quod tamen ut male natum mox abdicavi eo nomine, quia peditem fuisse Coelitem ceteri reliquerint Historici, attamen dissensu Veterum aliqua coloris specie defendi ea Conjectura posset, si vera est sententia *Begeri*, qui transnatantem equoque insidentem in tabula exhibet ad *Florum* lib. I. cap. X. Eadem varietas observatur in Cloelia Virgine, quam alii nando, ceteri equo transiisse flumen testantur, de ea re Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. X. vers. 498. Sed de statua illa infirma satis sunt omnia, cum notum sit, antiquitatum ignaros sculptores quotidie falli, quod tam facile in historico cogitari nequit; atque utinam hoc de Auctore nostro semper adfirmare liceret. Praeterea & pictura illa ad aliam historiam referri potest, ut nihil tutum pronunciari queat. Similis in lectione discrepantia est apud *Appulejum* lib. VIII. init. *Natalibus praenobilis, equo clarus* &c. ubi codex MS. *qui clarus.*

P. 98. b. lin. 41. & *Begerum* ad *Florum* lib. I. cap. X.

P. 102. a. l. 14. post *muto*, adde: *d'Orvilii* Codex, *ex diverso pecora in conspectu eorum contulerunt*, quod & lectionem apud nos receptam pro parte confirmat. Ita in versione vulgata *Jobi* cap. XIII. §. 16. *Non veniet in conspectu ejus omnis Hypocrita.* Libro Sapientiae cap. XII. §. 12. *Quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum.* Apud *Suetonium* in excerptis *Vossianis* reperio vita Tiberii cap. IV. §. 5. *In conspectu Sexti Pompeji admissum.* & nuper Erud. *Oudend.* ad *Frontinum* lib. I. cap. X. §. 1. Contra Codex Manuscriptus apud *Orosium* lib. IV. cap. XIX. *In conspectum Civitatis incensae sunt.* Ubi *conspectu* maluerunt edere.

P. 106.

P. 106. b. l. 5. debentur *Eutropio* lib. 1. cap. XI. ex quo *collatis* pro *collectis* legendum eſt. Vide quae dicta ſunt cap. XVIII. §. 7. (ubi male etiam *collectis d'Orvil.*) & doctiſſimum *Marklandum* ad *Statium* lib. III. Silv. III. verſ. 134. Deſunt & haec verba in *d'Orvil.*

P. 111. a. lin. 10. lege: *die* mutarunt.

P. 115. a. l. 19. ſcribe: plagiariorum.

P. 118. a. l. 15. lege: *Voſſius* lib. II. de Anal. cap. IV. *Hirtius* Bell. Alex. cap. XXXIII. §. 2. *Majorique ex duabus filiis Cleopatrae, quae manſerat in fide praeſidiiſque ejus.* & *Temulius* ad *Frontinum* lib. IV. Strat. cap. III. §. 5. In Noſtro *d'Orvilianus* Codex ſervat *filiabus.*

P. 129. b. l. 30. poſt. §. 4. adde: & prae ceteris Celeb. *Burmannum* ad *Ovidium* lib. XIII. Met. verſ. 216. In exprimendo textu ſecutus ſum priſcos Editores, verum ſi integra jam res foret, non dubitarem reponere: *decenni hieme obſidione.* Codex *d'Orvilii: Vejos hieme obſidione domuit*, qui mox etiam: *Quod ex Albanis & equos & praedam.* corrupte.

P. 135. a. l. 8. poſt: ad *Veget.* l. l. adde: & ad *Frontinum* lib. III. Strat. cap. XIV. §. 1. *Excitatus* & hic retinet *d'Orvil.*

P. 140. a. l. 31. poſt 674. adde: quare in ſimili hiſtoria *mitratus boſtem* dixit *Florus* lib. II. cap. II. §. 15.

P. 141. a. lin. 7. poſt aurea: nec melius *d'Orvil. obſidionali ſive laurea.* De duabus Decii coronis agit & *Plinius* lib. XXII. Hiſt. Nat. cap. V.

P. 145. b. l. 28. pro *ſcripſimus* repone, ſcribendum judicavimus.

P. 158. a. l. 13. lege: confirmari. *Cadum ligneum* quoque eſt in *d'Orvil.*

Ibid. l. 38. repone: *cum praepoſitione.*

P. 169. b. l. 44. poſt 461. adde: Quare non inmerito Noſtri fidem ſuſpectam habet *Thomas Dempſterus* in Etruria Regali lib. IV. cap. XVI.

P. 171. a. l. 25. lege: *furtim.*

P. 179. b. l. 10. ſcribe: *lectionem.*

P. 191. a. l. 10. poſt monuerat, adde: ſi *Marſum* voluiſſet Auctor, credo ſcripſiſſet *Statilium patria Marſum*, aut certe ſimpliciter *Statilium Marſum*, ne ſcilicet tanquam praenomen adhiberet, neque enim hoc fieri ſolet ab Hiſtoricis, ut nomen Gentis vel Patriae ipſi nomini proprio praemittant. Longe alia ratio eſt nominum Romanorum, alia reliquorum Italorum, neque ad illorum normam talia refingenda ſunt. Vide *Voſſium* ad *Vellejum* lib. II. cap. XVI. & *Gronovium* Patrem ad *Livium* lib. I. cap. XLIX.

P. 193. b. lin. 32. Neſcio qua incuria hanc *Schotti* notam mutilaverit Typographus, in integrum reſtitues hoc modo: de *Corculo* vide *Pomponium* ICtum l. 2. de Origine Juris. *Ciceronem* in Bruto & Tuſculanis Diſputationibus. Confundit autem hiſtoriam rurſum Scipionum Patris & Filii, ut & *Valer. Maxim.* lib. VII. cap. V. quod admonendum ne quis erraret duximus. Quoniam vero erravit in ſtemmate Scipionum Scriptor hic Noſter, &, ut dixi, *Valerius Maximus* ac *Liviana* Epitome, idcirco apponam integre e Doctiſſimi *Sigonii* Emendat. lib. II. &c.

P. 196. a. lin. 19. In eadem hiſtoria voculam *poſſe* addit *Valerius Maximus* lib. IV. cap. I. ex. 7. *Marcellus, qui primus & Hannibalem vinci, & Syracuſas capi poſſe docuit.* Unde alicui in mentem veniret. Illud verbi & hoc loco periiſſe & illius locutionis alia exempla protulit Cl. *Withof* Specim. *Gunther.* p. 77. Sed nil tentandum invitis codicibus. *Florus* lib. II. cap. XVII. §. 8. *Qui ferociſſimas & ad id temporis liberas gentes ſervire docuerunt.*

P. 205. a. fine adde: Et hoc probatur Doct. *Oudendorpio* ad *Frontinum* lib. I. cap. I. §. 9. Ego *electis* apud ſolum *Schottum* reperi.

P. 209. a. l. 44. ſcribe *Buenderm.* pro Fran. Cum pleriſque aliis facit *d'Orvilianus* Codex: *ſponſor adſtitit.* Et hanc Scripturam ex Leidenſibus protulit quoque in nupera ejus Auctoris Editione Erud. *Oudend* ad *Frontinum* lib. II. cap. XI. §. 5. Ex uſu eo vocis *vetare*, quem diximus, exponendus eſt divus *Paullus* Epiſt. I. ad Timoth. cap. IV. §. 3. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων. *Vetantium nubere, abſtinere cibis.* Ubi in ultimo membro vox contrariae notionis ſubintelligenda eſt.

P. 223. b. lin. 7. poſt *Vellejum* lib. I.

cap. IX. §. 3. adde: Quare hoc loco legendum esse *ex primo Consulatu* conjicit *Oudend.* ad *Frontinum.* lib. III. cap. XVII. §. 2.

P. 226. b. l. 30. pro *occaparant* scribe *occuparant.*

P. 228. a. l. 18. in fine adde: *Scipione Africani filia* etiam *d'Orvil.* quod non vitupero. Ita enim neque erravit Auctor, uti putabat *Simsonius* in Chron. ad Ann. M. DCVIII. neque necesse est, ut expositione ei succurratur, quod tentavit, neque infeliciter, Clarissimus illius Chronologi Editor *Wesselingius.*

Ibid. b. 28. post *perierunt* interfere: Et sic certe putabatur, cum haec scriberem. Postea hae notae salutari fato in manus pervenerunt summi *Burmanni*, cui non satis est eruditum orbem suis tantum sibi devinxisse meritis, neque etiam alius erat dignior, qui & has Nobilissimi *Heinsii* reliquias ab internecione miserrima servaret.

P. 235. b. lin. 18. Mox *intulit* ex Leidensi altero recipit Erud. *Oudend.* ad *Frontinum*, lib. IV. Strateg. cap. III. §. 15. cui accedit manus secunda in *Grammiano* Codice, ceteri antiquum servant, ut & *d'Orvil.* supra cap. XXXIII. *Jurabitque se nihil amplius de praeda hostili in domum suam convertisse. Consulit* habet prima manus in Fran. quod in margine mutatum in *contulit.*

P. 236. b. l. 11. lege, miratur, & eandem in *Keuchenio* negligentiam, si mitiori voce uti liceat, carpit Erud. *Oudend.* ad l. l.

P. 238. b. lin. 32. Immo & Codex Cl. *d'Orvilii*, qui *Callidia.* Nec tantum peccatum est, quod consonantem geminaverit. Hoc enim in multis vocibus accidit, ubi *l* vel duplicatum dederunt Librarii, vel simplici fuerunt usi. Confer Cl. *Cannegieterum* ad *Avianum* fab. X. vers. 9.

P. 240. a. l. 35. legitur confuso ordine pro *Vocibus adsiduis.*

P. 244. b. lin. 13. lege: *pecuniae* & lin. 24. Βασιλικά.

P. 250. a. fine repone: *Magulsum.* Leid. Pr.

Ibid. b. lin. 2. a fine repone: *Philippo Consuli* est in MSS. Porro in fine hujus notae addi potest: *Ait se saxo Tarpejo praecipitaturum.* Codex *d'Orvil.* neglecta particula *de*, quam ab Amanuensi aliquo inutiliter interjectam fuisse suspicari licet. Aliter Franeq. qui *ait de saxo* praetulit. *Ovidius* Epist. XV. Her. vers. 192.

Quam poterant saxis praecipitanda *dari.*

in Ibide vers. 286.

Tu quoque saxoso praecipitere *jugo.*

Valerius Maximus lib. I. cap. VIII. ex. ext. 8. *Ejusque jussu* saxo, *cui nomen erat equi*, praecipitatus. lib. VI. cap. V. ex. 7. Praecipitari *protinus* saxo *Tarpejo jussit.* Sic & ibi antiquam lectionem reduxit consensus Manuscriptorum.

P. 269. a. l. 7. post *adducti*, adde: infra cap. LXXX. *Nec pretio nec minis potuit adduci a Q. Popedio.* ceteroquin eadem facilitate ex corrupta scriptura posset fieri *adigi.*

P. 271. b. lin. 1. post *armare*: propius ad rem eadem oratione cap. XXVI. *Ut videret, ne quid resp. detrimenti caperet, quo uno verficulo satis armati semper Consules fuerunt.*

P. 276. b. lin. 41 pro *vocat* repone *vacat.*

P. 282. a. lin. 35. post *pestis* adde: ex sacris Litteris tuenda & haec locutio *Jobi* cap. VI. §. 4. *Quarum virus ebibit spiritum* (vel *sanguinem*) *meum.* Quomodo omnino vox נפש vertenda erit, repugnantibus licet LXX. & Vulgata versione cum nonnullis Interpretibus. Addas *Nonium* in voce *Bibere.*

P. 288. a. lin. 22. leg. *recensebatur.*

P. 291. b. l. 30. scribe: *legamus.*

P. 296. a. l. 39. Post SCHOTTUS adde: Ceterum *Marklandus* ad *Statium* lib. III. Silv. IV. vers. 13. Malebat: *Motonem Graecorum Rhetorum tum disertissimum* &c.

P. 312. b. l. 33. post *Auctor*, interfere: Et *Ammianus Marcellinus* lib. XXX. cap. VI. *Adhaec Imperator ira vehementi perculsus*, & inter exordia *respondendi tumidior.*

P. 314.

P. 314. a. l. 23. post §. 13. sequatur: *Virgilius* lib. IV. Aeneid. vers. 696.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

Sic domum Plutonis ingredi ὑπὲρ μοῖραν, *praeter fatum* dixit *Homerus* Iliad. υ. vers. 336. Addas & *Aristotelem* de Respir. cap. XVII. Longam disputationem hac de re instituit *Abramus* ad *Ciceronem* Orat. I. Phil. cap. IV. *Spondanus* ad *Homerum* Iliad. α. vers. 3. & *Cellarius* ad *Eutropium* lib. I cap. XI. Hoc est, quod *Florus* lib. III. cap. IX. dixit *praecipere fata veneno*.

P. 322. b. l. 24. lege: *quasi*, ut abjiciatur vocula.

P. 327. b. l. 22. lege: *satietas*.

P. 338. b. l. 7. scribe: mox malim *committeret*.

P. 345. a. l. 10. lege: fuit. Et mihi.

P. 350. b. in fine post 45. adde: Ita *beati locupletes* conjungerentur eodem modo ac *humiles egentes*. Si quis tamen interserere voluerit copulativam particulam, non vehementer pugnabo, & tueri se poterit Auctoribus Viris Eruditis, qui centies id esse factum docuerunt, inter quos Cl. *Gronovius*, ad *Melam* prooem. *Perizonius* ad *Valerium Maximum*. lib. II cap. X. §. 2. & egregie *Burmannus* ad *Phaedrum* lib. IV. fab. V. vers. 44. quaeque nos infra cap. XX. §. 5. Eadem opera restitue ex scripto Codice apud *Orosium* lib. VI. cap. XIII. *Quod contra foedus Luculli & Pompeji, avaritia inductus, Euphratem transierit. Fabricius*, cujus sola editio ad manus est, dederat nobis: *Luculli, Pompeji avaritia*, apertissimo vitio

P. 351. b. l. 17. scribe: *ut genitoris*.

P. 358. b lin. 5. a fine confusam incuria hypothetae notam ita restitue: Hadriani, Antonini Pii, Antonini Philosophi.

P. 378. b. l. 8. post milites: Vel quod jam magis placet, minorem distinctionem tolle post *quibus*, & sic apertior evadet sententia, si tertium casum referas ad *desiderium erat*.

P. 384. b. lin. 15. in fine adde: Quare etiam ediderat *Schottus*: *Nomine* [*Cajus Julius Maximinus*] *Caesar*, ut illa tria nomina uncis includerentur, quod tamen cur sequerer, nullam vidi necessitatem.

P. 393. a. l. 2. post ANNA: Vide an mox non melius sententiae satisfaciat, si pro *laetiorque* transpositis litteris *elatiorque* refingamus. de Vir. Illustr. cap. XXIV. §. 5. *Pricaeus* ad Epist. II. ad Timoth. cap. III. §. 2. *Valerius Maximus*. lib IX. cap. V. ex ext. 3. *Cannensis pugnae successu elatus*.

P. 397. a. lin. 14. Neglexi Lectorem monere, me pro *aetate*, quod alias Editiones foedabat, facillime admisisse *aestate*, nec de veritate ne tyro quidem dubitabit. *Tacitus* lib. II. Ann. cap. XXIII. *Aestate jam adulta Legionum aliae in hibernacula remissae*. Ubi eam dictionem recte ex *Servio* exponit *Lipsius*, cui adde alium ejusdem Grammatici locum ad lib. III. Aen. vers. 8. *Aut prima pars aestatis, quia est & adulta & praeceps*. Ceterum nonnihil conferet *Savaro* ad *Sidonium Apollinarem*. lib. IV. Epist. VIII. & *Zinzerlingius* Prom. Crit. cap. IX. Nec abludit *Longus* in Pastor. lib. II. init. τῆς ὀπώρας ἀκμαζούσης.

P. 417. b. l. 10. Omissum in fine ANNA.

P. 422. a. l. 27. lege: ad *Numinis*. Porro ad ea, quae de *Bagaudis* §. praec. diximus, adde *Lipsium* ad *Tacitum* lib III. Ann exc. H. qui ibi egregie rem gerit, nec hodie quisquam sanior dubitabit, quin apud *Eumenium* pro Rest. Scholis cap. IV *Latrocinio Bagaudicae rebellionis*, pro corrupta lectione *Batavicae* erit reducendum. Ad eum locum docti Commentatores adeundi, & ad Panegyricum Flaviens. nom. cap. IV. §. 2. nec non *Jac. Nicol. Loënsis* lib. V. Miscell. cap. XXIV.

P. 427. a. l. 24. SYLB.

P. 435. b. l. 11. *teterrimum* scribe, quomodo & hic reponendum judicabat *Gulielmus Cave* Introd. ad Antiquit. Eccles. cap. I. §. 6.

P. 455. b. l. 16. lege *somnii*.

P. 476. a. l. 30. dictis factisque.

P. 485. a. lin. 24. Immo retine potius *servatus*. Servabatur enim in ea tempora, cum ut Antichristus in terras esset rediturus. Ad ea, quae praecedenti pagina de duplici constructione vocis *egredi* dixi, ad-

de Erud. *Cortium* ad *Plinii* Lib. VII. Epiſt. XXVII. & XXXIII. fine.

P. 523. a. lin. 14. *fulmina* ſcribe. In fine notae adde: Nunc aliter ſentio & antiquam ſcripturam tueor. *Caelius Aurelianus* de Morb. Acutis lib. III. cap. V. *Apoplexia dicta eſt, quod tanquam ex letali percuſſu repentinum faciat caſum.*

P. 529. a. l. 9. completo.

P. 542 b, l. 19. Interim opportune Clar. *d'Orvillius* monuit *Rittersbuſium* lib. VI. Sacrar. Lection. cap. XVIII. reſcribendum cenſere *ut Lipſana, quamvis* &c. Λείψανα apud Eccleſiae praeſertim Patres ſunt reliquiae mortuorum, quas ex caeca ſuperſtitione divina veneratione proſequebantur. Vide in utroque Gloſſ. *du Cange*. Sed de reliquiis coenarum eam me vocem legere, non memini, an ejus notionis. exempla attulerit Vir Erud. ignoro, cum ipſe liber non ſit ad manus. Si vel hoc maxime verum eſſet, evertitur tamen illa conjectura ſequentibus verbis: *ſi coenae ſupereſſent*, quorum alterum abundaret, ſi ita ſcripſiſſet Auctor. Ego in expoſitione adquieſco, ceteroquin & fieri poſſet *illaeſa*. Sed abſtineo.

P. 548. a l. 1. lege: eadem.

P. 574. a. l. 33. poſt *placet* inſere: cum non diverſa ratione Sejanus vocetur *tutor* Tiberii a *Juvenale* Sat. X. verſ. 93.

Viſne ſalutari ſicut Sejanus, habere
Tantundem, atque illi ſummas donare curules?
Illum exercitibus praeponere, tutor haberi
Principis anguſta Caprearum in rupe ſedentis.

Adde & *Du Cange* Gloſſ. Graecit. voce Τραχαλᾶς. Melius feceris, ſi in contextu poſt vocem *Trachala* minorem diſtinctionem ſeu comma poſueris, ſeparari enim debet a ſequentibus. Hac eadem columna lin. 6. a fine ſcribe: *decem noviſſimis*

P. 591. b. l. 30. ſcribe *feris*.

P. 597. b. l. 9. repone. *libertatique*.

VIRORUM ERUDITORUM JUDICIA
DE
SEXTO AURELIO VICTORE.

JOANNES METELLUS
SEQUANUS STEPHANO PYCHIO
S. D.

ACCEPI *a Clariſſimo Viro Cornelio Vaeto Gandavo antiquiſſimum ſcriptum Codicem. Continet* Illuſtrium Virorum vitas, *quae Plinii titulo circumferuntur*, & Victoris Aurelii Hiſtoriae abbreviatae, *inquit*, ab Auguſto Octaviano; id eſt, a fine T. Livii uſque ad conſulatum decimum Conſtantii Auguſti & Juliani tertium; *de Caeſaribus libellum. Ille Plinii, nullius adſcriptum nomen habet: unde & in ſuſpicionem venio, cum de eo quidam dubitent, (non deſunt enim, qui eum Suetonio tribuant) ut* Aſconii Pediani *eſſe cenſeam, non* Cornelii, *ut alii volunt*, Nepotis. *Eſt editio tertia parte completior. Initium facit ab origine urbis Romanae & finis ſic habet.* Expliciunt nomina Principum Romanorum. *Quamobrem hunc inſcriptionem indidit*: Q. ASCONI PEDIANI PATAVINI, DE ORIGINE PRINCIPIBUSQUE GENTIS LIBER. *Dicitur in ejus anonymo titulo collectus & digeſtus, a quo vero, non ſcribitur*: nimirum ex Verrio Flacco, Veratio, Fabio Pictore, Licinio, Varrone, Caeſare, Tuberone, & omni priſcorum hiſtoria. Proinde, *inquit*, ut quiſque Neotericorum aſſeveravit, hoc eſt Livius, & Victor Afer. *Victorem addit, non propter hunc librum: ſed propter* Aurelium Victorem, *de quo diximus, qui hujus hiſtoriam, quae deſinit in Antonio & Cleopatra continuavit, inde in Juliani Conſulatum tertium. Hi auctores laudantur hoc libro omnes, praeter Varronem, Flaccum, Veratiumque, nec non Victorem Afrum. At ultra illos, etiam nominatim afferuntur, Ennius, Caſſius, Pontificalium libri, Alexander Epheſius de bello Marſico, Lutatius, Vulcatius, Acilius Piſo, Sempronius, Domitius, Octavius, nec non Cato de origine generis humani, Aulus Poſtumius de adventu Aeneae, Auſidii epitome, Vennonius, Annius, Sextus Gellius in origine gentis Romanae. Qui libri non exſtant. Ex his quos habemus, adducuntur, Virgilius ſaepenumero, Salluſtius, Plautus, Homerus, ac Livius. Nullus autem horum omnium (ni fallor) poſt Aſconium vixit. Atque haec tantum priore libri parte, hoc eſt, ea, quae originem urbis Romae, ſive auctores & principes, Romani generis conditores, qui ante conſtitutam remp. fuere, deſcribit. Nam ea parte libri, quae edita eſt, quae habet principes generis Romani qui poſt remp. fundatam extiterunt, nullius omnino liber, neque in Victoris epitoma refertur. Cur vero credam, hunc de Viris Illuſtribus librum eſſe* Aſconii, *moveor, quod paulo poſt ejus initium ſic ſcribit.* Quare autem addidit TUTUS (*de Virgilio nimirum loquitur*) ſuo loco pleniſſime adnotavimus in commentatione, quam occoepimus ſcribere, cognita ex eo libro, qui inſcriptus eſt, de Origine Patavina. *Erat enim Patavinus Aſconius, ita ut conjectura ſit eum potius, quam alium ſuae gentis originem ſcripſiſſe, quo eam illuſtraret, & ſuis gratum faceret. At vero quae* de Origine Urbis, *ſic quoque commentationem ediditſe. quod & antiquitatis perſcrutandae non ſolum eſſet ſtudioſiſſimus, verumetiam ſcientiſſimus. Id quod ex ejus in Ciceronem fragmentis luce clarius eſt. Quae ſi quis, cum hoc libro conferet: equidem, agnoſcet par in ea emendanda ſtudium, & ſimilis quaedam ſcribendi, illi & huic conſuetudo, ſive dictionem ſpectes, ſive quid excutiendi rationem, ineſt & elucet.*

Eadem

Eadem & inſcriptio. Commentationes *enim, appellat ſuas in Ciceronem explicationes. Efficitur praeterea ut Aſconium hujus* de Viris Illuſtribus *libri auctorem eſſe putem, quod Livium in eo aequalem ſcribit.* Sed horum, *inquit*, opinionibus omnium diverſis repugnat noſtrae memoriae proclamans hiſtoria Liviana, quae teſtatur, quod auſpicato Romulus ex ſuo nomine Romam vocavit. *Et pro Cornelio.* Sunt, *inquit*, tamen qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant. Inter quos Tuditanus & Pomponius Atticus, Liviuſque noſter. *Tum etiam quod in hoc* de origine, principibuſque Rom. *libello, quemadmodum & illis, quae ſuperſunt, in Ciceronem fragmentis frequenter admodum Virgilii teſtimoniis utitur cum quid adſtruit, & utrobique nonnunquam* noſtrum *appellat. Fuit enim* Aſconius *adeo Virgilii ſtudioſus, ut librum contra Virgilii obtrectatores, quemadmodum in vita ejuſdem Virgilii Tit Claudius Donatus adfert, ediderit. Nam Octavium Avitum & Poetilium Fauſtinum furta Virgilii, unde videlicet quaeque carmina ſurriperentur, notaſſe, Servius refert.* Aſconium *itaque Neronis tempore, vixiſſe Euſebius ait. eique Fabius Latinae Linguae cultum & auctoritatem attribuit. Plinius vero inter auctores ſuos eum enumerat. Aetatem ad annum octogeſimum quintum perduxit, adeo ut Virgilio notus eſſe potuerit & Livio. Quae cum ita ſint, his fere conjecturis quinque, quas ſummatim repeto, adducor, ut auctorem hujus libri* de Viris illuſtribus & origine urbis *Aſconium faciam. Primo quia ſub initium capitis* 1. *auctor libri ſcribit in haec verba:* Quare autem addidit TUTUS (*de Virgilio* loquitur) ſuo loco pleniſſime adnotavimus in commentatione, quam occœpimus ſcribere, cognita ex eo libro qui inſcriptus eſt de origine Patavina. *Ita cum eum librum* de origine Patavina *ſcripſerit, potuit, & dum eam ſcriberet, una ſcribere de Origine gentis Romanae quod ſit prope ejuſdem argumenti. Saltem affinis propter Æneam, a quo urbs initium duxit ſuum, vel non diſſimilis quidem. De Patavina vero origine* Aſconium *potius, quam alium quemvis, ſcripſiſſe ideo fit verisimile, quia Patavinus eſſet, quo ſuae gentis hiſtoriam illuſtrans, gratum iis faceret. At ſi* Aſconius *ejus* de origine Patavina *libri eſt auctor, neceſſarium eſt fateri ex his proximis ſuperioribus verbis eum hujus auctorem eſſe libri. Secundo probatur a pari in genere eodem ſcribendi diligentia.* Aſconio *enim conſuetum fuit antiquitatis hiſtoriam perſcrutari potiſſimum, uti ex ejus in Ciceronem fragmentis conſtat. In aliis ejus libris generalis argumenti particulares commentationes hiſtoricas diſcutiendi tractandique perſimili cum libro noſtro conſuetudine ac diligentia: neque leviter, ſed expenſis variis auctorum de iis, ut his ſententiis. Cujus antiquitatis fuit omnium ſui temporis & doctiſſimus & diligentiſſimus: ita ut loca obſcura propter ignorantiam antiquitatis abſtruſa difficillima explicaret. Id enim ipſius eſt praecipuum, nempe ſumma diligentia ex variis auctoribus reconditas hiſtorias eruere intelligendo Ciceroni, quod ex parte in Virgilio feciſſe, ut in Cicerone ex hoc ſuperiore loco, quo clara faceret duo Latinae linguae lumina, credendum; indicatis in iis illis hiſtoriis, quae incognitae illos aliquibus locis redderent non intellectos, imo impeditos tot etiam, ut hiſtoriae veritas eluceſceret. Atque uti his* commentationem *ſuam illam ille nominat, & illa quoque in Ciceronem ſua Commentaria, ipſe* Commentationes (*ſic enim in vetuſtis libris legitur*) *vocat. Tertio non ſolum antiquitatem in ſpecie enodandi ſtudium & conſuetudo,* Aſconium *hujus auctorem eſſe libri veriſimiliter probat; ſed etiam par ejus ſcribendi cum hoc libro ſtylus, ſi quis diligenter attenderit. Quamquam neceſſe eſt diſſimilitudinem eſſe quandam in nonnullis propter generis ſcribendi diverſitatem. Nam in fragmentis in Ciceronem etiam Grammaticum agere cogitur: hic vero Hiſtoricum praecipue, quia vitas breviter ex profeſſo deſcribit, non autem aliquem auctorem, puta poetam vel oratorem exponit. Sed tamen animadverti hoc libro clauſulas eum non recte incipere ab his particulis.* At vero, Igitur, *id quod in fragmentis illis non obſervavi fieri, niſi illud tribuatur hiſtoriae diverſo generi. At certe uti brevis illic eſt, & nihil in illis fragmentis, in dicendo redundat; ita hic quoque & quaedam verba, quae Ciceronianis forte non placerent, ut hic uſurpat veluti* neotericus, *&c. atque quoſdam loquendi modos, qui delicatis auribus duri videri poſſint. Quarto, veriſimile fit Aſconium libri auctorem eſſe, quia hoc libro nullus citatur auctor*

poſt

posterior aetate Asconii: sed omnes ab eo citati, vel ejus aetatem praecesserunt, vel ei certe contemporanei fuerunt. Eum praecesserunt, quos supra enumeravimus, ei vero aequalis fuit Livius, & ejus quoque civis nimirum Patavinus. forte etiam Virgilium videre potuit. At-qui de Livio constant. Nam hoc libro, capite *de Roma condita:* Sed horum, *inquit,* opinionibus omnium diversis repugnat nostrae memoriae proclamans historia Liviana, quae testatur, *&c. At idem in Ciceronis fragmentis Livium appellat* nostrum, *uti hic. Unde merito conjicere liceat Asconium & hic esse, qui suum & hic Livium vel memoria sua historiam conscripsisse. Porro eo tempore & Livium & Virgilium vixisse, quo floruit Asconius, docere poterunt Fabius & Eusebius, qui Asconii mentionem faciunt. Cum igitur Livio is quamfamiliarissimus fuerit, idque hoc libro ostendat supra scriptis verbis, credi par est eum hujus libri & alterius* de Origine Patavina *auctorem existere. Et quod ad Virgilium attinet, & hoc libro, & in Cicerone* nostrum *etiam adpellat: videlicet cap. de Hercule Recarano:* Quam opinionem, *inquit,* sequi metuit noster Maro. *& capite de Saturno.* Usque eo, *inquit,* ut etiam, cum aliis diis sacrificium, dato thure in altaria Jovis, prior nominetur, cognomento quoque addito Pater, secundum quod noster sic intulit:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

Quinto, auctorum quos hic liber citat, in testimonium rei quam probare velit, quosdam Asconius etiam laudat in fragmentis in Ciceronem faciendae fidei, maxime Livium, quem nostrum *adpellat. Et Virgilium, quem saepissime citat, ac* nostrum *quoque vocat: Ergo haec ejus utrumque, sic & hoc loco, & fragmentis compellandi tanquam familiares & amicos non infrequens consuetudo, propemodum evincat ipsum auctorem hujus libri credi debere. Citat & Sallustium, Plautumque, ut libet,* nostri *tamen omisso pronomine, adeo ut eo pronomine sibi Livium ac Virgilium familiares amicitia cum iis contracta, & contemporaneos fuisse satis indicet: Non autem* nostros *eos dixerit ratione communionis studiorum, vel alias amoris quo eos non visos complecteretur.*

ANDREAS SCHOTTUS

DE AUCTORIBUS ANTIQUIS VIRORUM ILLUSTRIUM.

LIBET illustres aliquot de Viris domi militiaeque illustribus scriptores, quos Victor imitandos proposuit, recensere, eos potissimum quorum libri interciderunt. De Plutarcho igitur, qui Graecos & Latinos Imperatores comparavit, non necesse habeo dicere, quod ipsius libros vere Philosophicos in bibliothecis desiderari nefas putem. Julium Higinum de claris viris, seu de vita rebusque Illustrium virorum laudat Agellius lib. I. cap. XIV. Noct. & Asconius in Pisonianam, qui *Lucium* appellat, commutata fortasse J litera in L, librariorum audacia; nisi forte *L. Julium Higinum* dictum videri placet. Suetonius C. Julium Higinum in Illustribus Grammaticis nominat; ejusdem exemplorum libros, forte eosdem, idem citat Agellius lib. X. cap. XVIII. Alphaeus Avitus Excellentium virorum libros reliquit Jambico dimetro,

* * * * *

ut

ut ex fragmentis quae a Prisciano IIX. XII. & XIIX. libris Gramm. adferuntur, apparet: De quo aequalis ejus Terentianus Maurus:

Ut pridem Avitus Alphius
Conscripsit Excellentium.

T. quoque Pomponium Atticum de Viris illustribus carmine scripsisse; in ejus vita auctor est Nepos & Plinius Nat. Hist. lib. XXXV. cap. II. atque versibus non amplius quaternis quinisque sub singulorum imaginibus facta, & magistratus eorum descripsisse. Plinii junioris aequalis Titinius Capito exitus Illustrium virorum tradidit, in iis quorundam sibi carissimorum: auctor Plinius lib. VIII. epist. XII. D. quoque Hieronymus in Catalogo eorum qui de scripturis sanctis memoriae aliquid prodiderunt, ad Dextrum Praetorio Praefectum aliquot enumerat; quorum nomina tantum, eaque vix integra, ad nostram usque aetatem pervenerunt: *Fecerunt*, inquit, *hoc idem apud Graecos Hermippus Peripateticus, Antigonus Caristius, Satyrus doctus vir, & longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus. Apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Hyginius, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.* De Varronis autem septingentis Illustribus, quos primos nominasse oportuit, videndus Plin. Natur. Histor. lib. XXXV. cap. II. Lactantius quoque, Christianorum Cicero, Divinar. Instit. lib. I. cap. X. Tarquitium quendam de Viris illustribus laudat auctorem, ubi quis *Tranquillum* esse legendum conjiciat, nisi aliud locus ipse suaderet. Memini legere apud Trithemium, Prosperum Aquitanicum de Viris quoque illustribus scripsisse, sed sacrisne, an profanis, non liquet; neque enim videre contigit.

Caeterum de ratione consilii nostri paucis sic accipe: menda, quamvis libellus sit, supra quam cuiquam credibile sit, librorum veterum ope sustulimus; nihil tamen temere immutavimus: quod illis judicandum relinquo, qui haec nostra cum vulgatis comparabunt. Ut vero lucem historiae darem, annos Consulares ad oram adscripsi, secutus fere Capitolinos Fastos, quos Carolus Sigonius, ac nuper Stephanus Pighius, & Hubertus Goltzius nostrates digesserunt; in Augusta vero historia Fastorum libros secundum Onufrii Panvini, hortatu Joannis Olivarii Jurisconsultorum disertissimi: quo Eloquentiae Professore Duacenates merito superbiunt. Notas, quibus emendationum nostrarum ratio explicatur, ne libri moles nimium excresceret, non addimus: & recens eae editae Duaci, in gratiam nobilissimi juvenis Philippi La-Noy, Domini Tourconii, mihi sane multis nominibus carissimi. Vale mi Lector, & haec si studia tua juvabunt; abunde magnum laboris mei praemium consecutum me esse existimabo.

DE

JUDICIA

DE AUCTORE

VIRORUM ILLUSTRIUM.

SOLET in Methodo pertractanda haec primo Quaestio agitari; An sit, qua de rei natura, an subsistat, quaerunt differendi artifices: Eadem nos via prius, quam ad rem ipsam veniamus, de auctore hujus libelli Plinius ne, an Cornelius Nepos, an neuter potius sit, breviter sumus disputaturi: de quo variae sunt doctissimorum hominum, & discrepantes sententiae: Quidam enim C. Plinio Caecilio, alii Cornelio Nepoti: nonnulli Suetonio Tranquillo inscripsere; nec defuere qui Aemilio Probo. Nam qui C. Cornelium Tacitum auctorem faciunt, toto coelo errare mihi videntur: stylus enim, dicendique ratio reclamat, falsi fortasse, quod de Oratoribus illustribus scripsisse Tacitum audivissent: sed eum, qui vulgo circumfertur, libellum Fabio Quinctilliano vero auctori nuper restituit in his literis doctissimus Justus Lipsius noster. Qui Suetonium patrem legitimum affirmare non dubitant, nae illi iniqui familiarum Censores sunt, digni quibus ignominiae causa non equus adimatur, sed a Catonibus censura ipsa abrogetur. Quod enim D. Hieronymum in eo libro quem & ipse de Viris illustribus conscripsit, auctorem laudant, dicam libere, vere tamen, errant: nec sensum adsequuntur. verba ipsa apponam; *Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens Ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram: Et quot ille in enumerandis Gentilium literarum viris fecit illustribus; id ego in nostris faciam.* Quibus ipsis, qui haec objiciunt, refelli & tamquam suo gladio confodi, quis ita caecus est, ut non videat? Illustres enim Suetonii Grammaticos, qui hodieque in manibus sunt, intelligit. Non infitior tamen Stemma illustrium Virorum Romanorum scripsisse Tranquillum, ut ex Suidae collectaneis apparet: & de Ventidio Basso Suetonium scripsisse Agellius auctor est.

Qui Cornelio Nepoti attribuunt plures, iique doctiores; sed vereor ne fallantur, quod bona eorum venia dixerim. Sed age rationes dispiciamus: In primis Catulli illo carmine pugnant, quo Cornelio Nepoti Veronensi poëma suum dedicat, utpote civi suo & municipi, vel, ut cum Plinio majori castrense vocabulum usurpem, conterraneo:

> *Cui dono lepidum, novum libellum,*
> *Arida modo pumice expolitum?*
> *Corneli, tibi: namque tu solebas*
> *Meas esse aliquid putare nugas,*
> *Jam tum, cum ausus es unus Italorum*
> *Omne aevum tribus explicare chartis,*
> *Doctis, Jupiter, & laboriosis.*

Fateor equidem de Viris illustribus scripsisse Nepotem: Nam & Agellius, magna scriptorum laverna, lib. XI. cap. IIX. integrum inde caput transcripsit: & Flavius Sosipater librum XV. & XVI. Virorum illustrium citat: aliique quos in eo libro in quem Cornelii Nepotis librorum omnium, qui desiderantur, fragmenta conjecimus, & Gorn. Valerio praeceptori nuper dicavimus, recensee. Nunc si quis inferat, libelli istius auctorem esse Nepotem, constanter negabo: nec enim magis consequitur, quam vel Suetonium, vel Aemilium Probum, vel Hyginum, vel alium quemvis. Huc

accedit; capita ipsa, quae Agellius, Sosipater, Servius, caeterique ex Nepotis Illustribus recitant, ne vestigium quidem libelli nostri praeferre. Unum de multis exemplum, quoniam ad rem facit, adferam. Agellius (vel si veterum librorum auctoritatem negligis, A. Gellius) Noct. Attic. lib. XVII. cap. XXI. non obscure hunc esse Nepotis partum negat. *M.* inquit, *Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus est consilium de regno occupando iniisse: damnatusque capitis e saxo Tarpejo, ut M. Varro ait, praeceps datus; ut Corn. autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est.* Noster vero disertim de saxo Tarpejo praecipitatum scribit. Sed nihil agit Catellianus Cotta, qui haec ad Chronica Nepotis detorquet: nec enim simile vero, tam praestantem historicum tam repugnantia in Viris illustribus dixisse. Verum ut symbolam quoque Graecus auctor conferat, non levis, sed νόμιμος μάρτυς Plutarchus, ut ipsi observavimus, de Lucullo longe aliter scripsisse Nepotem refert, atque adulterinus iste Nepos: sic enim ait: *Post cum alienata mente desipere coepisset, tutela ejus M. Lucullo fratri permissa est.* Plutarchus vero: Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα. Quae sic vertebamus: *Cornelius Nepos neque senio, neque morbo, ait, alienata mente fuisse, sed a Callisthene liberto venenis corruptum.* Callisthenis nulla apud auctorem nostrum mentio, neque senii, morbi, aut veneni: Necesse est igitur alio Nepote usum Plutarchum. Idem quoque in Tiberio & Cajo Gracchis: Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γάϊον. i. *Cornelius Nepos non Crassi, sed Bruti ejus qui de Lusitanis triumphaverat, filiam in matrimonio Cajum habuisse scribit.* In Nepote vero isto subdititio filiae, neque Crassi, neque Bruti ulla mentio exstat, nisi caecutiunt oculi. Rursus in Noctibus Atticis est lib. XI. cap. VIII. & Macrobio praefat. Saturn. Plutarcho in Catone M. Catonem juste A. Albinum reprehendisse, quod homo Romanus Graéca oratione res gestas Romanorum cum componeret, veniam ante imperitiae praefatus esset. Porcii quidem Catonis noster meminit; de Albino vero verbum nullum. Unde relinquitur falli eos qui Nepoti hunc foetum attribuunt. Porro ad stylum quod attinet, Nepoti is abjudicat, quod illustres viros copiosius scripsisse Nepotem apparet ex T. Pomponii Attici vita, & M. Porcii Catonis, quae dumtaxat ab injuria temporis reliquae sunt. Quod & libro, si modo illius est, de Vita Excellentium (vel ut MSS. quidam legunt, *Externorum*) Impp. probari posset. Noster vero ita concisus auctor est, ut Elogia potius Illustrium, quam vitas scripsisse videatur: qualia versibus quaternis Atticum contexuisse testis est Nepos ipse, & Plinius. Plura argumenta ex fragmentis nostris Nepotianis ingenioso cuique facile suppeditabunt: sed haec facient; nisi vehementer fallor, satis ei, qui non omnino pertinax falsi patronus defensorque esse voluerit.

Nunc ordine de Plinio Nepote videamus, a quo etiam haec removenda injuria est, ne auctor ejus esse videatur, quem, si reviviscat, pro suo agnoscere, sat scio, nollet. Non enim cadit in tam foecundum ingenium, tam exile, & plusquam sordidum aliunde mutuandi studium. Verba illius adscribere non pigebit ex epistola xx. lib. VI. ad Corn. Tacitum, quibus hujus libelli auctorem quidam facere se posse confidunt, quod annos natus duodeviginti, historiam se scribere coepisse affirmet: *Agebam*, inquit, *duodevicesimum annum. Posco librum T. Livii & quasi per otium lego, atque etiam, ut coeperam, excerpo.* Vultisne igitur dari vobis, res gestas breviter e Livio decerpsisse Plinium, eas, inquam, quae nunc in manibus sunt? cur amabo, totiens, a Livio diversus abit, & pugnantia commemorat; Graecos in plerisque potius secutus, ut Dionysium, ut Dionem, ut Appianum, ut Plutarchum? His igitur illud Epicharmi occino, μέμνασο ἀπιστεῖν. Quemadmodum ex lineamentis de legitimis liberis & spuriis filiis οἰκότως judicare solemus; idem hic sentio faciendum. Certe si quod in his judicium meum est, non sapit Plinium Caecilium stylus. Ad haec verisimile fit, si is verus auctor esset, cum aliorum maxime virtute bellica, togave Illustrium vitas persequatur;

eorum.

eorum qui Auguſtum ſunt inſecuti, ad Trajanum uſque, Imperatorum hominumque illuſtrium non omiſſurum fuiſſe: propterea quod in epiſtolis viri, qui caeteris laude antiſtabant, omnes paene paginas impleant. Venit in mentem conjectura fortaſſis vera, cur Nepoti aut Plinio inſcripſerint quidam: cum enim in MSS. forte vidiſſent C. PLINII NEPOTIS (fuit enim C. Plinius Caecilius alterius ex ſorore nepos) obliteratis nonnihil prioribus, parvaque facta immutatione, CORNELII NEPOTIS legi coeptum: aut vice verſa, accidiſſe non admodum a vero abhorret. Sed libros, inquies, calamo exaratos, arbitros controverſiae depoſco. Quinque nos quidem uſi ſumus, demptis antiquitus excuſis quamplurimis, qui etiam vehementer nos adjuverunt: Quod a Theodoro Pulmanno, erudito viro, accepi, longe optimum: Lectionum vero varietates aliquot ex Joannis Metelli Sequani doctiſſimi viri, codicibus duobus, quorum alter IↃCCC. abhinc annis, vel pluribus, ſcriptus eſt, communicavit nobiſcum P. Silvius juvenis Graece Latineque doctus. Lutetiae vero Franciſci Pithoei MSS. & Bibliothecae D. Victoris in ſuburbiis ſitae uſus ſum. Pulmanni exemplum hanc ἐπιγραφὴν praefert: *Aurelii Victoris Hiſtoriae abbreviatae ab Auguſto Octaviano, id eſt, a fine T. Livii uſque ad Conſulatum decimum Conſtantii Auguſti, & Juliani Caeſaris tertium*: Eratque in duos Tomos ſectus liber. prior de urbis Romae origine fragmentum, & Viros hoſce illuſtres continebat: alter Caeſarum vitas hinc uſque ab Auguſto; qui tamen ab edito mire variat, quemadmodum nunc ſi cum vulgata Epitoma conferat, ſtudioſus Lector cognoſcet. Deſinent igitur docti dubitare cujus Viri illuſtres ſint, reperto vero auctore Sexto Aurelio Victore. Priore enim parte, tanquam Prolegomena ſunt, quibus ea quae a Livio dicta prolixius, ſummatim repetit prius, quam Impp. vitas aggrediatur.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

DE HISTORICIS LATINIS.

LIB. II. CAP. VIII.

Aurelii Victoris aetas, dignitas, tenuis origo, libri duo genuini. Sed liber de origine gentis Romanae alterius eſt, qui & de origine gentis Patavinae egerit. Religione prior ille gentilis. Duo alii Aurelii Victores, unus hoc antiquior, alter eo junior.

SEXTUS AURELIUS VICTOR, qui beneficio Clariſſimi Viri, Andreae Schotti, prodiit in lucem, aetate vixit Conſtantii & Juliani Imperatorum. Siquidem in Marco Antonino Philoſopho ait, *Conſtrata terrae motu noſtra aetate Nicomedia, Cereali conſule.* At Neratius Cerealis poſt IX. Conſtantii conſulatum conſul fuit. Ad haec in Julio Philippo inquit, *Noſtra quoque aetate, poſt mille, centeſimus, conſule Philippo,*

lippo, *exceſſit, nullis, uti ſolet, ſolennibus frequentatus.* Denique in Conſtantino ait, *Ac memoria mea Conſtantinum* (malim cum Schotto *Conſtantium*) *quamquam caeteris promptum virtutibus, ad uſque aſtra votis omnium ſubvexere.* Quare nec dubium, quin hic ſit ille Aurelius Victor, qui cum Valentiniano conſul fuit anno Urbis CIↃCXXII. Ac longe minus ambigo, quin idem ſit Victor, de quo ſic Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Imperator* (Conſtantius) *revertitur Noſſum, copioſum opidum: quo inde expedite cuncta diſponeret ſuis utilitatibus profutura: ubi Victorem apud Sirmium viſum, ſcriptorem hiſtoricum, exinde venire praeceptum, Pannoniae ſecundae Conſularem praefecit, & honoravit aenea ſtatua, virum ſobrietatis gratia multilaudum, multo poſt Urbi praefectum.* Atque ex eo loco ſimul cognoſcimus, quo virtute, & honeſtarum artium ſtudiis; pertigerit, licet *rure ortus, tenuique & indocto patre*, ut ipſe de ſe Victor in Severo ſcribit. Exſtant hujus Victoris libri duo. Prior eſt de Viris Illuſtribus a Proca uſque ad Julium Caeſarem, qui vel Cornelio Nepoti, vel Plinio Novocomenſi, vel Suetonio etiam falſo tribui ſolet. Alter continet vitas Caeſarum uſque ad Juliani tertium conſulatum. His libellis praemittitur *Origo gentis Romanae.* Sed cur commentatiuncula iſtaec minus credatur ejuſdem eſſe Victoris, veriſimile facit titulus ejus: quando iſtic legas, ex fontibus illis petitum eſſe, ex quibus ſua hauſere juniores ipſi, Livius, & Victor Afer. Quis enim ſit Victor ille Afer, ſi non eſt hiſtoricus ille Ammiano memoratus, ac cujus duo ſunt libelli, quos dicebamus? Nec obſtat Afri cognomen. Nam Aurelium Victorem natione fuiſſe Afrum, a vero non abhorret, quandoquidem multus eſt in ea laudanda, ac alicubi appellat *terrarum decus.* Quamobrem ita colligimus, libellum illum de Origine gentis Romanae congeſtum eſſe ab aliquo, qui fuerit poſt Aurelium Victorem. Atque idem ſcripſit *de Origine gentis Patavinae:* ut ipſe initio libelli de origine gentis Romanae teſtatur. Victorem fuiſſe hominem gentilem, vel inde conſtat, quod in Hadriani vita eo inclinat, ut Antinoi ſacrificium res fuerit pia, religioſaque. Alius ab hoc ſcriptore eſt Aurelius Victor, cognomento Primus, de quo ſic Julius Capitolinus in Opilio Macrino. *Verba denique Aurelii Victoris, cui Primo cognomen erat, haec fuerant: Macrinum, libertinum hominem, proſtibulum ſervilibus officiis occupatum*, &c. Nam Julius Capitolinus miſit eam Macrini vitam ad Diocletianum Auguſtum: ut hiſtoricum iſtum laudare non potuerit, qui breviarium ſuum perduxit uſque ad tempora Juliani. Adde quod ea de Macrino neutiquam in hoc Victoris breviario legantur. Alius quoque eſt Sextus Aurelius Victor, cujus exſtat opuſculum de vita & moribus Imperatorum Romanorum uſque ad Theodoſii exceſſum: de quo poſtea dicemus. Imo nec ſemper ſatis convenit inter hoſce Victores hiſtoricos: ut cum ille Schotti duos tantum; alter autem tres agnoſcit Gordianos.

MAR-

MARTINUS HANKIUS.

De Romanarum Rerum Scriptoribus I. 29.

I. SEXTUS AURELIUS VICTOR, ille, qui Caesarum vitas scripsit, haec cap. xx. de se tradit: *Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus tenuique indocto patre, in haec tempora vitam praesliti, studiis tantis honestiorem. Quod equidem gentis nostrae reor, quo fato quodam bonorum parte foecunda: quos eduxit, tamen, quemque ad celsa suos habet.*

II. Constantio, Constantini Magni filio, imperante, claruit. Nam cap. XXVIII. cum a Julio Philippo Imperatore annum Urbis millesimum ludis omnium generum celebratum commemorasset, subjungit: *Nostra quoque aetate post mille centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, sollennibus frequentatus.* At Urbis annus 1100. est Constantii duodecimus, Christi 348. Et cap. XVI. ait: *Asiae Ephesus ac Bithyniae Nicomedia, constratae terrae motu aeque ac nostra aetate Nicomedia, Cereali consule.* Neratius autem Cerealis, post nonum Imperatoris Constantii, consulatum gessit, anno Urbis 1110. Christi 358. cap. ultimo: *At Julius Constantius annos tres atque viginti Augustum imperium regens, cum externis motibus, modo civilibus exercetur, aegre ab armis abest.* quae cum praecedentibus bene conveniunt. Nam XXIIIus annus Constantii, est Urbis 1111. Christi 359.

III. Inde colligas, eundem Victorem esse, de quo Ammianus Marcellinus lib. XXI. cap. XVIII. loquitur. Nam rebus, quae Flavio Florentio, & Flavio Tauro Cos. anno Urbis 1113. qui est Constantii ultimus, Christi 361. contigerunt, adjicit. *Imperator revertitur Naessum, copiosum oppidum, quo inde expedite cuncta disponeret suis utilitatibus profutura. Ubi Victorem apud Sirmium visum, scriptorem historicum, exinde venire praeceptum, Pannoniae secundae consularem praefecit, & honoravit aenea statua, virum sobrietatis gratia multilaudum, multo post Urbi praefectum.*

I. Sexti Aurelii Victoris de Romanae gentis origine libellus exstat. Qui tamen, an ejusdem Victoris sit, de quo egimus, ideo, quantum observare licuit, dubitari solet, quod in praescripto titulo dicatur, inter alios, ex Victore Afro desumptus: iste autem Victor Afer non alius videatur, quam qui Caesarum vitas scripsit, quippe qui in Africae laudibus copiosior, se Afrum esse subinnuat.

II. De eo quicquid sit; in codicibus ad antiqua MSC. expressis, & huic, & duobus, de quibus mox dicemus, libellis, generalis praemittitur epigraphe: *Origo gentis Romanae a Jano & Saturno conditoribus, per succedentes sibimet Reges, usque ad consulatum decimum Constantii.* Quod uni, de Romanorum origine, libello nequaquam convenit. Nam hic a Jani, Aboriginum Regis in Italiam adventu, sive ab anno Mundi 2621. ante Romam conditam 577. C. N. 1327. incipit: desinit autem in anno Urbis primo, qui est Mundi 3198. ante C. N. 750.

III. Deinde Sexti Aurelii Victoris de Urbis Romae viris illustribus liber reperitur. Cujus auctorem, aut Cornelium Nepotem, aut Plinium Novocomensem, aut Suetonium Tranquillum, multi constituunt: meris conjecturis, nullo alicujus momenti argumento, quo fidem prudentioribus quidem lectoribus faciant, instructi.

IV. Certe omnes illos, quibus adscribitur, de viris illustribus aliquid reliquisse contendunt. Id Nepotem A. Gellius lib. XI. cap. VIII. Suetonium fecisse, Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis cap. I. tradit. De Plinio, ne istud quidem, un-

de

de possint ostendere, video. Neque enim, cum lib. VI. epist. XX. ad Cornelium Tacitum scribit: *Posco librum Titi Livii, & quasi per otium lego, atque etiam, ut coeperam, excerpo*; inde quisquam paulto solertior collegerit, illustrium virorum vitas illum excerpsisse.

V. Sed demus, a Plinio perinde, ut a Nepote Suetonioque compositas clarorum virorum vitas; an propterea de simili materia liber, cujus auctor non satis certus sit, illorum uni tribuendus erit? Ut nihil de styli differentia, quae inter nostrum, & laudatos auctores intercedit, dicam; Nepotis cur hoc opusculum habendum non sit, subjiciam. De M. Manlio A. Gellius lib. XVII. cap. XXI. *Qui Gallos*, inquit, *in obsidione Capitolii obrepentes per arduas depulerat, convictus est, consilium de regno occupando iniisse: damnatusque capitis, e saxo Tarpejo, ut M. Varro ait, praeceps datus est: ut Cornelius autem Nepos scriptum relinquit, verberando necatus est.* At Victor ait cap. XXIV. *Damnatus & de saxo Tarpejo praecipitatus.* Haec inter se pugnantia Nepotem, nobilem Historicum, asseruisse, non est vero simile.

VI. Quae cum ita sint; praestiterit, meliorum codicum, praesertim ex ipsis MSC. publicatorum, in quibus liber hic Aurelii Victoris nomen praefixum habet, auctoritatem sequi. Solicitos vero cujus Aurelii Victoris hoc de viris illustribus opusculum sit, certiores facit, qui de Caesaribus sequenti libro praemittitur titulus: *Aurelii Victoris historiae abbreviatae pars altera.* Nam inde probabiliter colligere licet, cujus posterior est, ejusdem Victoris priorem esse partem.

VII. Caeterum, primus inter illos illustres viros est Proca, Rex Albanorum, qui regnum suum filiis Amulio & Numitori, annuis vicibus habendum reliquit, anno Mundi 3155. ante Romam conditam 43. ante C. N. 793. Ultimus est Cn. Pompejus, cujus mors in annum Urbis 705. Mundi 3902. ante C. N. 46. incidit.

VIII. Ad hos illustres viros additamentum, in quibusdam antiquis libris MSC. repertum (quod ejusdem videtur auctoris esse) incipit a Julio Caesare, qui Praetor in Lusitaniam anno Urbis 693. Mundi 3980. ante C. N. 58. abiit. Definit in Cleopatra, Aegypti Regina, quae victo M. Antonio marito, ipsa mortem sibi acceleravit anno Urbis 723. Mundi 3920. ante C. N. 28.

IX. Praeterea Sexti Aurelii Victoris de Caesaribus librum habemus. Horum primus est Octavianus Augustus, a cujus principatu, quem ad annum Urbis 722. id est, ante C. N. 29. refert, incipit. Ultimus est Constantius, Constantini Magni filius, in cujus anno XXIII. qui est Urbis 1111. Christi 359. definit.

JUDICIA.

ANDREAS SCHOTTUS

Justo Lipsio εὖ πράττειν.

UNAS dumtaxat literas tuas vidi, amicissime Lipsi, quamdiu Gallia me habuit, magna & negligentia tua & dolore meo. Scaliger Europae ocellus instigante me has ad te dedit, fuitque hic mensibus aliquot. Editus Manilius, quem D. Busbequius meus, vel potius noster, dono ad te mittit, ut boni consulas rogat. Literasque tuas avet videre vir tui studiosissimus. Plautum Scaliger de manibus deposuit, tibi lampada tradit, pollicitus etiam exemplar missurum se, si volet, collatum, ex Bibliotheca Duareni. Hippocratis ille libellus magnam illi invidiam peperit apud medicos nostros, mendicos paene exciderat mihi. Grammaticum (sic enim tantum virum appellant) medica tractare clamant in cathedra, falcem in alienam messem jacere. Circumfertur calumniis plena oratio Jo. Martini, quam etiam ad te mitto, ut videas ineptias, quis oppedere nititur Thraso ille. Huic alii duo erudite respondent e Pictavis & Biturigibus. Nec defuere Manilio calumniatores inepti, & indigni qui nominentur: quos egregie refellit vir extra omnem ingenii aleam positus, non tamen extra invidiam. Henricus Stephanus quoque hic menses aliquot haesit. Plinii epistolas cum Panegyristis edidit, suo more scholiis suis implens; Theocritum quoque, in quibus auctoribus Graecis magnus est, in Latinis hospes. Ciceronem molitur cum scholiis, qualia in Horatium edita ab illo. Taceo inepta de lingua vernacula suppresso tamen nomine nuper edita, qualia molitur adhuc in gratiam regis Gallorum; qui Scaligeri Manilium grate accepit, & annuam pensionem bis mille Francicorum dedit. Bene res habet si solvitur fide non Gallica, sed Graeca, vel oculata manu. En tibi de altero si videre vacat. Meministi legere Apologiam illius in Herodotum, πάρεργα, ut solet, nimis multa. Etiam Plautini sectores zonarii in scenam veniunt. Nuper etiam edito illo Gallico libello, in aulicos, qui Italorum simiae videri volunt, calamum strinxerat; at quamvis fraudes illorum praecognitas detexisset, evitare tamen ipse non potuit; Crumena enim ab hujus ordinis homine furtim surrepta ducentis coronatis, ut ipse affirmat, referta. Vera narro. Hinc illi lacrymae & suspiria in mundo: aliis doctis jocus & ludibrium. Ille ringere. Materia profecto novi libri. Invisit me his diebus, sed facile perspexi hominis ingenium illiberale & sordidum. De Panegyricis, quos Cl. Puteanus molitur, scripsi ad Plantinum & Pulmannum. Brevi Biturigas cogito, ut quemadmodum hic Graecis me doctoribus dedi, ita Cujacium posthac audiam: quare fac quam maturrime literas tuas accipiam, quas Plantinus, ut mihi reddantur, curabit. Salvebis a Busbequio, Scaligero, Puteano, Passeratio, Pithoeis duobus. Habes quoque a P. Daniele fragmentum T. Livii una cum literis familiaris mei & illius Jac. Bodaei. De Servio illo praestantissimo excudendo cum Henrico Stephano stipulari coepit: nihil credo effectum. Et illum & Servium vidi. Cassiodorum quoque credo abs te visum recens editum. Cujacii Paratitla Codicis & Observationum libri aliquot sub praelo madent, Legesque Visigothorum ex Pithoei Bibliotheca, quas Metellus Sequanus moliebatur. Salutem a me Douzae, caeteris literatis, apud quos nostrum in Victorem Aurelium conatum ut tuearis a calumniis, etiam atque etiam oro obtestorque: quem fetum tamquam abortivum cur festinarim, justae causae sunt, quas tu spero, probabis; de Metello enim nota res tibi, & Cujacius praesens, cui negare nihil nec possum, nec debeo, a me ut transcribendi potestatem facerem, extorserat: unde plagiarios metuebam: & certe publice interest tam praestantem auctorem non diutius latere. Plantinus ut spero in Majo absolutum dabit. Vale & nos ama. Lutetiae Parisior. a. d. III. Non. April. Anni cIↃ. IↃ. LXXIX.

******

BAR-

BARTHIUS

Lib. XLVIII. Adverſ. Cap. VI.

Sextus Victor, cui Scriptori bona apud Priſcos Auctoritas.

Lib. LIV. Cap. XIII.

Ex eodem Scriptore prudente & optimo multa diſci poſſunt.

WASSE ad *Salluſtium* Jug. cap. XLVI. p. 352.

A. Victor, qui *Salluſtium* fere ſequitur.

BOECLERUS de Compar. L. L. Facultate cap. I. §. XIV.

Aurelius Victor in Viris Illuſtribus (nam Caeſares ejus & Epitome diverſiſſimo ſtyli genere utuntur) non quidem *Nepotis* & ſimilium politae venuſtati comparari poteſt, ſed eſt tamen candidus, & prae ceteris ſimplex, quippe primas orationis formandae lineas ſtudioſo Latinitatis formare poſſit.

IDEM de Auſ. Regio. cap. I. Tom I. p. 138.

Victori Taciti veſtigia legere mos eſt.

LIPSIUS Tom. I. Syll. *Burm.* Epiſt. XXV.

Victor non uſque quaque placebit tibi, brevis, conciſus in re, in verbis ſciolus & adfectator. Quid agas? ſolus tamen ille reliquus ex antiquis.

IDEM de Amphith. cap. VI.

Durum hoc mihi ipſi videretur, niſi *Victorem* cogitarem & reliquam ejus adfectatae novitatis phraſin.

GUTHERIUS Off. Dom. Aug. lib. III. cap. I.

Victor Scriptor Africanus.

BARTHIUS lib. LIV. Adverſ. cap. XIII.

Scriptor praeclari judicii *Aurelius Victor*, qui charactere enique fere Principi affingendo paucos omnino pares habet, modo ſit emendatus. *& paullo poſt:* ſunt in eodem Scriptore ſingulis paginis aliqua caſtiganda & animadvertenda, ſed actum egerit, qui tale quid tentarit, niſi plane adſuetus dictioni ejus, & poſtquam totum aliquoties perlegerit; eſt enim Afrum in eo acumen & denſitas ſententiarum nodoſa & ſummo affectatoque ſtudio difficilis. Quae & cauſſa fuit, quare faciliori ſtylo non tam in Epitome redacti fuerint Caeſares ejus, quam prorſus explicati, & aliter loqui ipſe juſſus. Id quod veterem & cordatum etiam ſcriptorem feciſſe alibi oſtendimus.

GE-

JUDICIA.

GERARDUS JOHANNES VOSSIUS

De Hiſtoricis Latinis Lib. II. Cap. 15.

SEXTUS AURELIUS VICTOR itidem vixit temporibus Arcadii, & Honorii, ac de vitis Imperatorum Romanorum epitomen fecit: eamque ad Theodoſii uſque exceſſum perduxit. Contexta haec epitome eſt, cum ex Tranquillo, Eutropio, Ammiano, aliis: tum etiam Sexto illo Aurelio Victore, de quo ſuperius dictum. At non audiendus doctiſſimus Geſnerus, cum in priori Bibliothecae ſuae tomo ait, Eutropium ex hoc ſcriptore potiſſimum hauſiſſe, quae refert. Nam Eutropius claruit tempore Juliani; ut Victore hoc ſit vetuſtior. Suſpicor autem hiſtoricum noſtrum eum eſſe, cujus inter inſcriptiones veteres hoc fragmentum habemus:

——— JERUM. PRINCIPUM. CLEMENTIAM.
——— ANCTITUDINEM. MUNIFICENTIAM.
SUPERGRESSO.
D. N. FLAVIO THEODOSIO PIO. VICTORI.
SEMPER AUGUSTO.
SEXT. AURELIUS VICTOR V. C. URBI PRAEF.
JUDEX SACRARUM COGNITIONUM.
D. N. M. Q. E.

Sane tempora conveniunt; cum Theodoſii aetate vixerit; nec multo poſt Theodoſium & ipſe vita exceſſerit; ut qui in Theodoſii morte deſinat, ut diximus. Alius tamen fuerit, ſi hiſtoricus noſter non Victor dicebatur: ſed Victorius, aut Victorinus. Quod poſterius in tribus Aurelii hujus codicibus MSS. ſe reperiſſe ſcribit V. Cl. Andreas Schottus. Sane in Aurelia gente fuiſſe non Victores modo, ſed & Victorios, liquet ex antiquo lapide, quem Romae J. Lipſius exſcripſit, ubi legas, M. AURELIUS VICTORIV.... Mentio hujus hiſtorici ſit apud Paullum Diaconum de geſtis Longobardorum lib. II. cap. 18. his verbis: *Sunt qui Alpes Cottias & Apenninas, unam dicunt eſſe provinciam: ſed hos Victoris revincit Hiſtoria, quae Alpes Cottias per ſe provinciam appellat.* Locus Victoris, quem ſignat, eſt iſte in Nerone: *Pontum in jus provinciae, Polemonis Reguli permiſſu, redegit, a quo Polemoniacus Pontus appellatus eſt: itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo.* Sed veteres editiones in Paulli loco pro *Victoris*, ut eſt in MSS. habent *Victorini*. Ut nec ex hoc loco liqueat de vero ejus Hiſtorici nomine.

MARTINUS HANKIUS,

De Romanarum rerum Scriptoribus II. 5.

I. SEXTUM AURELIUM VICTOREM, cujus epitomen de vitis Imperatorum habemus, non eundem eſſe, de quo parte priori, cap. 29. egimus, ſatis liquet. Nam & diſpari ſcripſerunt ſtylo, & contrariis interdum ſententiis pugnant.

II. Praeterea noſter Aurelius, utrum *Victor*, an *Victorius*, an *Victorinus* cognomine audiat, eſt cur dubitetur. Ejus enim *de Imperatorum vitis* opuſculum, epigraphe in Petri Pithaei MSC. quod Andreas Schottus habuit, non expreſſis ultimis literis,

ris, *Sex. Aur. Victor.* at Petri Danielis & Jacobi Cujacii codices, *Sex. Aur. Victorini*, docuerunt esse.

III. Imo quid si prorsus alii, quam aut *Victori*, aut *Victorio*, aut *Victorino*, suam debeat originem? Inscriptio est: *De vita & moribus Imperatorum Romanorum, excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris, a Caesare Augusto usque ad Theodosium Imperatorem.* Suspicari possis, reliquorum Auctorum Suetonii, Eutropii, aliorumque (forsan signo quodam addito) omissis nominibus innui *Sextum Aurelium Victorem*, non per quem sed ex cujus aliorumque libris excerpta sint, quae subsequuntur. Nam hunc *Victorem* ex illo, de quo supra diximus, plura desumpsisse, conferentibus inter se libros utriusque patet. Ita, ut huic conjecturae nihil obstent, quae ex hoc scriptore, sub *Victoris* nomine ab antiquioribus quidem citata inveniuntur, quando in altero etiam *Victore* leguntur.

IV. Quemadmodum vero istius Epitomes Auctor incertus est: sic, qua vixerit aetate, non repertum nobis, quo demonstremus. Gerardo Joanni Vossio ad Theodosii, Arcadii & Honorii tempora lib. II. de Histor. Latinis cap. 15. refertur. Nos eundem propterea, quod historiam suam in Theodosii morte finiat, sub eodem ejusque successoribus filiis, Arcadio & Honorio, vixisse, (alio argumento destituti) non sustinemus asserere.

V. Saepius commemoratus liber incipit a Caesare Octaviano Augusto, cujus principatum ad Annum Urbis 722. qui est mundi 3919. ante C. N. 29. refert: definit in Theodosii primi excessu, qui in annum Urbis 1146. Christi 394. incidit.

INDEX EDITIONUM.

SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

ORIGINE GENTIS ROMANAE

PRODIIT

Antverpiae cum commentario Andreae Schotti ex officina Christophori Plantini 1579. *in* 8.

Francofurti ad Moenum Dionysii Halicarnassensis operibus insertus 1586. *in fol.*

Parisiis Onuphrii Panvini de Republica Romana commentariis subjunctus 1588. *in* 8.

Francofurti ad Moenum cum Friderici Sylburgii diversis locorum scripturis, Tomo primo Historiae Romanae scriptorum 1588. *in fol.*

Lugduni inter antiquae historiae auctores, quos Dionysius Gothofredus conjunxit 1591. *in* 16.

Francofurti ad Moenum cum commentario Andreae Schotti, Cornelio Nepoti subjunctus, apud Claudium Marnium & haeredes Johannis Aubrii 1608. *in fol.*

Hanoviae cum Jani Gruteri Notis Tomo secundo historiae Augustae scriptorum 1610. *in fol.*

Lugduni Batavorum & Amstelodami cum commentario Andreae Schotti apud Danielem, Abrahamum, & Adrianum a Gaasbeek 1670. *in* 8.

Parisiis cum interpretatione & notis Annae Tanaquili Fabri filiae in usum Delphini 1681. *in* 4.

Trajecti cura Pitisci 1699. *in* 8.

SEX-

SEXTUS AURELIUS VICTOR
DE
VIRIS ILLUSTRIBUS
PRODIIT

Mediolani 1509.
Lipsiae cum scholiis Dominici Machanaei 1516. *in* 4.
Basileae a multis mendis repurgatus, & novis commentariis illustratus sub Plinii minoris nomine, per Conradum Lycosthenem 1547. *in* 8. *&* 1563. *in fol.*
Antverpiae 1579. *in* 8.
Francofurti ad Moenum cum Friderici Sylburgii diversis locorum scripturis, Tomo primo historiae Romanae scriptorum 1588. *in fol.*
Francofurti ad Moenum cum commentario Andreae Schotti, Cornelio Nepoti sub ejusdem nomine subjunctus apud Claudium Marnium & haeredes Johannes Aubrii 1608. *in fol.*
Hanoviae cum Jani Gruteri notis Tomo secundo historiae Augustae scriptorum 1610. *in fol.*
Parisiis Floro & Rufi breviario junctus apud Johannem Libert 1626. *in* 24.
Lugduni Batavorum & Amstelodami cum commentariis Andreae Schotti, Dominici Machanaei, & Jani Gruteri apud Danielem, Abrahamum, & Adrianum a Gaasbeek 1670. *in* 8.
Parisiis cum interpretatione & notis Annae Tanaquili Fabri filiae in usum Delphini 1681. *in* 4.
Trajecti cura Pitisci 1699. 8.

SEXTUS AURELIUS VICTOR
DE
CAESARIBUS
PRODIIT

Antverpiae cum commentario Andreae Schotti ex officina Christophori Plantini 1579. *in* 8.
Francofurti ad Moenum cum Friderici Sylburgii diversis locorum scripturis Tomo primo historiae Romanae scriptorum 1588. *in fol.*
Hanoviae cum Jani Gruteri notis Tomo secundo historiae Augustae scriptorum 1610. *in fol.*
Lugduni Batavorum & Amstelodami cum commentariis Andreae Schotti, & Jani Gruteri apud Danielem, Abrahamum, & Adrianum a Gaasbeek 1670. *in* 8.
Parisiis cum interpretatione & notis Annae Tanaquili Fabri filiae in usum Delphini 1681. *in* 4.
Trajecti cura Pitisci 1699.

SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

VITA ET MORIBUS

IMPERATORUM ROMANORUM

PRODIIT

Argentorati apud Matthiam Schurerum 1505.
Venetiis Suetonio subjectus apud Aldum 1516. 8.
Venetiis in corpore historico a Johanne Baptista Egnatio recognito apud Aldum 1519. *in fol.*
Basileae apud Frobenium 1530. *in* 8.
Basileae in corpore historico a Johanne Baptista Equatio recognito apud Frobenium 1533. *in fol.*
Lugduni apud Gryphium 1542.
Lutetiae Parisiorum apud Robertum Stephanum 1543. *in* 8.
Parisiis Justino subjectus 1558. *in* 16.
Pictavii ex recensione Æliae Vineti 1564. *in* 4.
Lutetiae Parisiorum Tomo secundo Historiae Romanae scriptorum apud Henricum Stephanum 1568. *in* 8.
Antverpiae cum commentario Andreae Schotti ex officina Christophori Plantini 1579. & 1582. *in* 8.
Lugduni cum Vineti castigationibus 1585. *in* 16.
Francofurti ad Moenum cum Friderici Sylburgii diversis locorum scripturis Tomo primo Historiae Romanae scriptorum 1588. *in fol.*
Heidelbergae apud Commelinum 1596. *in* 24.
Hanoviae cum Jani Gruteri notis Tomo secundo Historiae Augustae scriptorum 1610. *in fol.*
Lugduni Batavorum & Amstelodami cum commentariis Andreae Schotti, Æliae Vineti, & Jani Gruteri apud Danielem, Abrahamum, & Adrianum a Gaasbeek 1670. *in* 8.
Parisiis cum interpretatione & notis Annae Tanaquili Fabri filiae in usum Delphini 1681. *in* 4.
Trajecti cura Pitiſci 1699. 8.

SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

ORIGINE GENTIS ROMANAE

TR·POT·COS·II·
S·C·
ΗΡΑΚΛΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ
ET·IMPERIO ROMAE
HERC·ROM·COND·
COS·VIIII
ROMA
ORIGINI·AVG
XXII
TR·POT·COS·III·
ROMVLO CONDITORI

SEXTI AURELII VICTORIS

ORIGO

GENTIS ROMANAE,

A Jano & Saturno conditoribus, per ſuccedentes ſibimet Reges, usque ad conſulatum decimum Conſtantii, digeſta ex auctoribus Verrio Flacco, Antiate (ut quidem idem Verrius maluit dicere

Non dubito fore pleroſque, qui haec *Aurelii Victoris* eſſe negabunt, ejus qui conciſe Viros illuſtreis, copioſius vero atque elegantius Auguſtos pertractavit. Stylus enim, non malus auctorum index, repugnare videtur. Quoniam tamen in veteri codice MSC. eidem tribuuntur, quod Aurelii nomen & ἐπιγραφὴ, quod in Prolegomenis poſui, libelli titulum praecederet, eademque manu ſcripta omnia eſſent, & ante Hiſtoriam Auguſtam, *Secunda pars Aurelii Victoris*; fidem meam liberare volui, & integrum, ut reperi, Victorem repraeſentare. Illud forte movebit, quod initio *T. Livium* vocet recentiorem; & *memoriae noſtrae proclamans hiſtoria*, inquit extremo. Atqui Conſtantii & Juliani aequalis *Victor*, qui aliquot ſeculis a *Livio* abſunt. Dein, quem *Victorem Afrum* nominet, quaero. an ſeipſum, more Graecorum? ut *Herodotus* initio Hiſtoriae. Sed de his docti judicabunt. Cujus cujus tamen eſt fragmentum, viſum eſt non indignum, quod in manus hominum veniret, propter & veterum, qui interciderunt, auctorum reliquias hic inſperſas, & Annalium Pontificum fragmenta: quae omnia temporis injuria deperdita quotidianis paene conviciis efflagitant homines eruditi. Tum quia *Virgilio* illuſtrando erit: quare cum illo & *Dionyſii Halicarnaſſei* & *Livii* libro 1. diligens lector componet. Nihilo certe meliora ſunt, quae falſo *Meſſallae Corvini* nomine circumferuntur de progenie Octaviani Auguſti & *Donati* titulo, vita *Virgilii*, *Terentii*, & de Comoedia Rhapſodiae. SCHOTT. Quaecumque ad hujus auctoris potiſſimam emendationem illuſtrationemque faciunt, petenda omnino ab amiciſſimo noſtro *Andrea Schotto*. adeo enim uberrimis notis *Victorem* egregie adornavit, ut nihil mihi fere reliquerit, niſi ut induſtriae ipſius faveam atque adplaudam: tanto quidem magis quod bina modo haberem ad manum hujus ſcriptoris exemplaria, eaque notae non nimium electae; certe ſcripturae recentis: quaeque ſolummodo continerent *Viros illuſtres*, non etiam *Caeſares*, aut iſtud de *Origine urbis*. GRUT.

Uſque ad conſulatum decimum Conſtantii.] Ergo titulus iſte non pertinet tantum ad hunc libellum, qui inſcribitur *Origo Gentis Romanae*, ſed etiam ad duos illos ſequentes, qui de *Viris Illuſtribus*, & de *Caeſaribus* inſcripti ſunt. Quorum poſterior uſque ad conſulatum decimum Conſtantii Auguſti & Juliani Caeſaris tertium perducitur. Unde liquet quartum illum *de vita & moribus Imperatorum Romanorum*, qui *Epitomes* nomine circumfertur, ab alio Victore ſcriptum fuiſſe, quippe qui in Theodoſii morte deſinat. Sed de hoc poſtea dicetur, cum ad eum ventum erit. ANNA.

Antiate.] *P. Valerium* forte intelligit, quem neſcio quamobrem *Antiam* non *Antiatem* cognominari voluit. Meminit illius *C. Plinius* in praefatione Naturalis Hiſtoriae (tametſi *Turnebus* aliud ſubjiciat) *Livius*, caeteri. Nam de patria *Verrii Flacci*, Antiasne fuerit mihi N. L. SCHOTT.

Verrio Flacco Antiate.] Si mendo caret locus, *Verrii Flacci* patria fuit Antium. Sed cum *Suetonius* in ejus vita nullam patriae mentionem faciat; nec alii quoque vel hiſtorici vel grammatici; (quod ego quidem ſciam) non abſurde forſan aliquis legendum exiſtimarit, *Verrio Flacco, Valerio*.

re quam Antia) tum ex Annalibus Pontificum; dein Cnaeo Egnatio Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Caesare, Tuberone, atque ex omni priscorum historia; proinde ut quisque neotericorum

lerio Antiate. nam *Valerii Antiatis* crebra fit mentio, non tantum apud alios cum Latinos tum Graecos Scriptores, sed etiam in hoc ipso libello infra, cap. XIX. SYLBURG. Quid? an *Verrium* Antiatem vocat? dubito. Neque satis liquet Antiasne fuerit *Verrius*. Forsan sic distinguendum: *Verrio Flacco, Antiate.* Ita ut per *Antiatem Q. Valerius* intelligendus sit, qui Antias fuit, & Annales reliquit, quorum librum LXXIV. citat *Priscianus* in IX. & LXXV. *Gellius* lib. VII. cap. IX. ex quo etiam multa *Livius*. ANNA. Sic recte haec distinguit doctissima Femina *Sylburgii* & *Schotti* secuta sententiam, cum separat duos, quos pro uno male acceperunt Editores. Atque ita melius editum apud *Plinium* in Catal. libr. XXXIII. *L. Pisone, Antiate, Verrio.* libr. XXXIV. & alibi. Erit hic *Q. Valerius Antias*, cujus mentionem etiam facit *Gellius* libr. I. Noct. Att. cap. VII. & III. VI. & alii, de quibus conferendus *Vossius* in Hist. Lat. ARNTZ.

Ut quidem idem Verrius maluit.] *Verrius Antiatem* maluit dicere quam *Antiam:* utinam ad nos pervenisset locus ille *Verrii*, ubi de hoc disputabat: neque enim apud ullum usquam scriptorem me *Antias, as*, legisse memini, sed semper *Antias, Antiatis. Livio* & aliis ab Antium, quae urbs est in Latio, est *Antias Antiatis*, ut ab Arpinum Hirpinorum urbe, est *Arpinas, atis, Ciceroni, Plinio*, &c. ANNA.

Annalibus Pontificum.] Annales Pontificum monumenta erant, quae dierum, & totius anni rerumque in eo gestarum descriptionem continebant, a Pontifice Maximo scripta, quae & ideo Annales maximi nominantur. *Cic.* de Oratore: *Erat initio historia nihil aliud nisi Annalium confectio. Cujus rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum, usque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Dicebantur etiam ii Annales, *Pontificalium libri*, & *indigitamenta* & *Commentarii Pontificum*. ANNA.

Cnaeo Egnatio Veratio.] Aliis *Cnaeus Egnatius Verrinus;* hic semel tantum in hujusce operis fine laudatur. *Contra*, inquit, *Egnatius libro primo, in ea contentione non modo Remum non esse occisum, sed etiam*, &c. Quare male *Joannes Metellus* asseveravit *Veratium* in hoc opere non laudari, qui non vidit ibi *Egnatium* eum esse, qui hic *Cnaeus Egnatius Veratius* dicitur. ANNA.

Fabio Pictore.] Historico, qui *Quinctus Fabius Pictor* dictus est. Annales scripsit & historiam, sed ejus Annales tantum laudat *Victor*. Hunc & *Livius* & *Dionysius Halicarnasseus* sequuti sunt. ANNA.

Licinio.] Qui *C. Licinius Macer* dictus est. Annales scripsit, ex quibus multa *Livius*. Quaedam etiam *Nonius* in voce *lues, luculentum, patibulum*. In veteri libro scriptum erat *Licinio, Marco Varrone*, sed melius aliter. ANNA.

Marco Varrone.] Sic vetus liber, sed ego *Licinio Macro* legendum putabam. SCHOTT. Vet. Lib. *Licinio, Marco Varrone.* Sed *Schotti* lectio procul dubio verior est. meminit autem *Licinii Macri* & hic Libellus infra cap. XIX. & *Dionysius Halicarnasseus* aliquoties. SYLBURG. Is est *M. Terentius Varro*, cujus libri sex de lingua Latina, & de re rustica libri tres ad nos pervenerunt. Multa alia scripserat; sed hic ejus Annales tantum, vel etiam librum de gente Populi Romani a *Victore* signari verisimile est. ANNA.

Caesare.] Quis sit iste *Caesar* incertum videri queat, quippe qui in totius operis serie nunc *Caesar*, nunc *Julius Caesar*, nunc *Lucius Caesar* dicitur. Dubitavit doctissimus *Vossius*, utrum pro *Lucio, Cajus*, an pro *Cajo, Lucius* debeat reponi: Nam multi fuere Lucii Caesares. Ut Lucius Caesar Augusti ex Julia nepos; Item atavus Caesaris dictatoris, & atavi hujus pronepos, & pronepotis ejus filius, & alii quos a *Victore* signari non puto. Sed potius *C. Julium Caesarem* dictatorem, quem, cum tam multa scripserit, ut vel ex *Suetonio* certum est, non mirum videri debet quaedam etiam de *Origine gentis Romanae* edidisse, quando Julia gens ortum suum ducere credita est ab eodem Julo, sive Ascanio, a quo urbis conditor Romulus genus traxit. Pro hac sententia facit, quod hic modo Cajus Caesar, modo Julius Caesar dicitur. Nam de locis, ubi *Lucius* scriptum est, in iis *Julius* rescribendum esse me doctis probaturam puto, cum tam proclivis sit corruptio i. in l. & vice versa l. in i. ANNA.

Tuberone.] Hic est *Q. Aelius Tubero* qui historiam conscripsit, quam hic signat, qui haec scripsit. Ex ea quaedam etiam *Livius*, lib. IV. & X. *Charisius, Gellius, Nonius*, &c. ANNA.

Atque

corum aſſeveravit, hoc eſt, & Livius & Victor Afer.

Atque ex omni priſcorum hiſtoria.] Velut ex *Ennio*, *Caſſio Alexandro*, *Ephefio*, *Lutatio*, *Vulcatio*, *Acilio Piſone*, *Sempronio*, *Domitio*, *Octavio Catone*, *A. Poſtumio*, *Auſidio*, *Vennonio*, *Annio*, *Gellio*, qui omnes in hoc opere laudantur. ANNA.

Neotericorum.] Id eſt *recentiorum*, vox Graeca *Neotericus*, ſed hanc in veteribus fruſtra quaeras. ANNA. *Aſcon. Pedian.* ad *Cic.* divin in Verr. p. 22. *Hoc quidem leviter a Cicerone dictum & neoterice putant.* In ſequenti nota quid de *Aſtonio* cogitet, qui poſt *Aurelium Victorem* fuiſſet, neſcio, cum ille aetate longe praeceſſerit. ARNTZ.

Victor Afer.] Quaerunt viri docti an iſta ſcripſerit *Victor* ille *Afer*, qui ſequentes duos libellos *de Viris Illuſtribus*, & *de Caeſaribus* exaravit, qui ſe ipſum *Victorem Afrum* vocet, more Graecorum; ſed multa repugnant: quare cum doctiſſimo *Voſſio* cogitandum eſt argumentum iſtud & libellum de *Origine gentis Romanae* ab aliquo congeſtum fuiſſe, qui poſt *Aurelium Victorem* fuerit, ſive is ſit *Aſconius Pedianus*, ſive alius quis. ANNA.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Saturnum primum credi in Italiam veniſſe: quantaque antiquorum hominum ſimplicitas fuerit. Certum tamen eſſe, Janum in Italiam priorem adveniſſe. Virgilii locus illuſtratus. Primus *apud Poëtam aliquoties pro principe.*

Primus in Italiam creditur veniſſe Saturnus, ut etiam Maronis Mu- 1
ſa teſtatur illis verſibus:

Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exſul ademtis. &c.

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuiſſe 2
ſimplicitas, ut venientes ad ſe advenas, qui modo conſilio ac ſapientia praediti, ad inſtruendam vitam, formandosque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes, atque originem ignor abant, coelo &

1 *Arma Jovis.*] Qui eum regno fugaverat. ANNA. *Virgilii* locus exſtat Aen. VIII. verſ. 319. SYLBURG.

2 *Conſilio.*] Pro judicio, quomodo hanc vocem hic eſſe exponendam monuit *Barthius* XIII. Adv. XVI. & XXI. II. cui adde *Scalig.* ad *Manil.* libr. IV. verſ. 889. ARNTZ.

Coelo & terra editos.] Qui illuſtre aliquod beneficium primo mortalium generi praeſtitiſſent, ut Cererem repertis & frugibus & agricultura, ἀνοδίοις quadam homines illi conſecrarunt, coeloque donarunt: quod inde originem traxiſſe, & tanquam Numina coelo delapſa mortalium bono, ſtulte crederent, eorumque parentes ignorarent; aut ex inopinato ipſi apparuiſſent. *Tertull.* Apologetico. Sed ne aliorum ſcrinia compilare videar, lege *Eraſmum* Chiliaſten & *Cael. Rhodig.* lib. XX. cap. XXIIX. Illud addam ex eodem *Tertulliani* libro: *Saturnum*, inquit, *quantum literae docent, neque Diodorus Graecus* (ſic enim leg. alii docuerunt, non *Theodorus*) *aut Thallus: neque Caſſius Severus, aut Corn. Nepos, neque ullus commentator hujusmodi Antiquitatum, aliud quam hominem promulgarunt.* Quod *Minutius Felix* in Octavio exſcripſit, & *Lactantius* lib. 1. cap. XIII. Divinar. Inſtitut. ut in Fragmentis

& terra editos, non ſolum ipſi crederent, verum etiam poſteris affirmarent, veluti hunc ipſum Saturnum, quem Coeli & Terrae filium
3 eſſe dixerunt. Quod cum ita exiſtimetur, certum tamen eſt, priorem Janum in Italiam deveniſſe, ab eoque poſtea venientem exceptum
4 eſſe Saturnum. Unde intelligendum eſt, Virgilium quoque non ignoratione veteris hiſtoriae, ſed ſuo more, *primum* dixiſſe Saturnum, non ante quem nemo, ſed *principem:* ut

- - - Trojae qui primus ab oris.

5 Cum procul dubio conſtet ante Aeneam priorem Antenorem in Italiam eſſe pervectum, eumque non in ora litori proxima, ſed in interioribus locis, id eſt, Illyrico urbem Patavium condidiſſe, ut quidem

Corn. Nepotis diximus. SCHOTT. De Coelo & Terra genitis notavit idem *Schottus* ſcitu non indigna. propterea vero talibus Coelum patrem tribuit antiqua ſuperſtitio, quia coeleſte illis, non terreſtre nec craſſum ingenium, ut ceteris hominibus, ineſſe vidit. SYLBURG. Quos tantum Deos tunc noverant homines. Caeterum non tantum apud antiquos illos homines rudes & agreſtes invaluit mos iſte, ut eos, quorum originem ignorarent, quique grande aliquod beneficium hominibus praeſtitiſſent, Deos & a Diis ortos eſſe crederent: nam idem Lyſtreni de D. Paulo & Barnaba; Idem & alii credidere, ut ex ſacris literis notum eſt. ANNA.

Veluti hunc ipſum Saturnum.] Qui cum homo eſſet & a Creta veniret, ob vitae integritatem & a Diis ortus, & a Coelo lapſus creditus eſt. ANNA.

Coeli & Terrae filium.] *Orpheus* de Saturno.

Γαίης τε βλάστημα καὶ ἀστερίου Οὐρανοῖο.

Id eſt, *terraeque incrementum & coeli luciſti.* Quamvis eum alii Oceani & Tethyos filium dicant. ANNA.

3 *Priorem Janum in Italiam deveniſſe.*] Imo & ante Saturni adventum Janiculum condiderat. Vid. *Ovid.* lib. 1. Faſt. ANNA.

Ab eoque poſtea, &c.] *Ovidius* loco ſupra laudato ſic Janum loquentem inducit.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Coelitibus regnis ab Jove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen:
Dicta quoque eſt Latium terra, latente Deo.
Ipſe ſolum colui, cujus placidiſſima laevum
Radit arenoſi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma eſt, incaedua ſylvae virebat.
Tantaque res paucis paſcua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem vulgus nomine noſtro
Nuncupat, haec aetas Janiculumque vocat.

ANNA.

4 *Non ignoratione veteris hiſtoriae.*] Nam & veterem hiſtoriam non ignoraſſe *Virgilium* teſtatur locus ille VII. Aeneid. verſ. 178. de Regia Pici, ubi veterum avorum effigies e cedro ſtabant ex ordine.

- - - Italusque, paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnusque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo aſtabant, aliique ab origine reges, &c. ANNA.

Sed principem.] Hoc eſt, inter primos, eodem modo Graeci dicunt Διὰ θεάων, πρώτιστα θεάων, divina Dearum, prima Dearum, id eſt, inter primas Deas. ANNA.

Trojae qui primus.] Initio lib. 1. Aeneid. quanquam ibi *Primus* ad *Lavinaque littora*, referri poſſe videatur, ut *Virgilius* dicat Aeneam primum veniſſe Lavina littora. Nam alio alii appulere. Sed melius primus, *princeps* inter primos, ut ſupra, ſic eodem lib. verſ. 27.

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris geſſerat Argis.

Prima, id eſt, in primis, nam ante Junonem primus ad Trojam bellum geſſerat Hercules. Sic ſemper *Virgilius*, & optime noſter ſupra dixit *more ſuo.* ANNA. *Primum* vero pro principe dici non admodum tritum eſſe cenſet *Barth.* XXXIII. Adv. 21. & XXXIX. 10. *Virgil.* tamen ita paſſim. Vide ad eum *Serv.* libr. 1. Aeneid. verſ. 24. & libr. II. verſ. 636. Eleg. *Broukh.* ad *Prop.* 1. VII. 3. *Ovid.* IV. Her. 117.

Prima ſecurigeras inter Virtute Puellas
Te peperit.

adde ib. verſ. 39. & XVI. 257. *Terent.* Eun. 1. II. 10. & *Stat.* IV. Theb. 810. ARNTZ.

5. *Priorem Antenorem.*] Neque tantum Antenorem, ſed Capyn, Politem, &c. ANNA.

Urbem Patavium.] Quam de ſuo nomine *Ante-*

neno-

dem idem Virgilius illis verſibus ex perſona Veneris, apud Jovem de aerumnis Aeneae ſui conquerentis:

Antenor potuit mediis elapſus Achivis
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus. &c.

Quare autem addiderit *tutus*, ſuo loco pleniſſime annotavimus in commentatione, quam hoc ſcribere coepimus, cognita ex eo libro, qui inſcriptus eſt, De origine Patavina. Itaque nunc, *Primus*, ex ea quoque ſignificatione eſt, e qua illud in ſecundo Aeneidos, de enumeratione eorum, qui equo Durio digrediebantur. Nam cum nominaſſet Theſſandrum, Sthenelum, Ulyxem, Acamanta, Thoanta, Neoptolemum; poſt intulit, *Primusque Machaon* De quo quaeri poteſt, Quomodo poteſt *primus* dici, poſt tantos qui ſupra dicti

6 7 8 9

tenoriam vocavit, civesque *Antenoridas*; ſed mox *Patavium* & poſtremo *Padua* fuit appellata. ANNA.

Antenor.] Lib. 1. Aeneid. verſ. 246. locum adi. ANNA.

Illyricos penetrare ſinus.] In mari Adriatico. Sinus autem pluraliter, quia mare illud ob diverſa promontoria in plures diſtribuitur ſinus. ANN.

6 *Quam hoc ſcribere coepimus.*] Mihi hic locus corruptus videtur: neque enim ita quemquam loquutum arbitror, *quam hoc ſcribere coepimus* pro *antequam hoc*, &c. Fuere qui legerent *quam ſcribere occepimus*. Id eſt, *quam commentationem*. Sed quomodo cognitam commentationem diceret, quae tantum ſcribi coepta ſit? Dicet quis eam in plures partes dividi & primam vulgari potuiſſe, id vero nil aliud eſt, quam ſe argutum facere. Suſpicor ſcriptum fuiſſe: *Quum hoc ſcribere coepimus*, &c. in commentatione illa cognita, quum libellum hunc ſcribere coepimus, ex eo libro, &c. ANNA.

De origine Patavina.] Ex hoc loco conjecit *Joannes Metellus* hujus libelli auctorem eſſe *Aſcotium Pedianum*. Erat enim Patavinus *Aſconius*, quo nomine eum potius quam alium ſuae gentis originem ſcripſiſſe veriſimile eſt. Sed de his judicium ſuum ferre nimis periculoſum eſt. Hoc unum dicam non ſatis liquere Patavinum *Aſconium* fuiſſe. Nunc ut ad librum de origine Patavina revertamur, eum jam olim periiſſe neceſſe eſt, cum nullam ejus ullibi mentionem factam reperias, ne apud Commentatores quidem *Virgilii*: qui ſi librum illum vidiſſent nihil equidem de Commentatione illa, quae ad vocem *tutus* ſcripta fuerat, tacuiſſent. Nihilominus tamen cuivis in aperto eſt, cur *Virgilius* addiderit *tutus*, ſcilicet ad augendam invidiam, quaſi diceret: Anterior proditor ille patriae, non modo ſinus Illyricos & intima regna Liburnorum penetravit, ſed & *tuto* penetravit. Aeneas vero, ille pius Aeneas non modo Italis longe disjungitur oris, ſed infandum, navibus amiſſis tempeſtati obnoxius huc & illuc miſere vagatur. His ſimilia in Commentatione illa ſcripta fuiſſe certum eſt. ANNA.

7 *Equo Durio.*] *Durio*, id eſt, *ligneo*. δύειος *ligneus*, δύον enim *lignum*. ANNA.

Digrediebantur.] Malim *degrediebantur*. ARNTZENIUS.

8 *Nam cum nominaſſet.*] Lib. 11. Aeneid.

- - - Letique cavo ſe robore promunt
Tiſandrus, Sthenelusque duces & divus Ulixes,
Demiſſum lapſi per funem: Athamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus.

ANNA.

Theſſandrum] *Tiſandrum* in margine repoſuerat *Schott.* & *Sylburgius* ejus veſtigiis inſiſtens ex *Virg.* 11. Aen. 261. Sed vide ibi *Pierium*. & *Theſſandrum* quoque exhibent ſcripti Codices *Virgilii*, quos vel ego vel alii inſpexerunt. ARNTZ.

Athamanta.] Et hic & apud *Virg.* legendum *Acamas* non *Athamas* recte vidit Nobil. *Heinſius* ad *Sabin.* Ep. 11. verſ. 23. Fuit ille Demophoontis frater, quocum ad bellum Trojanum fuit profectus, quare hos duos jungit *Dict. Cret.* de Bell. Troj. libr. 1. cap. XIV. *Poſtremo omnium Demophoon atque Acamas fuere.* Adde Erud. *Muncker.* ad *Hygin.* fab. CVIII. Quare hanc vocem *Pierii* auctoritate ſuffultus merito in *Virgilii* contextum admiſit *Maasvicius*, id quod hoc loco imitari maluimus. ARNTZ.

dicti sunt? Verum intelligemus *primum* pro principe, vel quia is ad perfectum illis temporibus circa peritiam medicae artis praecipuus fuisse traditur.

9 *Ad perfectum.*] Inclusa haec *Schotto* videntur redundare. SYLBURG. Quid hoc? *Praecipuus ad perfectum circa peritiam medicae artis?* dele modo *ad perfectum*. ANNA. Quae ita sentit ex conjectura *Schotti* margini apposita, sed *ad perfectum praecipuus* recte exponi potest, pro omnino praecipuus, qui sine dubio, illis temporibus, reliquis omnibus palmam praeriperet. Sic *August.* libr. XI. de Civ. Dei c. 28. *Iste deficiat, quo male vivimus, donec ad perfectum sanetur.* nec multum abit *Livius* XXIII. 2. *Improbus homo, sed non ad extremum perditus*, id est, qui nondum ad summum inprobitatis & scelerum gradum adscenderat. Ceterum de Machaone, & quid in arte medendi valuerit confer *Celsum* init. praef. libr. I. ARNTZ.

Praecipuus fuisse traditur.] Nam & Aesculapii filius erat. ANNA.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Jani nativitas, & in Italiam adventus. Janiculum urbs ab eo condita.

1 Sed ut ad propositum revertamur, ferunt Creusam Erechthei Regis Atheniensium filiam speciosissimam, stupratam ab Apolline enixam puerum, eumque Delphos olim educandum esse missum, ipsam vero a patre, istarum rerum nescio, Xipheo cuidam comiti collocatam. 2 Ex qua cum ille pater non posset exsistere, Delphos eum petiisse ad consulendum oraculum, quomodo pater fieri posset. Tum illi

1 *Ferunt Creusam.*] Nescio sane unde hanc fabulam hausit Scriptor noster. Ea certe perquam ridicula est. Quis enim Erechtheum Atheniensium regem & Apollinem ante Janum. Imo & Janum Apollinis filium ferat. Quid ergo Janus apud *Ovid.* 1. Fast.

Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant.

ANNA.

Xipheo.] q. c. *Xutho*: & mox, *copulatam*. Creusae Erechtheidis ab Apolline vitiatae, meminit etiam *Pausanias* in Atticis, 26, 37. meminit item *Xuthi* ab Erechtheo ad filiae connubium adsciti, in Achaicis, 205, 28. Sed hujus historiae non meminit. non multum absimilis historia narratur ab eodem in Arcadicis 239. 17. de Auge Alei filia ab Hercule compressa. SYLBURG. Si libri ulli sunt in quibus restat *Xutho*, utique sequendi. Fabula autem isthaec, non tam enucleatur ex *Pausaniae* Atticis atque Achaicis, quam ex *Euripidis* Ione; quae necessario consulenda. GRUT. Lege *Xutho*. Xuthus enim Hellenis & Orseidos Nymphae filius, Creusam Erechthei filiam duxit. *Apollod.* lib. I. Ἕλληνος δὲ καὶ νύμφης Ὀρσηΐδος, Δῶρος, Ξοῦθος, Αἴολος. Αὐτὸς μὲν οὖν ἀφ' αὐτοῦ, τοὺς καλουμένους Γραικοὺς προσηγόρευσεν Ἕλληνας. τοῖς δὲ παισὶν ἐμέρισε τὴν χώραν, καὶ Ξοῦθος μὲν λαβὼν τὴν Πελοπόννησον, ἐκ Κρεούσης τῆς Ἐρεχθέως Ἀχαιὸν ἐγέννησε, καὶ Ἴωνα, ἀφ' ὧν Ἀχαιοὶ καὶ Ἴωνες καλοῦνται. Id est. *Ex Hellene autem & Orseide Nympha nati sunt Dorus, Xuthus & Aeolus. Is quidem de se Hellenas, qui postea Graeci vocati sunt, nominavit: filiis vero loca partitus est. Xuthus adeptus Peloponnesum ex Creusa Erechthei filia Achaeum genuit & Ionem, a quibus Achivi & Jones nuncupantur.* ANNA.

Collocatam.] Al. *copulatam* legere, monuit in margine *Schottus*.

4 *Jani-*

illi Deum respondisse, ut quem postero die obviam habuisset, eum sibi adoptaret. Itaque supra dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obviam illi fuisse, eumque adoptatum. Cum adolevisset non contentum patrio regno, cum magna classe in Italiam devenisse, occupatoque monte, urbem ibidem constituisse, eamque ex suo nomine Janiculum cognominasse.

4 *Janiculum.*] In regione Transtiberina, ad laevum latus Tiberis. ANNA.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Saturni profugi in Italiam adventus. Saturnia arx condita. Agriculturae inventio, ferique homines ad vitam compositam reducti a Saturno. Usus signandi aeris, & monetae cudendae repertus: ejusque prima forma. Caput, *aut* navem, *aleatorum optio unde exorta. Aerarium Saturni. Saturno tam bene merito de priscis Italis, cur tamen Jano in sacris omnibus primus locus delatus.*

Igitur Jano regnante apud indigenas rudes, incultosque, Saturnus regno profugus, cum in Italiam venisset, benigne exceptus hospitio est, ibique haud procul a Janiculo arcem suo nomine Saturniam constituit. Isque primus agriculturam edocuit, ferosque homines & rapto vivere assuetos, ad compositam vitam eduxit. unde Virgilius in octavo sic ait: 1 2

Haec nemora indigenae Fauni, Nymphaeque tenebant,
Gensque virum truncis, & duro robore nata:

Queis

1 *Saturniam.*] In regione Cistiberina, in monte Tarpejo, *Varr.* lib. IV. de L. L. *Antiquum oppidum in hoc monte Tarpejo fuisse Saturniam scribitur.* Hic mons *Saturnius* etiam dictus fuit. ANNA. Minus tamen accurate *arcem* a nostro vocari, cum reliqui *urbem* dicant, putat *Rycquius* de Capit. cap. II. p. 15. *Minuc. Fel.* Octav. cap. XXII. *Urbem Saturniam dedit* (an *condidit*) *de suo nomine.* Sed eo respectu *arx* dici potest, quod posita fuit in & ad montem illum, in quo postea stetit Capitolium, ut magis arcis quam urbis speciem praeberet. & imitatur *Virgilium* suum VIII. Aen. 358.

Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Adde *Varronem* loco ab *Anna* laud. ARNTZ.

2 *Rapto Vivere.*] Recte, quod alii *ex* seu *de rapto. Liv.* VII. 25. *Quos rapto vivere necessitas cogeret.* XXII. 39. *In diem rapto vivit.* XXVII. 12. *Pars maxima rapto vivere hominum adsuetorum. Silius Ital.* libr. II. vers. 501.

- - - More ferarum
Viventes rapto populos.

Just. XLI. 4. 7. *Curt.* III. 10. 9. & alibi. pro *eduxit* forte *traduxit* reponendum in margine monuerat *Schottus.* vide *Virg.* l. l. vers. 314. ARNTZ.

Haec nemora.] Vet. Cod. *haec loca* contra metri legem. Petitus autem locus est ex Aen. I. vers. 314. SYLBURG.

Indigenae.] ἀυθιγενεῖς, id est, Ibi nati, geniti, nec aliunde advecti. ANNA.

Truncis

Queis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.

3 Omissoque Jano, qui nihil aliud quam ritum colendorum Deorum religionesque induxerat, se Saturno maluit annectere, qui vitam moresque feris etiam tum mentibus insinuans ad communem utilitatem, ut supra diximus, disciplinam colendi ruris edocuit; ut quidem indicant illi versus:

Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit; Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

4 Istum etiam usum signandi aeris ac monetae in formam incudiendae ostendisse traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, 5 altera navis, qua vectus illo erat. Unde hodieque aleatores posito nummo opertoque, optionem colludoribus ponunt enuntiandi quid putent

Truncis & duro robore.] Quod homines primum in cavis arboribus & speluncis habitarent. *Lucret.* lib. v.

Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atque cavos montes, silvasque colebant;
Et frutices inter condebant squalida membra.

Inde eos Poëtae arborum truncis & duris quercubus natos fabulati sunt. ANNA.

Queis neque mos, neque cultus.] *Lucret.* Ibid.

Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti.

ANNA.

Sed rami.] *Lucret.* Ibid.

Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

ANNA.

Atque asper victu.] Junge *victu* cum *alebat*: & *alebat victu* nil aliud est, quam *alebat*. ANNA.

3 *Se Saturno maluit annectere.*] Quis se maluit annectere? Gens illa virum truncis & duro robore nata? vix hanc scribendi rationem probabunt eruditi. ANNA.

Insinuans ad.] Lego: *mentibus insinuans ad comm.* vulgo legitur *insinuasse*, sensu imperfecto, cui supplendo *Schottus* addidit, quod in MS. deest: *dicitur &.* minus abit nostra emendatio. SCRIVERIUS & ANNA. Et certe multo felicior & ad litterarum ductum accommodatior est conjectura *Scriverii*, quam ideo in contextum recipere malui, cum certum sit, Manuscriptum hoc loco fuisse corruptum. ARNTZ.

Latiumque vocari.] *Ovid.* 1. Fast.

Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.

ANNA.

4 *Istum.*] Ex hac voce binae faciendae videntur. *Is tum.* GRUT. *Istum*, Saturnum scilicet. al. legunt *is tum.* ANNA. Sed liberemus auctorem ab errore, cum *istum* referendum sit ad *usum* non enim indicare vult *Saturnum*, sed *Janum* hanc formam excutiendi aeris invenisse: *Serv.* ad *Virg.* VIII. Aen. 357. Si Saturnum vel Janum voluisset intelligi, *iste* dixisset. ARNTZ.

Caput ejus.] *Jani*, non Saturni. De hoc aere, ubi ab una parte forma Jani biceps, & ab altera ratis erat impressa, *Ovid.* 1. Fast.

- - - Sed cur navalis in aere
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici possis in imagine, dixit;
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis superest. Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
At bona posteritas puppim formavit in aere
Hospitis adventum testificata Dei.

ANNA.

5 *Posito nummo opertoque.*] Non solum posito & operto, sed & in altum jacto. Utroque modo hodieque fit. ANNA.

Navi-

tent ſubeſſe, caput aut navem, quod nunc vulgo corrumpentes naviandi dicunt. Aedes quoque ſub clivo Capitolino, in quo pecuniam 6
conditam habebat, Aerarium Saturni hodieque dicitur. Verum quia, 7
ut ſupra diximus, prior illuc Janus advenerat, cum eos poſt obitum divinis honoribus cumulandos cenſuiſſent, in ſacris omnibus primum locum Jano detulerunt; usque eo, ut etiam, cum aliis Diis ſacrificium fit, dato ture in altaria, Janus prior nominetur, cognomento quoque addito Pater, ſecundum quod noſter cognomento ſic intulit;

Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem.

Ac ſubindit:

Janiculum huic; illi fuerat Saturnia nomen.

Eique (eo quod mire praeteritorum memor, tum etiam futuri) dixerit:

Rex arva Latinus, & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.

Naviandi dicunt.] Aut deeſt vox, aut *naviam* legendum, qua de *Feſtus Pompejus*: *Navia ex uno ligno exſculpto; ut navis, quo utuntur alveo in vindemia.* & *Macrob.* lib. 1. Saturn. cap. 7. his gemina refert. *Janus*, inquit, *cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. Cum primus quoque aera ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret. Aes ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleae luſu, cum pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut naviam, luſu teſte vetuſtatis, exclamant.* Sic enim in MSS. quatuor integre legi, non *navim*, teſtantur *Pithoei* fratres doctiſſimi. Hodieque in uſu eſt ille luſus: Galli vocant *jover a croix ou pile*. Ceterum de ſignato aere primum a Jano, vel, ut alii, a Saturno, *Athenaeus* lib. xv. *Plutarchus* Problematis: *Plinius* lib. xxxiii. cap. 3. *Ovid.* 1. Faſtor. & *Lactantius* lib. 1. Divin. Inſtit. De Quadrante Ratito *M. Terent. Varro* lib. iv. de LL. & *Feſtus Pompejus*. SCHOTT. Aut deeſt quidpiam, aut legendum *naviam*. de quo vocabulo viſe quae *Schottus* ex *Feſto* & *Macrob.* adnotat. SYLB.

6 *Aerarium Saturni.*] Cave credas aeratium fuiſſe Saturni tempore, nam ejus aedem primus aerarium fecit Valerius Publicola. ANNA.

7 *Janus prior nominatur.*] *Horat.* Epiſt. lib. 1. 16.

Quandocumque Deos vel porco vel bove placas;
Jane Pater, clare, clare cum dixit, Apollo,
Labra movet metuens audiri.

Vide *Ovid.* 1. Faſt. & *Macrob.* Saturn. lib. 1. cap. 9. ANNA.

Cognomento quoque addito Pater.] Ut & Deos omnes PATRES appellabant. Quamvis Janum propria appellatione, non honoris tantum gratia, *Patrem* appellatum veriſimile eſt, cum ab eo omnia initium duxiſſe crederentur. Imo & innuit *Athenaeus* lib. ult. Ἰανὸν, ὁ παρ' ἡμῶν θεὸς, ὃν πατέρα προσαγορεύομεν, id eſt, *Janus, qui nobis Deus eſt, quem Patrem vocamus.* ANNA. Vid. *Torrent.* ad *Horat.* 11. Sat. vi. 20. & *Scriver.* ad *Martial.* viii. Epigr. 8. ARNTZ.

Noſter cognomento.] Forſan leg. *noſter Maro ſic intulit.* exſtat autem *Maronis* locus Aen. viii. verſ. 357. SYLBURG.

Eique, eo quod, &c.] Poſt parentheſin non pauca deeſſe videntur. aut certe verbum *dixerit*, cum iis quae ſequuntur, usque ad *quaeritur*, pro aliis ſunt inſerta. ut forraſſe talis quaepiam requiratur lectio: *eique (eo quod mire praeteritorum memor, tum etiam futuri) gemina ſeu biceps affingitur facies: ut idem Maro teſtatur his verbis, Saturnusque Senex, Janique biformis imago quaeritur q.* porro *Salluſtii* locus, quem citat auctor, exſtat initio Catilinariae. SYLBURG. Quorſum haec pertineant non video, nil tamen vel corruptum, vel deperditum auſim pronuntiare, cum de iis nihil Interpretes, quibus opinor prona omnia & facilia viſa ſunt. Videant acutiores. ANNA.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Aborigines. Unde appellati. Picus Rex Italiae. Post eum Faunus. Versus Saturnii. Faunus & Silvanus dictus, & Inuus, & Pan.

1 Quo regnante, Trojanos refert in Italiam deveniſſe. Quaeritur quomodo Salluſtius dicat, *Cumque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio liberum atque ſolutum.* Quidam autem tradunt terris diluvio coopertis, paſſim multos diverſarum regionum in montibus, ad quos confugerant, conſtitiſſe: ex quibus quosdam ſedem quaerentes, pervectos in Italiam, Aborigines appellatos, Graeca ſcilicet appellatione, a cacuminibus montium, qui 3 illi orae faciunt. Alii volunt eos, quod errantes illo venerint, primo Aberrigines, poſt mutata una littera, altera ademta, Aborigines 4 cognominatos. Eos advenientes Picus excepit, permiſſos vivere ut 5 vellent. Poſt Picum regnavit in Italia Faunus, quem a fando dictum volunt, quod is ſolet futura praecinere verſibus, quos Saturnios dici-

1 *Quo regnante.*] Latino. ANNA.

Trojanos.] Aenea duce. ANNA.

Quaeritur quomodo Salluſtius dicat: Cumque his.] Hoc eſt: quo tempore Aeneas cum profugis Trojanis Italiam appulit, tum Aboriginum Rex erat Latinus. Quomodo igitur *Salluſtius* dicere potuit, Aborigines ſine imperio fuiſſe? Solutionem hanc dedit *Zanchius*: Quia, inquit, tunc Latinus praelio adverſus finitimos Rutulos collato deceſſerat. Sed vix huic objectioni ita occurrendum eſſe judico: Aborigines enim ſine legibus, ſine imperio, quippe genus agreſte, nulli obtemperare ſuetum, ſed quod pro libidine ſe cuicumque vellet addiceret. ANNA.

2 *Grueca ſcil. appellatione.*] Ἀπὸ τῦ ὄρους, a monte, quod montes ipſi incolerent. *Dion. Halicarn.* l. 1. Lege igitur, *quae illi ὄρη vocant*: vel, *qui illis oras faciunt.* SCHOTT. Facile aſſentior *Schotto*, qui conjicit legendum, *a cacuminibus montium, quae illi ὄρη vocant.* Ejus vero Aboriginum etymologiae meminit etiam *Dionyſius Hal.* lib. 1. p. 11. dum eos ex quorundam ſententia denominatos tradit ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὄρεσιν διατριβῆς, *ex eo quod in montibus habitarint.* Sed affert tamen idem *Dionyſius* & alias duas rationes nominis, pag. 8. alteram ab errore, alteram ab origine; quarum prioris hic quoque fit mentio. SYLBURG. Vere *Schottus quae illi ὄρη vocant.* Ὄρη ſunt montes. Sed ridiculum *Aborigines* ἀπὸ τοῦ ὄρους. ANNA.

3 *Quod errantes.*] Ridiculum; idem tamen *Feſtus Pompejus* & *Dionyſius Halicarnaſſeus.* Aborigines, qui ab origine ibi fuerunt, non ex ſtirpe adventitia. ANNA.

4 *Picus.*] Saturni filius, Fauni pater. *Virg.* VII. Aeneid.

- - - Fauno Picus pater, isque parentem
Te Saturne refert, tu ſanguinis ultimus auctor.

ANNA. Eandem Genealogiam recenſet *Servius* ad *Virg.* x. Aen. 76. *Sterentii Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus eſt filius. Lactant.* lib. 1. Div. Inſt. c. 22. *Sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno avo nefaria ſacra conſtituit & Picum patrem inter Deos honoravit.* & ſic ex Membr. Flor. recte *A. Gronovius* ſupplevit *Juſtinum* XLIII. 1. 6. *Poſt hunc Picus, tertio loco regnaſſe Faunum ferunt.* ARNTZ.

5 *Quem a fando dictum volunt.*] *Varro* lib. VI. de LL. *Fauni Dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna ſint in verſibus quos vocant Saturnios; in ſilveſtribus traditum eſt ſolitos fari, a quo fando Faunos dictos.* ANNA.

Quos Saturnios.] A Saturno verſus Saturnii dicti ſunt: eorum lex adeo ſoluta fuit, ut non metrum,

dicimus, quod genus metri in vaticinatione Saturniae primum proditum eſt. Sed urbem Saturnus, cum in Italiam veniſſet, condidiſſe 6
traditur. Ejus rei Ennius teſtis eſt, cum ait:

Verſibus, quos olim Fauni vatesque canebant.

Hunc Faunum plerique eundem Silvanum a ſilvis, Inuum Deum; 7
Quidam etiam Pana, vel Pan eſſe dixerunt.

trum, ſed ſimplex cum rythmo cantus fuerint. ANNA.

6 *Sed urbem Saturnus.*] Pro *urbem Schottus* mavult *verſus*. vulgata lectio retineri poteſt, ſi haec periodus ſequenti poſtponatur. SYLBURG. Nihil certius eſt, quam verba perperam digeſta ſic ordinanda: *proditum eſt. Ejus rei Ennius teſtis, cum ait:*

Verſibus, quos olim Fauni vatesque canebant.

Sed & urbem Saturnus, &c. GRUT. Noſtrum Auctorem eo nomine, quaſi non teſtaretur *Ennius* hoc verſu Urbem a Saturno eſſe conditam, reprehendit *Merula* ad *Enn.* p. 77. Sed malim ego ſequi *Gruterum*. In margine per conjecturam reponebatur loco *urbem*, *verſus*, quod neque ſic ſatisfacit. ARNTZ.

Verſibus, quos olim.] Laudat *Cicero* haec Enniana.

- - - Scripſere alii rem
Verſibus, quos olim Fauni vatesque canebant,
Cum neque Muſarum ſcopulos quisquam ſuperarat,
Nec dicti ſtudioſus erat - - -

in Bruto, Oratore, & lib. de Divinatione, & *Varro* lib. VI. de L. Lat. SCHOTT.

7 *Invium deum.*] Corruptum pro *Inuum Deum*. T. *Livius* lib. I. *Pana Romani poſt Inuum vocarunt*. & *Servius* ad illud *Virg.* VI. Aen. *Pometios, Caſtrumque Inui, Bolanique, Ceramque.*

Inuus, inquit, *Latine appellatur, Graece* Πάν. *Item* Ἐφιάλτης *Graece, Latine Incubus. Idem Faunus: Item Fatuus Fatuelis. Dicitur autem Inuus ab ineundo paſſim cum omnibus animalibus; unde & Incubus dicitur.* Male quoque in vulgatis *Servii* exemplis *Inus* pro *Inuus* excuſum. SCHOTT. & SYLBURG. Adi *Serv.* ad *Virg.* lib. VI. Aen. verſ. 776. Illud *Invium* nihil eſt, neque quidquam certius hac emendatione *Schotti*, niſi velimus Auctorem noſtrum monſtra fingere. *Livius* libr. I. cap. 5. *Quem Romani deinde vocarunt Inuum.* Hunc *Inuum* & *Pana* eundem fecit *Macrob.* libr. I. Sat. c. 22. *Pan ipſe, quem vocant Inuum.* Quomodo non inelegans ſequioris licet ſeculi Poëta *Rutilius* lib. I. Itin. verſ. 232.

Hoc Inui Caſtrum fama fuiſſe putat:
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala ſilvis
Sive finus patrios incola Faunus init.

Armentis *Inuum* praeeſſe ſcribit *Arnob.* lib. III. adv. Gent. pag. 113. *Armentorum & pecorum gregibus Pales praeſunt, Inuusque cuſtodes.* de Inui caſtro confer nitidae Litteraturae Virum *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* VIII. 361. Confirmat hanc rem *Gyrald.* in Syntagm. Hiſt. Deor. in *Pane* p. 451. Quare hanc conjecturam in ipſum textum admittere non dubitavi, praeſertim cum nobiſcum faciat Erud. *Salmaſius* ad *Solin.* p. 294. a. ARNTZ.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Euandri Arcadis cum Carmenti matre in Italiam adventus. Carmenta a carminibus, vel haec ab illa dicta potius. Euander ob eruditionem facile ſe apud Faunum inſinuat. Pallanteum mons poſt Palatium dictus. Ibi Pani fanum ab Euandro dedicatum. Pan Deus Arcadiae. Litteras Itali primum ab Euandro edocti, & alia ad terrae cultum.

Igitur regnante Fauno, ante annos circiter ſexaginta, quam Aeneas 1
in Italiam deferretur, Euander Arcas Mercurii & Carmentis Nym-

2 phae filius, ſimul cum matre eodem venit, quam quidam memoriae prodiderunt, primo Carmentim dictam, poſt Nicoſtraten de carminibus, eo quod videlicet omnium litterarum peritiſſima, futurorumque prudens, verſibus canere ſit ſolita. Adeo ut plerique velint, non tam ipſam a carmine Carmentam; quam carmina, a qua dicta eſſent,
3 appellata. Hujus admonitu transvectus in Italiam Euander, ob ſingularem eruditionem atque ſcientiam litterarum, brevi tempore in familiaritatem Fauni ſe inſinuavit, atque ab eo hoſpitaliter benigneque exceptus, non parvum agri modum ad incolendum accepit, quem ſuis comitibus diſtribuit, exaedificatis domiciliis in eo monte, quem primo tum illi a Pallante Pallanteum, poſtea nos Palatium diximus: ibique Pani Deo ſanum dedicavit: quippe is familiaris Arcadiae Deus eſt, teſte etiam Marone, qui ait:

Pan Deus Arcadiae captam te Luna ſefellit.

Et item:

Pan etiam Arcadia mecum ſi judice cantet.

4 Primus itaque omnium Euander Italicos homines legere & ſcribere edocuit, litteris, partim quas ipſe antea didicerat; idemque fruges in

1 *Ante annos circiter ſexaginta.*] Si vere rationem putes, anni ſunt 67. Euander enim colonos in Latium deduxit anno mundi 2698. Aeneas vero Laurentum venit anno 2769. ANNA. Haec *Annae* computatio facillat, niſi Typographis vitium hoc tribuatur.

Euander Arcas.] Arcades ſe indigenas eſſe, non advenas, gloriari ſolebant: eaque cauſa lunulas in calceis geſtabant, antiquitatis inſignia, quod ſe cum luna natos jactarent, homines lunatici: *Plutarchus* ἐν ἀπορίαις. *Cicero* pro Fundanio, quem *Servius* in II. Georgicorum teſtem advocat. *Arcades ſe eſſe προσελήνους aſſerunt*, & *Apollonius* lib. IV. Argonaut.

Ἀρκάδες οἱ καὶ πρόσθε σελασφόρα δόμεναι.

Ovidius I. Faſt.

Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.
Hinc fuit Euander, &c.

SCHOTT.

2 *De carminibus.*] Carmentam dictam de carminibus. *Ovid.* I. Faſt.

Ipſa mone, quae nomen habes a carmine ductum.

ANNA.

A qua dicta.] Graeca brachylogia, pro, quod ab ea dicta eſſent. SYLB.

3 *Hujus admonitu.*] Vid. *Ovid.* I. Faſt. v. 475. qui hanc hiſtoriam fuſe perſequitur. ANNA.

A Pallante.] Euandri filio. ANNA.

Pallanteum.] *Virg.*

- - - Et nobile Pallanteum.

Item:

Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

ANNA.

Poſtea nos Palatium.] *Solin.* cap. I. *Palatium nemo dubitaverit quin Arcadas habeat auctores, a quibus primum Pallanteum oppidum*, &c. *Sunt qui velint a balatibus ovium, mutata littera, vel a Pale paſtorali Dea; aut, ut Silenus probat, a Palanthe Hyperborei filio.* Vide *Feſtum* in voce *Palatium.* ANNA. Hoc loco in margine repoſuerat *Schottus* & *Sylburgius*: *alii Palatinum*, qui fortaſſe exiſtimarunt *Palatium* non recte dici pro monte Palatino. Sed pro recepta lectione ſtat *Juſt.* lib. XLIII. cap. I. §. 6. *Montem, quem ille poſtea Palatium appellavit.* Ex Poëtis *Prop.* IV. IX. 3.

Venit ad invictos, nemoroſa Palatia, montes.

Et *Tibull.* II. v. 25.

Sed tunc paſcebant herboſa Palatia vaccae.

Vid. *Salm.* Exerc. *Plin.* p. 10. b. *Gron.* ad *Liv.* lib. I. cap. 5. Comment. ad *Juſt.* XLIII. 1. 6. & noſt. inf. cap. XXIII. §. 1 & 2. ARNTZ.

Ibique Pani ſanum.] Fuit & ſilva eidem Pani conſecrata. ANNA.

Marone.] Prior *Virgilii* locus exſtat Georg. III. verſ. 392. alter, Bucolic. ecloga IV. ubi *certet* legitur pro *cantet*. SYLBURG.

4 *Litteris partim quas ipſe.*] Requiri videtur talis

in Graecia primum inventas oſtendit, ſerendique uſum edocuit, terraeque excolendae gratia primus boves in Italia junxit.

talis quaepiam lectio, *partim quas ipſe invenerat, partim quas a Veteribus ante didicerat.* Plin. lib. VII. cap. 56. litteras in Graeciam e Phoenice per Cadmum, e Graecia vero in Italiam per Pelasgos illatas refert. SYLBURG. Partim, quia & ipſe quasdam inveniſſe traditur. ANNA.

In Graecia.] Athenis. Ideo eas *frugum parentem* vocat *Florus.* ANNA.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Recarani, qui & Hercules, in Italiam adventus: cui Cacus, ſervus Euandri, boves ſubripit, ideoque ei noxae datur ab Euandro. Ara maxima ab Hercule conſecrata. Unde mos Herculi profanandi decimam tractus ſit. Plautus explicatus. Cur feminae ab ara maxima arceantur.

Eo regnante, forte Recaranus quidam, Graecae originis, ingentis corporis, & magnarum virium paſtor, quia erat forma & virtute ceteris antecellens, Herculis appellatus, eodem venit. Cumque armenta ejus circa flumen Albulam paſcerentur, Cacus Euandri ſervus, nequitiae verſutus, & praeter cetera furaciſſimus, Recarani hoſpi- 1 2

1 *Recaranus quidam.*] De Carano Heraclida, id eſt, poſteritate Herculis, Alexandri Macedonis genere paterno, *Livius* lib. XLV. *Plutarchus* Alexandro, *Solinus* 15. cap. Polyhiſtoris, *Juſtinus* lib. VII. *M. Vellejus Paterculus* lib. I. & *Suidas.* De *Recarano* vero nihil adhuc compertum habeo. SCHOTT. De Recarano ut *Schottus*, ita nec ego quidquam compertum habeo. SYLB. Adde *Salm.* ad *Solin.* p. 7. a. *Garanum* eum appellat *Verrius Flaccus* apud *Serv.* ad *Virg.* VIII. Aen. 203. & *Voſſ.* lib. I. de Idolol. cap. 12. ARNTZ.

2 *Albulam.*] Qui *Tibris* poſtea dictus eſt. ANNA.

Nequitiae verſutus.] Graecismo excuſari poteſt. Sed legi poteſt etiam ablativo caſu *nequitia* vel *nequitie.* SYLB. Mira locutio. Nequitiae, in dandi caſu. ANNA. Immo gignendi. *Plinius* lib. VII. Hiſt. cap. XII. *Respondit verſutus ingenii mango. Vechnerus* lib. I. Hell. cap. XVIII. ARNTZ.

Praeter cetera.] Erud. *Munckerus* ad *Anton. Liber.* c. XXXIII. p. 193. haerens, quid ſibi vellent hae voces, reſcribit *praeter ceteros* ſc. hominis, quod reliquos omnes furandi arte poſt ſe relinqueret, quod reliquos hac arte vinceret. *Cic.* II. de Orat. c. 54. *Praeter ceteros Attici excellunt. Juſt.* lib. XI. cap. X. §. 8. *Inſignis praeter ceteros fuit Abdolonimus.* lib. XXI. cap. VI. §. 1. *Virum ſolertia facundiaque praeter ceteros inſignem. Dict. Cret.* lib. IV. de Bell. Troj. cap. 13. *Quem dilectum praeter ceteros percoluerat. Nazarii* Paneg. Conſtant. cap. XV. §. 4. *Quia in dimicando praeter ceteros inſignes fuiſſent. Lactant.* de Mort. Perſ. cap. XVI. *Qui praeter ceteros tempeſtatem expertus es.* Alia *Pricaeus* ad Euang. *Lucae* cap. XIII. §. 4. & *Taubm.* ad *Plaut.* Aſin. Act. V. ſc. II. verſ. 6. Quare miror, cur ſimilem locutionem non admiſerit idem *Munckerus* ad *Hyginum* fab. XCII. *Divitem praeter ceteros praeſtaturum.* ubi ſubſtituit *praeterea ceteros*, infelici conatu, cum ſenſus ſit planus, ſe divitem opibus reliquos ſuperaturum: ſic alibi *Hyginus* fab. LXVII. *Fortiſſimus praeter ceteros erat.* & fab. CII. *Solus praeter ceteros auſus fuit.* Neque tamen vulgatam in hoc *Victoris* loco ſcripturam velim condemnare, cum *praeter cetera* ſit praeter ceteras animi dotes, praeter ceteras nequitias & verſutias, praeter ceteras res

hoſpitis boves ſubripuit, ac ne quod eſſet indicium, averſas in ſpe-
3 luncam adtraxit. Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis, ſcrutatisque omnibus ejusmodi latebris, deſperaſſet inventurum utcumque aequo animo dispendium ferens, excedere his finibus con-
4 ſtituerat. At vero Euander excellentiſſimae juſtitiae vir, poſtquam rem, uti acta erat, comperit, ſervum noxae dedit, bovesque reſtitui
5 fecit. Tum Recaranus ſub Aventino Inventori Patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, & apud eam decimam ſui pecoris profana-
6 vit. Cumque ante moris eſſet, uti homines decimam fructuum regibus ſuis praeſtarent, aequius ſibi ait videri Deos potius illo honore impartiendos eſſe, quam reges; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari mos eſſet, ſecundum quod Plautus *In partem*,
7 inquit, *Herculaneam*, id eſt, decimam. Conſecrata igitur ara Maxima, profanataque apud eam decima, Recaranus, eo quod Carmentis invitata, ad id ſacrum non adfuiſſet, ſanxit, ne cui feminae fas eſſet veſci ex eo, quod eidem arae ſacratum eſſet, atque ab ea re divina feminae in totum remotae.

CA-

vel artes. *Terent.* in Andr. Act. 1. Sc. 1. verſ. 31.

Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat.

Nec multum abit ab hac locutione *Plautus* Amph. II. II. 140.

Enim vero illud praeter alia mira miror maxime.

ARNTZ.

4 *Noxae dedit.*] Noxae dedere, eſt in delicti poenam dare. ANNA.

5 *Inventori Patri.*] Jovi. ANNA.

Appellavitque maximam.] Sive quod ingens eſſet, ſive quod maximae dignationis. *Serv.* VIII. Aeneid. *Ingens enim eſt ara Herculis, ſicut videmus hodieque poſt januas Circi Maximi. Alii maximam ideo dicunt quia illo tempore omnibus erat honore potior.* ANNA. Varie tradunt id Veteres, quidam Jovi Inventori eam dedicaſſe Herculem, quidam ſuo Numini ſeu ſibi, id enim voluit *Solinus* in Polyh. cap. 1 *Suo quoque Numini idem Hercules inſtituit aram, quae maxima apud Pontifices habetur.* ibi *ſuo Numini* eſt *ſibi*, quia jam tum divinitatis ſuae erat certior. *Prop.* lib. IV. El. VII. verſ. 82.

Et nunquam Herculeo Numine pallet ebur.

Epithal. Incerti Maxim. & Conſt. dict. c. XI. §. 3. *Cujus tot aras, tot templa, tot Numina colo, Hercules dedit.* Sic enim legendum videtur, non *nomina.* Singuli enim dii plura habebant Numina. Ceterum de Ara ipſa inſpice Nob. *Heinſ.* ad *Ovid.* I. Faſt. 580. *Donat.* de Urb. Rom. II. XXV. *Giron.* ad *Liv.* lib. I. cap. 7. *Cerda* ad *Virg.* VIII. Aen. 271. *Salm.* in Exerc. *Plin.* p. 7. & *Bertald.* de Ara cap. XI. tom. VI. Theſ. *Graev.* ARNTZ.

Profanavit.] Id eſt, polluxit, propalam expoſuit. *Varr.* lib. V. de LL. *Profanatum quod in ſacrario pollutum.* ANNA.

6 *In partem*, inquit, *Hercul.*] In Sticho. ubi tamen legitur *detraxi partem Hercul.* & in Truculento Act. II. SCHOTT. & SYLB. Nullibi apud *Plautum* legitur *in partem Hercul.* Sed in Trucul.

- - - Mihi partem detraxi Herculaneam.

ANNA.

7 *Atque ab ea re.*] Forte, *atque eam rem*, &c. ſed praeſtaret notari tempus, ex quo remotae mulieres ab Herculaneo ſacrificio. itaque videſis num legendum, *atque ab eo*, ut ſubintelligatur, *tempore.* GRUT. Falli Gruterum puto. Nihil enim mutandum. Ait *Victor* ab ea ara Maxima ſcilicet, remotas mulieres re divina. Quippe cum duae eſſent arae Herculis, altera in foro Boario, altera ad portam trigeminam in regione Circi Maximi, ab iſta tantum mulieres prohibebantur. *Plutarch.* in Quaeſt. Rom. διὰ τί δυοῖν βωμοῖν Ἡρακλείοιν ὄντοιν, ὁ μεταλαμβάνει γυναικὸς οὐδὲ γίνονται τῶν

τῶν ἐν τῷ μείζονι θυομένων; *Cum duae ſint Arae He culis cur mulieres prohibentur participes eorum fieri quae apud majorem ſacrificantur?* Et inde fortaſſe error eorum, qui duas aras maximas eſſe contendunt, &c. ANNA. *Ob ea*, vel, *itaque ab ea* in margine conjecerat *Schottus*, ſed nihil mutandum recte monuit *Anna*. ARNTZ.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Alia e libris Pontificalium de Hercule, ejusque boum grege, & caede latronis Caci.

Haec Caſſius lib. 1. At vero in libris Pontificalium traditur Her- 1
cules, Jove atque Alcmena genitus, ſuperato Geryone, agens nobile armentum, cupidus ejus generis boves in Graecia inſtituendi, forte in ea loca veniſſe, & ubertate pabuli delectatus, ut ex longo itinere homines ſui & pecora reficerentur, aliquamdiu ſedem ibi conſtituiſſe. Quae cum in valle, ubi nunc eſt Circus Maximus, pa- 2
ſcerentur, neglecta cuſtodia, quod nemo credebatur auſurus violare Herculis praedam, latronem quendam regionis ejusdem magnitudine corporis & virtute ceteris praevalentem, octo boves in ſpeluncam, quo minus furtum veſtigiis colligi poſſet, caudis abſtraxiſſe. Cum- 3
que inde Hercules proficiſcens, reliquum armentum caſu praeter eandem ſpeluncam ageret, forte quadam incluſas boves tranſeuntibus admugiſſe, atque ita furtum detectum: Interfectoque Caco, Euan- 4
drum, re comperta, hoſpiti obviam iviſſe, gratantem, quod tanto malo

1 *In libris Pontificalium.*] Quos ſequuntur *Virg.* lib. VIII. *Ovid.* 1. Faſt. *Liv.* lib. 1. aliique. ANNA.

Geryone.] Chryſaoris & Callirrhoes filius fuit Geryon trium hominum corpore praeditus. Habitabat Erytheam Inſulam non procul ab Oceano, quam nunc Gadera nominant. *Apollod.* lib. 11. ANNA.

Nobile armentum.] Quod fuit coloris punicei. ANNA.

2 *Ubi nunc eſt Circus.*] Palatini latere meridionali, quod Aventino oppoſitum eſt, non longe a Tiberi. ANNA.

Violare.] Recte haec vox de tali armento, quod Diis eſt conſecrarum, & ad eos pertinet. *Hygin.* fab. CXXV. p. 188. *Sed ira Solis, quod pecus ejus erat violatum, cum in inſulam ejus veniſſet, & monitu Tireſiae vetuerat violari.* ARNTZ.

Latronem quendam.] *Virgil.* VIII. Aen. nunc ſemiferum, nunc ſemihominem appellat, qui hic legendus. SCHOTT.

Abſtraxiſſe.] Conveniens huic rei vox, quae de furtis boum adhibetur. hac eadem in hiſtoria *Virg.* VIII. Aen. 263.

Abſtractaeque boves, abjurataeque rapinae.

Statius lib. 1. Achill. 153.

- - - *Raptasque domos, abſtractaque coram*
Armenta.

Ovid. 1. Faſt. 550.

Traxerat averſos Cacus in antra foros.

Quae adduco, ne hoc loco temere *adtraxiſſe* reponatur. Latine enim etiam dicitur *abſtrahere* in ſpeluncam, in aliquem locum. *Sall.* Jug. XXIX. 2. *A bono honeſtoque in pravum abſtractus eſt.* & cap. XLI. §. 5. *In duas partes abſtracta ſunt.* & cet. ARNTZ.

4 *Quam*

malo fines ſuos liberaſſet, compertoque, quibus parentibus ortus eſſet Hercules, rem ita, uti erat geſta, ad Faunum pertuliſſe. Tum eum quoque amicitiam Herculis cupidiſſime appetiſſe. Quam opinionem ſequi metuit noſter Maro.

4 *Quam opinionem ſequi metuit.*] Metuo ne & Harpyjarum ungues hunc locum contaminarint, cum prius *maluit* legeretur: recte, nam *Virgiliana* lib. VIII. Aeneid. verſu 193. cum iis, quae ex Annalibus Pontificum hic leguntur, gemina ſunt. SCHOTT. Bene ab aliis monitum reponendum vel, *ſequi maluit*, vel, *haud ſequi metuit*. Niſi ſi fuit, *ſequi meruit*, pro non eſt dedignatus ſequi, dignam duxit quam ſequeretur, ſatis nove. SYLBURG. & GRUT. Imo *maluit*, & ita omnino legendum, ut optime *Schottus*. His enim gemina ſunt, quae apud *Virg.* leguntur lib. VIII. verſ. 193. ANNA. Vel *non metuit*, ut prima littera hujus vocis corruptioni cauſſam dederit, cum *non* particula per compendium a Librariis ſcribi ſoleat. Certe elegans eſt locutio, *metuo aliquid facere* cum infinitivo, pro non audeo, nolo. *Val. Flacc.* VII. Argon. 177.

- - - Jam foedera ſaxo
Aeſonii petat ipſa Viri, metuatque morari.
Ovid. XVI. Her. 183.
An pudet & metuis Venerem temerare maritam.
Liv. lib. XXXII. cap. XXXI. *Ut tentare ſpem certaminis metuerent.* ubi Cl. *Gron.* Haec autem particula *non* ſaepius a Librariis fuit neglecta, praeſertim apud JCtos, quibus unicum ſolet eſſe in deſperatis locis perfugium. Ex multis Vide *Hotom.* 1. Amic. Reſp. cap. XX. *Cujac.* lib. 1. Obſ. cap. 1. & XII. cap. XVIII. *Gothofr.* ad §. 9. Inſt. de Rer. Diviſ. & ad l. 57. pr. ff. de Contrah. Emt. *Schultingium*, nunquam ſine honoris praefatione mihi nominandum, ad ff. ſi quis jus dic. §. 1. adde Comment. ad *Cicer.* pro Marc. c. IV. ARNTZ.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

De Potitiis & Pinariis.

1 Cum ergo Recaranus, ſive Hercules, Patri Inventori aram Maximam conſecraſſet, duos ex Italia, quos eadem ſacra certo ritu 2 adminiſtranda edoceret, adſcivit, Potitium & Pinarium. Sed eorum Potitio, qui prior venerat, ad comedenda exta admiſſo, Pinarius, eo quod tardius veniſſet, poſterique ejus ſubmoti; unde hodieque ſervatur. Nemini Potitio pinariae gentis in eis ſacris veſci licet,

1 *Sive Hercules.*] Quidam tamen non ipſum Herculem, ſed Euandrum aram dicaſſe contendunt. Alii aliter. Neque convenit inter auctores. ANNA.

Adſcivit Potitium & Pinarium.] *Sacrum Herculi, adhibitis ad miniſterium dapemque Potitiis ac Pinariis, quae tum familiae maxime inclytae ea loca incolebant, factum. Liv.* lib. 1. Sect. 7. ANN.

2 *Qui prior venerat.*] Idem *Livius* ibidem. *Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus praeſto eſſent, iisque exta apponerentur. Pinarii extis adeſis ad ceteram venirent dapem. Inde inſtitutum manſit, donec Pinarium genus fuit, ne extis ſollemnium veſcerentur.* ANNA.

Potitio Pinariae.] *Patricio Pinariae* conjiciebat in margine *Schottus* plaudente *Sylburgio* quod tamen minus commodum videtur. Fortaſſe a mala manu inſerta eſt prior vox vel transpoſita, cum legen-

licet: Eosque alio vocabulo prius appellatos nonnulli volunt. Post 3
vero Pinarios dictos ἀπὸ τῦ πεινᾶν, quod videlicet jejuni, ac per hoc
esurientes ab ejusmodi sacrificiis discedant. Isque mos permansit u- 4
sque Appium Claudium Censorem, ut Potitiis sacra facientibus, ve-
scentibusque de eo bove, quem immolaverant, postquam inde nihil
reliquissent, Pinarii deinde admitterentur. Verum postea Appius 5
Claudius accepta pecunia Potitios illexit, ut administrationem sa-
crorum Herculis servos publicos edocerent, nec non etiam mulieres
admitterent. Quo facto ajunt intra dies triginta omnem famili- 6
am Potitiorum, quae prior in sacris habebatur, exstinctam: atque
ita sacra penes Pinarios resedisse, eosque tam religione, quam etiam
pietate edoctos, mysteria ejusmodi fideliter custodisse.

legendum esset: *Unde bodieque servantur Potitio; nomini pinariae &c.* de ipsa historia agit *Vossius* ad *Val. Max.* lib. I. cap. I. ex. 17. ARNTZ.

3 *Pinarios dictos.*] Mirum vocis *Potitiorum* originem non attulisse. Dubitari enim potest, an a potiendo, an a potando, ἀπὸ τῦ ποτίζειν, dicti. Illa enim familia huic ministrare debebat. Vide *Pet. Nannium* Συμμίκτων lib. V. & de Appio Claudio *Livium* lib. IX. *Valerium Maximum* lib. I. cap. I. & *Victorem* nostrum de Viris Illustribus cap. XXXIV. SCHOTT.

Ἀπὸ τῦ πεινᾶν.] Id est: a verbo πεινᾶν, *esurire*: sed ridiculum: illis enim & *Potitiis* & *Pinariis* nomen fuit ante Herculis sacrum institutum. ANNA.

5 *Potitios illexit.*] Infra in libello de Viris Illustribus c. XXXIV. *Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra Herculea servos publicos edocerent: unde caecatus est: gens Potitiorum funditus periit.* ANNA.

Nec non etiam.] Hunc pleonasmum non sapere purae latinitatis genium pronunciat, qui nuper in Germania auctorem nostrum vulgavit, *Junckerus* in Praef. Sed si verum est, quod ipse loco illo statuit, *Virgilium* optimo L. L. tempore vixisse, non erit rejicienda haec locutio, cum noster eam ex ipsius Poëtae lectione, in quo versatum fuisse vel primo adspectu apparet, hausisse videatur, sic enim ille lib. II. Georg. vers. 413.

- - - Nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam.

Capit. in Pertin. cap. V. *Patris patriae nomen recepit, nec non simul etiam imperium proconsulare.* & *Spartian.* in Sev. cap. IX. *Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis.* ARNTZ.

6 *Intra dies triginta.*] *Livius* lib. IX. Sect. XXIX. intra annum omnes cum stirpe exstinctos dicit. ANNA. Vide *Coler.* ad *Valer. Max.* lib. I. cap. I. ex. 17. & *Serv.* ad *Virg.* VIII. Aen. 269. Eodem autem libro ad vers. 179. male scribitur *familia Pinariorum*, cum esse deberet *Potitiorum.*

Resedisse.] Putat *Sch.* fortasse legendum, *penes Pinarios rediisse.* mox ibidem potius Accus. casu legendum videtur *religionem & pietatem.* SYLB. *Redisse* in marg. volebat *Schott.* Ego nullam video rationem, quare *resedisse* retineo, quod idem est, ac remansisse, Pinarios deinceps retinuisse curam horum Sacrorum. *Martial.* lib. IV. Epigr. XIII.

Candida perpetuo reside concordia lecto.

Tacit. lib. IV. Ann. c. LV. *Lydum patriis in terris resedisse.* ARNTZ.

Etiam pietate.] Conjiciebat Doct. *Wasse* ad *Sallustium* Jugurt. cap. XCVIII. *etiam impietate*, quod nempe Potitii propter scelus poenas luerant. Ego nihil muto, cum praecedens *religione* receptae lectioni faveat. Religio enim est justus metus Numinis, qui debitas a peccantibus exigit poenas, adeoque vox haec in se timorem continet. Hinc *per timorem religionem nasci* scribit *Servius* ad *Virg.* lib. VII. Aen. vers. 60. & lib. VIII. vers. 349. contra *pietas* amorem paternum, nullo metu aut timore conjunctum, designat. Sensus igitur hujus loci erit, Pinarios haec sacra custodisse, non tam quod exemplo Potitiorum edocti praesentem irati Dei vindictam ob violata sacra timerent, (hoc enim per *religionem* exprimere videtur Noster) quam quod pio cultu Herculis Numen prosequerentur. Forte pro *edoctos* haud absurde reponeres *adductos.* ARNTZ.

Custodisse.] Unde haec Familia audit *Custos Herculei Sacri* apud *Virg.* VIII. Aen. 270. & *Mamert.* in Paneg. Maxim. Herc. cap. I. §. 3. *Herculei Sacri Custos Familia Pinaria.*

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Aeneae, Ilio ab Antenore prodito, in Italiam adventus. Aeneae pietas. Acnus condita. Lavinia Aeneae uxor. Miſenos urbs appellata ab interitu Miſeni, gubernatoris, an tubicinis Aeneae.

1 Poſt Faunum Latino ejus filio in Italia regnante, Aeneas, Ilio Achivis prodito ab Antenore, aliisque Principibus, cum prae ſe Deos Penates, patremque Anchiſen humeris geſtans, nec non & parvulum filium manu trahens, noctu excederet, orta luce cognitus ab hoſtibus, eo quod tanta onuſtus pietatis ſarcina erat, non modo a nullo interpellatus, ſed etiam a rege Agamemnone, quo vellet, ire permiſſus, Idam petit: ibique navibus fabricatis, cum multis diverſi ſexus, oraculi admonitu Italiam petit. ut docet Alexan-
2 der Epheſius lib. 1. belli Marſici. At vero Lutatius non modo Anteno-

1 *Ab Antenore.*] *Antenorem* patriae proditorem fuiſſe ſcribunt *Cornelius Siſenna* & *Servius*. Sed contra *Liv.* lib. 1. Sect. 1. ANNA.

Nec non &.] Neque hunc pleonasmum admittit in Praefatione ſua Editor Germanus, uti nec ſuperius illud: *nec non etiam.* habet etiam hunc ex lectione *Virgilii* ſui, qui in ea locutione frequens eſt. ut lib. 1. Aen. 752.

Nec non & vario noctem ſermone trahebat.

Et VIII. 461.

Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto.

Adde 1. Georg. 212. II. G. 53. & 451. VII. Aen. 521. IX. 310. & paſſim alibi. Quin etiam perpetuus *Virgilii* ſui Imitator *Silius Ital.* lib. II. verſ. 432.

Nec non & laevum clypei latus aſpera ſignis
Implebat ſpartana cohors.

Conſule praeſidium & dulce decus noſtrum *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* XIV. 203. Judicium igitur de hac locutione nimis ſeverum, ſi Poëticam eſſe dictionem voluiſſet, non magnopere repugnarem, quamvis ab ea tamen non abſtinuerunt proſae, ſed ſequioris aevi, ſcriptores. *Suet.* in Veſpaſ. XVIII. 3. *Praeſtantes Poëtas, nec non & Artifices coëmit. Flor.* III. v. 29. *Nec non & in meridiem verſo agmine. Juſt.* IV. 1. 3. VI. III. 2. & XXIX. IV. 8. *Arnob.* IV. Adv. Gent. p. 151. *Nec non & illa proles Jovis. Celſus* de Vit. Caeſ. p. 209. *Nec non & minori ejus fratri ſceptrum dedit.* ita enim & ibi legi poſſet, cum ita loquatur idem ſcriptor p. 199. ARNTZ.

Trahens.] Phraſin hanc *Virgilio* debet II. Aen. 321.

- - - Parvumque Nepotem
Ipſe trahit.

Et 457.

Ad ſoceros & avo puerum Aſtyanactia trahebat.

Ad quem locum recte obſervat *Servius*, dici de puero, qui non aequis paſſibus Parentem manu ducentem ſequitur. *Silius Italicus* lib. IV. verſ. 30.

- - - Dextra laevaque trahuntur
Parvi, non aequo comitantes ordine, nati.

Et VI. Pun. 403.

Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus.

Senec. Troad. 1089.

- - - Parvulum dextra trahens
Priami nepotem.

Val. Max. V. IV. 1. *Liberos ſecum trahens caſtra Volſcorum petiit.* Inſpice *Vorſt.* ad *Juſt.* XVI. v. 5. & ad *Val. Max.* III. II. ext. 8. ARNTZ.

Tanta onuſtus pietatis ſarcina.] Vix quemquam ita loquutum puto de eo, qui propter *pietatem* ſuum patrem humeris ferat. ANNA.

Idam petit.] *Virg.* lib. III. verſ. 5.

- - - Claſſemque ſub ipſa
Antandro, & Phrygiae molimur montibus Idae.

ANNA.

Alexander Epheſius.] Qui *Lycaus* fuit cognominatus. Hiſtoriam ſcripſit & carmina. *Ovidius, Strab.* lib. XIV. ANNA.

2 *At*

tenorem, ſed etiam ipſum Aeneam proditorem patriae fuiſſe tradit: Cui cum a rege Agamemnone permiſſum eſſet ire quo vellet, & humeris ſuis, quod potiſſimum putaret, hoc ferret; nihil illum praeter Deos Penates, & patrem, duosque parvulos filios, ut quidam tradunt, ut vero alii, unum, cui Julo cognomen, poſt etiam Aſcanio fuerit, ſecum extuliſſe. Qua pietate motos Achivorum principes remiſiſſe, ut reverteretur domum, atque inde omnia ſecum quae vellet, auferret. Itaque eum magnis cum opibus, pluribusque ſociis utriusque ſexus a Troja digreſſum, longo mari emenſo per diverſas terrarum oras in Italiam deveniſſe, ac primum Thraciam appulſum, Aenum ex ſuo nomine condidiſſe. Dein cognita Polymneſtoris

2 *At vero Lutatius.*] Puto *Lutatius* per *t* legendum. Nihil tamen affirmo. Hoc tantum: videri corruptum hoc nomen in *Servio*, qui *Livium* falſo citat auctorem proditae patriae ab Aenea & Antenore: cum ille diſerte in iis, quae vulgo exſtant, libris affirmet, in neutrum vetuſto jure hoſpitii, & quia pacis, reddendaeque Helenae ſemper auctores fuerant, ſaevitum. Ea enim librariorum audacia ſemper fuit, ut quae ipſi ignorarent, in notiora perverterent, ut *Lutatium* in *Livium*, quod de illo ne fando quidem audiviſſent. SCHOTT. *Lucatius* citatur etiam c. x. & rurſum c. xiii. *Schottus* dubitat an ſcribendum ſit *Lutatius* per *t*. Sed quid ſi potius *Vulgatius?* ut infra. SYLBURG. In membranis fuiſſe *Lucatius* innuit *Schottus* noſter, inclinatque in *Vulgatius* Sylburgiana conjectura; cujus hominis mentio iterum infra capite decimo. quod ſi admittimus, idem nomen rurſus mutandum capite undecimo. ſed locum ſuum utrobique tueri poſſet *Lutatius*, ut ſit Grammaticus ille de familia Q. Catuli, cujus meminit *Suetonius*, libello de Illuſtribus Grammaticis. GRUT. *Sylburgius* abunde refellitur ab iis ſcriptoribus, qui *Lutatii* non minus quam *Vulcatii* meminerunt. Hic autem Q. *Lutatius* diverſus eſt ab illo Q. *Lutatio*, cui cognomen fuit *Catulus*, de quo *Cicero* in Bruto. Hujus opus *communes hiſtorias* vocat *Servius* ix. Aeneid. ANNA. Haec repetita ſunt ex *Voſſio* lib. i. de Hiſt. Lat. cui non inmerito placet *Schotti* conjectura apud *Serv.* ad *Virg.* i. Aen. 246.

Ipſum Aeneam.] Hoc refellit *Livius* primulo initio lib. i. ut ſupra dictum eſt. ANNA.

3 *Cui Julo cognomen.*] *Livium* & *Virgilium* ſequutus eumdem Aſcanium, & Julum fuiſſe dicit, ſic enim Poëta:

Aſcaniusque puer, cui nunc cognomen Julo.

Ovidius quoque binominem vocat Aſcanium. *Dionyſius* tamen, *Euſebius*, alii rectius Julum Aſcanii filium faciunt. Male *Livius* Silvium Aſcanii filium appellat, cum eſſet Aeneae poſtuma proles, ut *Virgilius* vi. Aeneid. ait & *Servius*. Inf. tamen *Victor* tanquam ſui oblitus, Julum Aſcanii filium nominat. SCHOTT. & ANNA. Unde in nummis, Aeneae ſacra patremque portanti unus etiam additur comes filius. *Meurſ.* ad *Lycophr.* Alex. verſ. 1268. & Cl. *Perizon.* ad *Aelian.* lib. iii. Hiſt. cap. xxii. ARNTZ.

4 *Remiſiſſe.*] Divinant alii, *permiſiſſe*; at idem omnino notat vox altera, ut pluribus exemplis notificavi in Suſpicionibus. GRUT. Plura habent Viri Docti ad *Juſt.* i. ix. 12. *Cujacius* lib. xxi. Obſ. c. xxix. Cl. *Burm.* ad *Quintil.* decl. ii. cap. i. & *Schulting.* ad decl. ix. cap. x. & ad *Senecae* Suaſor. i. cap. v. *Gron.* Epiſt. ad *Salm.* in Syll. Epiſt. *Burm.* tom. ii. p. 612. & Cel. *Drak.* ad *Sil. Ital.* xvii. 367.

- - - Tranare pericla
Magnanimum patiere ducem, vitamque remittas.

ut *Seneca* in Herc. Oet. 900.

Multis remiſſa eſt vita, quorum error nocens,
Non dextra, fuerat.

ARNTZEN.

Aenum ex ſuo nomine.] Quam Auctor hic *Aenum*, *Dionyſius Hal.* & *Stephanus Byz.* vocant *Aeneam*. SYLBURG. *Aenum* oppidum littorale Thraciae. Ubi ſepultus Polydorus. Sed falſum eſt Aeneam *Aenum* urbem condidiſſe. Nec ſi condidiſſet, ab Aenea *Aenus* umquam vocata fuiſſet. Aeneas non *Aenum*, ſed *Ainejan* condidit. Quae diverſa eſt ab *Aeno*. Sed utramque Veteres confuderunt. *Aenus* contra Cherroneſon Thracicam in Melane ſinu ad oſtia Hebri fluminis, longe ante Aeneam condita, utpote quae auxilia ad Trojam miſerit, *Homero* teſte. *Callimachus* & *Eu-*

ſtoris perfidia ex Polydori nece, inde digreſſum, pervectumque ad inſulam Delum, atque illinc ab eo Laviniam Anii ſacerdotis Apollinis filiam in matrimonium adſcitam, ex cujus nomine *Lavinia litora* 6 appellata. Poſtquam is, multa maria permenſus, appulſus ſit ad Italiae promontorium, quod eſt in Bajano, circa Averni lacum, ibique gubernatorem Miſenum morbo abſumptum, ſepultum ab eo, ex cujus nomine urbem Miſenon appellatam, ut etiam ſcribit Caeſar Pontificalium libro 1. qui tamen hunc Miſenum 7 non gubernatorem, ſed tubicinem fuiſſe tradit. Inde non inmerito utramque opinionem ſequutus Maro ſic intulit:

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque.

8 Quamvis auctore Homero quidam aſſerant, tubae uſum Trojanis temporibus etiam tunc ignoratum.

phorion a ſocio Ulyſſis dictam ſcripſere illic ſepulto eo tempore, quo miſſus eſt ad frumenta portanda, ut refert *Servius*. Haec *Aenos* in propinquo Polydori tumulum habuit. *Aenea* vero urbs ab Aenea nominata, & ab eodem exſtructa in Cherroneſo, quae Pallene vocatur ad Thermaeum ſinum, haud longe a Theſſalonica, ut luculenter teſtatur gravis auctor *Dionyſius*. Graeci ſcriptores diſertim diſtinguunt Αἶνος & Αἶνεια, ut & duas illas peninſulas Thracicas, quarum una ad Melana ſinum; altera ad Thermaeum, quae & Macedonica. Haec diſcrimina Latini auctores ſtreme confundunt. Nam *Virgilius Aineadas*, vel *Aeneam*, in eo loco condi facit ab Aenea profugo, ubi erat *Aenus*. Et *Mela*: *Eximia eſt Aenos ab Aenea profugo condita*. Perperam: diverſa enim oppida *Aenus* & *Aenea*. Sed *Aenejae* apud Geographos nulla mentio, quia, ut *Dionyſius* & *Strabo* teſtantur, cum aliis oppidis vicinis contributa eſt a Caſſandro in nomen Theſſalonicae, cum ab eo conderetur. *Aenus* vero usque ad extrema Graeciae tempora permanſit. Plura vide apud *Salmaſium* Exercitationibus Plinianis p. 114. ANN. Adde *Potterum* ad *Lycoph.* Alex. verſ. 1236.

5 *Polymneſtoris perfidia.*] *Polymneſtor* Thraciae rex fuit, apud quem Priamus, periclitante Troja, Polydorum filium miſit cum magna auri copia, ut ad meliora fata ſervaretur. Sed capto Ilio *Polymneſtor* eum auri cupiditate trucidavit. ANN.

Laviniam Anii Sacerdotis.] Neſcio quos hic auctores noſter ſequutus ſit, qui Laviniam non Latini regis, ſed Anii Sacerdotis filiam facit, eamque in Delo, non in Italia ab Aenea ductam. ANNA.

Lavinia litora appellata.] Quidam tamen ea hoc nomen ante Aeneae adventum habuiſſe contendunt. Vide quae de ea re *Erythraeus*. ANNA.

6 *Morbo abſumptum.*] Imo: *Indigna morte peremptum*, qui ſcilicet ſub aquis merſus fuit. ANN.

Urbem Miſenon.] Montem etiam, *Virgilius*:

Monte ſub aëreo, qui nunc Miſenus ab illo, &c.

Miſeni urbis meminit *Joſeph.* XIX. Antiquitatum. ANNA.

7 *At pius.*] Lib. VI. Aen. verſ. 233. ANNA.

Remumque, tubamque.] Quod remex & tubicen fuerat. Male qui per *remum* lorum intelligunt, quod continet tubam. ANNA. De *tuba* etiam *Prop.* III. XVI. 3.

Qua jacet & Trojae tubicen Miſenus arena.

Solin. Polyh. cap. 11. p. 10. *A gubernatore Aeneae appellatum Palinurum, a Tubicine Miſenum. Servius* ad *Virg.* III. Aen. 239. •Ceterum pro *etiam tunc*, quod ſequitur, *etiam tum* in margine poſuerat *Schottus*, quod eodem redit. ARNTZ.

8 *Auctore Homero quidam aſſerant.*] Tubam priſcis ignotam fuiſſe argumento eſt, quod cum eam *Homerus* noverit, nunquam tamen Heroibus tribuat. *Euſtath.* Iliad. VI. p. 1139. editionis Romanae. Φασὶ δέ οἱ παλαιοὶ ὡς οὐδὲ μὴν ὁ ποιητὴς σάλπιγγα· ἥρωας δὲ οὐκ ἐπάγει χρωμένους αὐτῇ. οὐδὲ ἐδόκει. Id eſt. *Ajunt autem veteres tubam noviſſe quidem Homerum, Heroas vero neque ea utentes, neque ejus uſus peritos inducere.* ANNA.

C A-

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Euxinii ſinus appellatio. Aeneas Sibyllam adit, deque futuris conſulit. Prochytae inſulae appellatio; & portus Cajetae. Laurens ora: ubi Aeneas cum ſuis egreſſus accubuit, conſumptoque cetero jam cibo, cruſtam de farreis menſis ſacratis comedit.

Addunt praeterea quidam Aeneam in eo litore Euxini cujusdam comitis matrem, ultimo aetatis affectam, circa ſtagnum, quod eſt inter Miſenon Avernumque extuliſſe, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius ſinus dicitur: cumque comperiſſet ibidem Sibyllam mortalibus futura praecinere, in oppido quod vocatur Cimbarionis, veniſſe eo ſciſcitatum de ſtatu fortunarum ſuarum: aditisque 1

1 *Euxini cujusdam.*] De *Euxino* Aeneae comite nil compertum habeo, de eo enim alii ſcriptores tacent. ANNA. Quem *Euxinum* noſter, cum *Euximum* vocat *Servius* ad *Virg.* IX. Aen. 710. *Bojam Euximi Comitis Aeneae nutricem, & ab ejus nomine bojas vocatas dicunt.* qui locus ex ſententia noſtri Auctoris ita poſſet diſtingui: *Bojam Euximi Comitis, Aeneae* &c. ut more antiquo *Matrem* intelligat. Haec igitur Mater Euxini vocabatur *Boja*, quare fortaſſe infra *Euboïcus ſinus* pro *Euxinius* erit ſcribendum, ut a *Boja* & *Euxino* hic locus nomen acceperit, quaſi *Boja Euxini* ſcil. Mater, vel, quod malim, a Graeca voce οἶ ob amoenitatem & elegantiam locorum, qua re ſemper celebres fuere Bajae. Sic ipſe locus ab hac muliere primum dictus erit *Boja* ſ. *Baja*, dein adjacens litus ſeu ſinus ob amoenitatem *Euboïcus*. Et ſic cum noſtro conſentient reliqui ſcriptores, qui ad Cumas ſ. Bajas Euboïcum ſinum ſeu litus collocant. *Serv.* ad *Virg.* l. l. & VI. Aen. 2.

Et tandem Euboïcis Cumarum adlabimur oris.
Lucan. V. Pharſ. 183.

Talis in Euboïco vates Cumana receſſu.
Martial. IX. Epigr. 30.

Euboïcae nondum numerabas longa Sibyllae
Tempora.

Adde *Virg.* VI. Aen. 42. & *Cellar.* lib. II. Geogr. c. IX. p. 529. Scio de origine vocis *Euboïcae* alia ſentire & veteres & recentiores Geographos, ſed nos de noſtro Auctore loquimur, & notum eſt, quantopere in hiſce rebus variet antiquitas. Si vero quis ab hoc *Euxino* ſ. *Euximo* velit fingere ſinum *Euxinium*, per me licet; ſed tum mirari non deſinam, Noſtrum tanquam notum ſua aetate locum adferre, cujus tamen nullam priſci faciant mentionem, praeſertim cum tam multa datur huic rei occaſio, quid enim in Italia notius, quid Bajis praelucet amoenis? Et quae ratio eſſet, cur ille ſinus a filio denominaretur Euxinius, cum a Matre potius nomen trahere oporteret. Cetera enim loca non a filio, ſed ab ipſis hominibus, qui perierunt, acceperunt nomen, ut *Miſenum*, *Prochyta*, *Cajeta*, &c. ARNTZEN.

Ultimo aetatis affectam.] Id eſt. *Ultimae aetati domitam*, ſenectute affectam dixiſſet *Cicero*. ANNA. *Senec.* de Otio Sap. cap. XXXII. p. 579. *Usque in ultimae aetatis humanae terminos procedat.* ubi malim legere *ultimos*. ARNTZ.

Circa ſtagnum quod.] An Lucrinum lacum intelligit? ANNA.

Extuliſſe.] Ad ſepulturam, proprie. ANNA.

Etiam nunc Euxinius ſinus.] Tamen de *Euxinio ſinu* nil usquam reperias. Dubitavit *Ortelius*, num legendum ſit, *Auſonius*: quod fieri nequit, niſi etiam ſupra pro *Euxini* legatur *Auſonii*. Quod nemini probabitur. ANNA.

Cimbarionis.] Nomen iſtud nullibi apud alios auctores legitur, quare corruptum putavit *Ortelius*, legendumque *Cimmerium*, quod oppidum juxta lacum Avernum agnoſcit *Plinius*. ANNA. Monſtrum certe vocis, ex qua nihil ſani elicio. Latere poſſet *Cumarum Urbs*, vel *Cumaea Urbs* ex *Virg.* III. Aen. 441.

Hue ubi delatus Cumaeam acceſſeris Urbem
Divinosque lacus, & Averna ſilentia ſilvis,

tisque fatis, vetitum ne is cognitam in Italia sepeliret Prochytam,
2 cognatione sibi conjunctam, quam incolumem reliquerat. Et post-
quam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima
sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulca-
3 tius, & Acilius Piso. Inde profectum perveniſſe in eum locum, qui
nunc portus Cajetae appellatur, ex nomine nutricis ejus, quam ibi-
4 dem amissam sepeliit. At vero Caesar & Sempronius ajunt, Caje-
tae cognomen fuisse, non nomen, ex eo scilicet inditum, quod e-
jus consilio impulsuque matres Trojanae taedio longi navigii classem
ibidem incenderint, Graeca scilicet appellatione ἀπὸ τῦ καίειν, quod
5 est incendere. Inde ad eam Italiae oram, quae ab arbusto ejusdem
generis Laurens appellata est, Latino regnante, pervectum cum
patre Anchise, filioque & ceteris suorum, navibus egressum, in
li-

Insanam vatem adspicies.
Ubi consulendus *Servius*. Collocantur autem fere *Cumae* inter *Avernum* lacum & *Misenum* promontorium, quo in loco Oracula reddebat Sibylla Cumaea. *Cellar.* Geogr. Ant. lib. II. cap. IX. p. 529. Conjecturae *Ortelii*, quas adfert *Anna*, videri possunt in ejus Thes. Geogr. voc. *Cimbavienis & Euxinium*. Id quod ante *Annam* jam monuerat *Sylburgius*. ARNTZ.

Prochytam.] De *Prochyta* muliere, Aeneae cognatione conjuncta nil reperire potui. ANNA. Hunc etiam locum misere vitio librariorum habitum esse existimo, quare pro *cognitam*, substituo *cognatam*, ut sequentia verba *cognatione sibi conjunctam* a mala manu irrepserint, cum prius in margine exponendi caussa essent apposita. Cognatam hanc Aeneae fuisse ex *Naevio* etiam tradit *Servius* ad *Virg.* IX. Aen. 715. *Prochyta ergo alto, quondam scilicet. Hanc Naevius in primo belli punici de cognata Aeneae nomen accepisse dicit.* Confer, quae de hac muliere collegere *Grang.* ad *Juven.* Sat. III. vers. 5. & *Casaub.* ad *Strab.* lib. V. p. 379. Ed. *Amst.* Vel ipsa vox *cognitam* s. *cognatam* ex margine in textu potuit irrepsisse. Verum hisce in rebus sine MSS. Codicibus aliquid certi statuere non licet. ARNTZ.

2 *In insula proxima.*] In sinu Puteolano. ANNA.

Quae nunc quoque.] Prochyta, melius alii Prochytam ab effusione dictam volunt, quippe quae ab Aenaria sit profusa. Graecis προχύτα a προχέω *profundo, effundo*. Vide *Plin.* lib. III. cap. VI. ANNA.

Vulcatius.] Nescio an is sit *Vulcatius Terentianus*. ANNA.

3 *Portus Cajetae.*] Hodie *Gajeta*. ANNA.

Ex nomine nutricis.] *Virgil.* lib. VII. Aeneidos initio.

Tu quoque litoribus nostris Aeneïa nutrix
Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti.
SYLB. & ANNA.

4 *Sempronius.*] *Sempronius Asellio*, ut puto, qui rerum Romanarum libros scripsit. Fuit & alter Sempronius, C. Sempronius Tuditanus dictus, quem hic signari non puto. ANNA.

Navigii.] Pro navigationis longae. Vid. *Virg.* V. Aen. SCHOTT. SYLB. & GRUT. Et sic recte summus *Gronovius* Obs. ad Script. Eccl. c. XXV. Sequioribus namque temporibus *navigium* pro navigatione posuerunt. *Dict. Cret.* de Bell. Troj. lib. VI. cap. IX. *In spelunca fatigatum navigio somnoque jacere.* Atque ita in jure nostro l. 1. §. 2. ff. de Rip. Mun. *quae navigio non est impedimento.* ut praeferunt pandectae florentini, male vulgo *navigationi.* adde *Munck.* ad *Hyg.* Astron. Poët. cap. XXV. ARNTZ.

Classem ibidem incenderint.] *Virgilius* tamen in Sicilia classem incensam dicit, non in Italia, & hortatu Iridis, non Cajetae. ANNA.

5 *Ab arbusto ejusdem generis Laurens.*] Laurens, vel Laurentum a laurea silva. *Varr.* lib. IV. de L. L. *Laurentum ab eo quod ibi sepultus est T. Tatius rex, qui a Laurentibus interfectus est, ab silva laurea, quod ea ibi excisa, & aedificatus vicus.* ANNA.

Cum patre Anchise.] Quem longe ante vita functum tradit *Virgilius*. ANNA. Vid. tamen *Le Cerda* ad *Virg.* lib. III. Aen. vers. 709. & Erud. *Munckerum* ad *Hyg.* f. 260. quibus adde *Serv.* ad *Virg.* lib. I. Aen. 271. 574. & III. 711.

litore accubuisse, consumptoque quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse.

711. aliter Tzetzes ad *Lycoph.* Alex. vers. 1263. *Crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas.*] Mensas intellige, quae ex frumento confectae Diis Penatibus consecrabantur. Vide *Virg.* Aeneid. lib. III. vers. 257. & lib. VII. vers. 114. ANN.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Anchises inde erroris finem conjicit. Aliud portentum. Lavinium conditum. Aliter de mensis devoratis ex Domitio narratum. Posteris unde traditus mos velandi inter sacrificandum.

Tum Anchisa conjiciente illam esse miseriarum errorisque finem; quippe meminerat, Venerem sibi aliquando praedixisse, cum in externo litore esurie compulsi, sacratasque mensas invasissent, illum condendae sedis fatalem locum fore: Scrofam etiam incientem, quam cum e navi produxissent, ut eam immolarent, & se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem futuram ducem: Tum simu-

1 *Venerem sibi aliquando.*] Apud *Virgilium* harpyarum una, *Celaeno* nomine, hanc famem praedicit lib. III. ANNA. Et *Tzetzes* ad *Lycoph.* Alexan. vs. 1250. ubi adde ad illum locum *Meursium.*

Sacratasque.] Legendum videtur: *Sacratas quoque mensas.* SYLB.

Fatalem locum.] *Fatis* destinatum. ANNA.

2 *Scrofam incientem.*] Sic emendavi, pro partui vicinam. In veteri codice *intimentem*, unde *emittentem* primo divinaram. Sed *Festus Pompejus* libro de verborum significatione VII. extremo nos manu duxit. *Gravida est*, inquit, *quae jam gravatur conceptu: Praegnans velut occupata in generando, quod conceperit: Inciens propinqua partui, quod incitatus sit foetus ejus.* SCHOTT. Vet. Cod. *intimentem. Scheffius: incientem* ex *Festo* reposuit: cui *inciens* est propinqua partui; quod incitatus sit foetus ejus. SYLBURG. Ad hanc rem alludit *Juven.* Sat. XII. vers. 72.

- - - Cui candida nomen
Scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen.

Et Vet. Schol. ad Sat. VI. vers. 177. de *Scrofa Hygin.* fab. CCLVII. p. 311. Pessime vero hanc σῦαινα porcam appellat *Lycophr.* Alex. vers. 1256. ut recte vidit *Tzetzes* & ibi & ad vers. 1232. ARNTZ.

3 *Tum simulacris Deorum Penatium.*] Hic certe aliquid videtur desiderari. Sakem horum verborum non alius esse sensus potest quam hic: Porcam etiam parturientem quam cum e navi eduxissent ut eam mactarent, & *ea* se ministrorum manibus subtraxisset, insequutum *esse* Aeneam repetentem quod illi quandoque responsum esset quadrupedem ducem fore urbi condendae, tum *etiam monitum* simulacris Deorum Penatium, atque eum, ubi illa jacuit, peperitque porculos triginta, ibidem incepisse *urbem*, postque eam Lavinium vocavisse. ANNA. Bene vidit *Anna* haec non cohaerere, neque tamen quidquam deesse existimem, modo levi immutatione ita legas: *ducem, cum simulacris Deorum Penatium prosecutum.* ut sensus sit, Aeneam prosecutum esse cum simulacris scrofam. inf. cap. XIII. §. 3. *Cum simulacris Deorum errantes.* Quam facile autem *cum* & *tum* inter se confundantur, norunt, qui unquam veteres.

ſimulacris Deorum Penatium, proſequutum, atque illum, ubi illa procubuit, enixaque eſt porculos triginta, ibidem auſpicatum, poſtquam Lavinium dixit. ut ſcribit Caeſar lib. I. & Lutatius lib. II.

res Codices inſpexerunt. Vid. *Stat.* ad *Tibull.* I. IX. 42. p. 318. Cl. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. I. verſ. 40. & *Duker.* ad *Flor.* II. XVI. 3. & III. X. 26. ARNTZ.

Lavinium dixit.] Fortaſſe legendum, *ibidem urbem auſpicatum, quam poſt Lavinium dixit.* qua de re viſe & *Meſſallam Corvinum* 375. SYLB. Aliquid deſit; & legendum, *ibidem urbem auſpicatum, poſtque eam Lavinium*, vel ſimili modo, ut jamdudum annotatum aliis. GRUT. *Poſtque Lavinium* in margine *Schott.* vel: *ibidem auſpicatum poſt, quam* (ſc. urbem) *Lavinium.*

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Quaenam referat ſuper his portentis Domitius, quaenam Cato, traditum.

1 At vero Domitius non orbes farreos, ut ſupra dictum eſt, ſed menſarum vice ſumendi cibi gratia apium, cujus maxima erat ibidem copia, fuiſſe ſubſtratum, quod ipſum conſumptis aliis eduliis eos comediſſe, ac poſt ſubinde intellexiſſe illas eſſe menſas, quas illos come-
2 ſturos praedictum eſſet. Cum interim immolata ſue in litore ſacrificium perageret, traditur forte advertiſſe Argivam claſſem, in qua Ulyxes erat. Cumque vereretur ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, itemque rem divinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe, inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi, ut ſcribit Marcus Octa-
3 vius libro I. At vero Domitius libro I. docet forte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret, ubi duo maria inveniſſet,

1 *Domitius.*] Hiſtoriam ſcripſit. Grammatici cujusdam *Domitii* meminit *Gellius* lib. XVIII. cap. VII. Sed dubitari poteſt an idem ſit qui hic laudatur. ANNA.

2 *Caput velamento obduxiſſe.*] Ex praecepto Heleni *Virg.* III. Aeneid. verſ. 405. ANNA.

Traditum morem ita ſacrificandi.] Capite velato Diis omnibus ſacrificabant excepto Saturno & Herculе, quibus capite aperto. ANNA.

Marcus Octavius.] Hujus *Octavii* nemo, quod ſciam, meminit praeter hujus libelli auctorem, niſi idem ſit *Octavius Herſennius*, qui innotuit libro de Saliaribus Tiburtium ſacris. Quem memorat *Macrob.* lib. III. Saturnal. cap. ult. Eo ſane inclinare videtur *Voſſius.* ANNA.

3 *Sorte.*] Reſpicit ad id, quod oracula, ut notum eſt, ſortibus dari ſolerent. *Sen.* Oedip. verſ. 288.

In tempore ipſo ſorte Phoebea excitus.

Apulejus Metam. lib. IV. p. 157. Ed. *Elm. Sed Apollo ſic latina ſorte reſpondit.* Atque ita felici ſorte hanc vocem *Juſtino* reddidit Cl. *Graevius* lib. XII. cap. II. §. 14. *Moriensque non in patria fuiſſe ſibi periculoſam ſortem.* quomodo ubique *ſortes* oraculo Delphico Apollinis tribuuntur. *Hygin.* fab. 32. 102. 109. 120. 136. 179. 190. *Livius* lib. V. cap. 15. 16. 23. &c. Adde *Spanhem.* ad *Callim.* Hymn. in Apoll. verſ. 45. ARNTZ.

4 In

set, prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem, cum paullulum e litore pro- 4
cessisset, perveniisse ad duo stagna aquae salsae, vicina inter se. ibique cum se lavisset, ac refectum cibo cum apium quoque, quod tunc vice mensae substratum fuerat, consumsisset, existimantem procul dubio illa esse duo maria, quod in illis stagnis aquae marinae species esset, mensasque, quae erant ex stramine apii, comestas, urbem in eo loco condidisse, eamque, quod in stagno laverit, Lavinium cognominasse. Tum deinde a Latino rege Aboriginum, data ei, quae incoleret, jugera quingenta. At Cato in Origine generis Romani 5
ita docet: Suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium. cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visa Deorum Penatum simulacra, adhortantium ut perseveraret in condenda urbe quam coeperat, nam post annos totidem, quot foetus illius suis essent, Trojanos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & urbem clarissimi nominis in Italia condituros.

4 *In agrum Laurentem.*] Vide supra. ANNA.

Ac refectum.] Vel deest quidpiam, vel conjunctio *ac* delenda est. SYLB.

Quod in stagno laverit.] Supra: *Ibique cum se lavisset.* ANNA.

5 *Suem* XXX. *porcos.*] Libet elegans Cassii fragmentum e *Diomede* 1. Grammat. proferre: *Grundiles Lares a grundio antiquo verbo dictos accepimus, quos Romulus constituisse dicitur in honorem Scrofae, quae triginta pepererat porcos. Hoc ita esse affirmat Cassius Hist.* 11. *Pastorum vulgus sine contentione consentiendo praefecerant aequaliter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter se esset, monstrum sit sus: parit porcos triginta, cui rei fecerunt Laribus grundiles.* Vide & *Nonium Marcellum* Grundire. SCHOTT.

Per quietem ei visa Deorum Penatum.] Haec superioribus lucem dabunt *Tum simulacris Deorum Penatium.* Ubi vocem *monitum*, vel aliam similem deesse non temere sum suspicata. ANNA.

Nam post annos totidem.] Post annos triginta, nam trigesimo anno exacto post conditum Lavinium Albam longam condidit Ascanius. ANNA.

In loca fertilia.] Ubi Alba condita. ANNA.

Urbem.] Albam. ANNA.

CAPUT XIII.

Argumentum.

Latinus adversus Trojanos suas copias educit: sed mox cum eis foedere contracto Laviniam, Turno antea desponsatam, Aeneae in uxorem dat. Amatae Reginae interitus. Aeneae & Latini cum Turno bellum, in quo Latinus cadit: Turnus mox vero ab Aenea interemtus.

Igitur Latinum Aboriginum regem, cum ei nuntiatum esset, multitudinem advenarum classe advectam, occupavisse agrum Lau- 1

rentem, adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas
2 copias eduxisse; Ac prius, quam signum dimicandi daret, animadvertisse Trojanos militariter instructos, cum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis integumento erant, sinistris manibus involutis, processissent. itaque suspenso certamine, per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent, utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur, namque extis ac somniis saepe admonitus erat, tutiorem se adversum hostes fore, si
3 copias suas cum advenis conjunxisset. Cumque cognovisset Aeneam & Anchisen bello patria pulsos, cum simulacris Deorum errantes sedem quaerere, amicitiam foedere inisse, dato invicem jurejurando,
4 ut communes quoque hostes, amicosve haberent. Itaque coeptum a Trojanis muniri locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini Regis filiae, quae jam ante desponsata Turno Herdonio fue-
5 rat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam Latini Regis uxorem,

2 *Sinistris manibus involutis.*] Scilicet ut pelles illae sibi essent pro clypeis. ANNA.

Per colloquium inquisito.] Malim *inquisisse, qui essent.* SYLB. Sic recte habet locus, ut sit ablativus absolutus; cum *inquisisset per colloquium.* itaque minime opus aliorum *inquisisse.* GRUT. Male quidam legendum contendunt *inquisivisse*, est enim *inquisito* ablativus absolutus, id est, quum inquisivisset. Sic infra: *traditur autem non proviso, quod propinquus flumini esset.* ANNA. Saepe haec participia simpliciter ponuntur, cum nihil adsit, unde pendeant. *Justinus* XVI. V. 1. *Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis pararetur.* & XLIII. V. 6. *Petitoque ut intrare illi Urbem liceret.* frequens praesertim hac in locutione *Tacitus.* Vid. *Gunther.* Latin. Rest. Tom. II. p. 9. quocum tamen confer Cl. *Periz.* ad *Sanct.* Min. lib. III. c. IX. & quos laudat Erud. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. XVI. vers. 97. ARNTZEN.

Qui essent.] Nota formulam, qua in peregrinos & advenas inquirerent. Flor. IV. XII. 14. *Postulato silentio, qui vos, inquit, estis. Virgil.* lib. I. Aen. 373.

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?

Ubi *Serv. Est naturalis interrogatio, qui estis? unde vel quo itur? Hygin.* fab. CXXVI. *Eumenes cum rogavit, unde esset. Et ille ait: se naufragio huc pervenisse. Cebes* in Tab. prope init. Συμβαλεῖν τίνες καὶ πόθεν ἦσαν. *Conjicere, quae & unde essent.* & *Lucianus* Philop. p. 776. ARNTZ.

Namque extis ac somniis.] Fauni patris oraculis & augurum responsis. Vide *Virg.* lib. VII. vers. 54.

Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.

ANNA.

3 *Patria.*] Praefero, quod in margine conjecerat *Schott. Patria*, cum in editis haberetur *Patrio.* Patrium enim bellum erit proprie, quod in patria inter cives geritur. Firmat hanc conjecturam *Ovidius* lib. I. ex Pont. Ep. III. vers. 71.

Pulsus Aristides patria Lacedaemona fugit.

Just. XXI. VI. 5. *Profugisse se ad regem expulsum patria fingit. Val. Max.* lib. VIII. cap. VII. Ex. ext. 15. *Per summam iniquitatem patria pulsus. Virgil.* I. Aen. 624.

Finibus expulsum patriis nova regna petentem.

Nepos Arist. cap. I. §. 3. *Quendam scribentem, ut patria pelleretur. Seneca* Octav. vers. 242.

- - - Templis expulit superos suis
Civesque patria.

ARNTZEN.

Communes.] Fortasse rectius, *communes utrique hostes amicosque hab.* SYLB. Nec heic quidquam mutandum cum *Sylb.* vox enim *communes* satis indicat de utraque parte intelligendum. Sic & *Livius* lib. XXIX. c. XXIII. *Societas inter populum Carthaginensium Regemque, data ultro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, jurejurando adfirmatur.* GRUT. *Just.* IX. III. 6. *Communem hostem putant communibus Viribus submovendum. Cicer.* lib. II. de Off. cap. XVIII. *Communem hostem tenuiorum putant.* Confer Erud. *Cortium* ad *Sall.* Jug. cap. LXXXI. §. I. ARNTZ.

4 *Turno Herdonio.*] Ab *Herdonia* Apuliae urbe. ANNA.

5 *At vero Amatam.*] Sic & Virgo Vestalis a Pon-

rem, cum indigne ferret, Laviniam, repudiato Turno conſobrino ſuo, Trojano advenae collocatam, Turnum ad arma concitaviſſe, eumque mox coacto Rutulorum exercitu, tetendiſſe in agrum Laurentem, & adverſus eum Latinum pariter cum Aenea progreſſum, inter praeliantes circumventum occiſumque. Nec tamen amiſſo ſocero Aeneas Rutulis obſiſtere deſiit, namque & Turnum interemit. Hoſtibus fuſis fugatisque victor Lavinium ſe cum ſuis recepit, conſenſuque omnium Latinorum Rex declaratus eſt: ut ſcribit Lutatius lib. III. Piſo quidem Turnum matruelem Amatae fuiſſe tradit, interfectoque Latino, mortem ipſam ſibimet conſciviſſe.

Pontifice Maximo capta appellari ſolet, quoniam, quae prima capta eſt, hoc nomine fuiſſe traditum eſt. *Agellius* lib. I. cap. XII. Noctium Atticarum. SCHOTT. Vide *Virg.* VII. Aen. 241. ANNA.

Conſobrino ſuo.] Hoc eſt ſororis ſuae filio: Turnus enim Veniliae, quae Amatae ſoror erat, filius fuit. ANNA. Conſer. *Serv.* ad *Virg.* VI. Aen. 90. VII. 366. XII. 29. & alios.

Rutulorum.] *Rutuli* populi in Latio, qui & Dauni dicti. ANNA.

6 *Et Turnum.*] *Et* pro *etiam* accipienda eſt: vel bimembri periodo legendum, *namque & Rutulos devicit, & Turnum interemit.* SYLB.

7 *Lucatius.*] Qui & *Lutatius* ſupra. ANNA. Sed & hic, & ſupra IX. 2. *Lutatium* non *Lucatium* legendum eſſe jam monuerunt Viri Docti.

8 *Matruelem.*] *Matruelis* ex matris fratre natus. ANNA.

Mortem ipſam ſibimet.] Laqueo vitam finivit. *Virg.* XII. ANNA.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Aeneas rerum potitus Rutulos bello perſequi inſtituit, qui ſibi auxilium Regis adſciſcunt Mezentii. Aeneae apotheoſis. Poſt eum Rex appellatus filius ejus Aſcanius, qui & Euryleo.

Igitur Aeneam, occiſo Turno rerum potitum, cum adhuc irarum memor Rutulos bello perſequi inſtituiſſet, illos ſibi ex Etruria auxilium Mezentii Regis Agillaeorum adſciviſſe, ac imploraviſſe, pollicitos, ſi victoria parta foret, omnia, quae Latinorum eſſent, Mezen-

1 *Igitur Aeneam.*] Accuſativus *Aeneam*, cum ſuo comitatu, abſolute accipiendus eſt: quippe quod ſtructurae lex requirat nominativum. SYLB.

Mezentii Regis Agillaeorum.] *Livius: Ad Mezentium Etruſcorum Regem confugiunt, qui Caere opulento tum oppido imperitans*, &c. Urbs enim eadem *Agilla* a *Catone* & *Caere*, facta voce de χαίρω appellabatur, teſte *Servio* in VIII. Aeneidos, qui hiſtoriam narrat, ut & *Strabo*. Hinc Caeritum tabulae, de quibus *Agellius* lib. XVI. 13. & *Aſconius* in Divinationem. Unde colligere eſt, aut aliter olim diphthongum *Ai* pronuntiari ſolitam; aut non recte hodie Graecae linguae pronuntiationem reſtitui, ut litterae, quae ſcribuntur, eaedem omnes clare diſtincteque efferantur: quod tamen probo: non recte enim ae cum e ſono

2 zentio ceſſura. Tunc Aeneam, quod copiis inferior erat, multis rebus, quae neceſſario tuendae erant, in urbem comportatis, caſtra ſub Lavinio collocaſſe, praepoſitoque his filio Euryleone, ipſum electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxiſſe, circa Numici fluminis ſtagnum. ubi cum acerrime dimicaretur, ſubitis turbinibus infuſcato aëre, repente coelo tantum imbrium effuſum tonitrubus etiam conſequutis, flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modo praeſtringerentur, verum etiam mentes quoque confuſae

ſono confunditur. SCHOTT.

2 *Euryleone.*] Aſcanio, qui & *Euryleon* dicebatur. Infra *Aſcanius* idem *qui Eurylео*; quamquam hujus Aſcanii nominis nemo quod ſciam meminit. ANNA. Nimis ſecure haec ſcribit Doct. Femina, cum hoc ei nomen etiam tribuat *Dion. Halicarn.* lib. 1. Ant. Rom. cap. XL. p. 52. Ed. *Sylb.*

Circa Numici.] *Numicii* ſcribendum hic, & poſt paullo videtur. *Numicius* enim a *Plinio* libro III. cap. V. & *Ovid.* Metamorph. fluvius ille vocatur. Ab *Halicarnaſſeo* μεταρὺς Νομίκιος, cujus mediam ſyllabam *mi Horatius* Epiſt. 1. XVIII. 20. praeter Grammaticorum legem corripuit, quam alibi idem extendit.

Brundiſium Numici melius via ducat an Appi. SCHOTT. Pro *Numici* & hic & mox rectius ſcribemus *Numicii*. SYLB. *Virg.*

Fontis ſtagna Numici.

Numicus vel *Numicius* fluvius non longe a Lavinio. ANNA. Eodem modo uti hic emendarunt Viri Eruditi, etiam apud *Livium* lib. 1. cap. 11. *Numicium* pro *Numicum* repoſuerunt *Glareanus* & *Sigonius*. Quod in illo Auctore poſſem ferre, ſed apud Noſtrum cur mutem, cauſſae nil video, qui ſere ſequi Poëtas ſolet. Hi enim ſecundum caſum formant *Numici* vel a Nominativo *Numicus* vel certe contracte pro *Numicii*. Vide talia loca apud *Sil. Ital.* lib. 1. verſ. 666. *Emmen.* ad *Virg.* lib. VII. Aen. verſ. 150. & *Cellarium* in Geogr. Vet. lib. II. cap. IX. p. 503. *Numicum* tamen ſine interpoſito *i* hunc fluvium nominat *Solinus* in Polyh. cap. II. p. 10. *Apud Numicum parere deſivit.* Sic ſervant Editiones, quas vidi, & excerpta Cod. MS. Apud *Vibium* quoque *Seq.* p. 60. *Numicus in agro Laurenti.* nec recedit *Servius*, qui licet alibi *Numicium*, tamen etiam *Numicum* ſcribit ad *Virg.* IV. Aen. 620. VI. 88. & 332. VII. 797. XII. 794. & aliis locis. *Arnobius* adv. Gentes lib. 1. p. 20. *In alveis Numici cum ranis & piſciculis degunt.* Ex Poëtis cum *Numicum* vocat *Silius Ital.* lib. VIII. verſ. 180.

Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus.

Conf. *Conſt. Fann.* ad *Ovid.* lib. XIV. Met. verſ. 328. *Turnebus* lib. XI. Adv. cap. XVII. *Torrent.* ad *Horat.* lib. 1. Ep. VI. init. & Doct. *Voſſius* de Idoſol. lib. 1. cap. XII. Pari igitur jure & *Numicium* & *Numicum* dicere potuit, quisquis fuerit, hujus libelli Auctor, neque etiam apud *Livium*, niſi addixerint Codices, quidquam mutarim temere. ARNTZ.

Praeſtringerentur.] *Praeſtinguentur* malo quam *perſtringerentur*, tametſi hanc vocem cum illa frequenter ſcioli commutarint; proprietatis credo ignoratione exſulavit hactenus, nunc a variis in Veterem poſſeſſionem ex *Aſconio* reſtituta. *Lucret.*

Perſtrinxit ſtellas exortus uti aetherius ſol.

SCHOTT. & SYLBURG. Hoc eſt, obſcurarentur a *prae* & *ſtinguo*. male vero, qui *praeſtinguere* confundunt, cum *perſtringere*. iſtud enim longe aliud notat. ANNA. Dedimus hic *Schotti* notam ex Editione ejus ultima, in priori enim locus *Lucretii* lib. III. verſ. 1057. *praeſtinxit* citatur. Apud Noſtrum autem *praeſtinguentur* edidit *Schottus*, *praeſtringerentur* aliquot poſteriores, de quibus vocibus non eadem ſentiunt Homines Elegantiores. *Praeſtinguere* enim ubique in *Plauto*, *Nonio*, *Cicerone* & aliis reſtituere voluit *Lambinus* ad *Lucret.* l. l. ad *Plaut.* Mil. Glor. Act. 1. ſc. 1. verſ. 4. *Acidal.* ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. XVIII. §. 4. & *Fabricius* ad *Aſcon. Pedian.* p. m. 221. Contra *praeſtringere* ſcribendum eſſe urguet *Giphanius* in Collect. ad *Lucretium*, *Davisius* ad *Minuc. Felic.* Octav. cap. XXIII. Cl. *Burm.* ad *Quintil.* lib. X. Inſt. Orat. cap. 1. p. 886. & Erud. *Oudend.* ad *Lucan.* lib. 1. verſ. 154. ceterique, quos ſequor. Male autem negat Doctiſſima *Anna* (quod venia illius ſexus dictum velim) *perſtringere* hoc ſenſu recte dici, quam in rem teſtimonia attulit Clar. *Drakenborchius*, cujus me fideliſſimis monitis ab Adoleſcentia formatum eſſe, eſt quod mihi ſaepe gratulor, ad *Sil. Ital.* lib. 1. verſ. 358. *Val. Max.* lib. IX. cap. 1. ex. 5.

Roma-

fuſae eſſent, cumque univerſos utriusque partis dirimendi praelia cupiditas ineſſet, nihilominus in illa tempeſtatis ſubitae confuſione interceptum Aeneam, nusquam deinde comparuiſſe. Traditur au-3 tem non proviſo, quod propinquus flumini eſſet, ripa depulſus, forte in fluvium decidiſſe, atque ita praelium diremtum, dein poſt apertis fugatisque nubibus cum ſerena facies effulſiſſet, creditum eſt vivum eum coelo adſumtum. Idemque tamen poſt ab Aſcanio, & 4 quibusdam aliis viſus affirmatur ſuper Numici ripam, eo habitu armisque, quibus in praelium proceſſerat. Quae res immortalitatis ejus famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum conſecratum, appellarique placuit Patrem Indigetem. Dein filius ejus Aſcanius, 5 idem

Romanorum exercituum oculos Luſitanis telis perſtringeret. Quintil. Decl. CCLII. p. 457. *Ingens pondo argenti perſtringet oculos.* Quem locum tentare non debuerat Erud. *Francius*, nimis ſaepe ad emendandum pronus. *Seneca* ad *Helviam* cap. IX. *Igne fuſo perſtringentes oculos.* Neque ibi quidquam mutarim, niſi voluerint Codices. Ceterum quod *Lambinus* ſtatuat *praeſtinguere* dicendum, non *praeſtringere* ex eo, quod Latini dicant *praeſtigiae*, parvi eſt momenti, cum aeque *praeſtrigium*, quam *praeſtigiae* reperiantur. *Prudent.* Cathem. Hymn. VI. verſ. 139.

Procul eſto praevicaci
Praeſtrigiator aſtu.

Ubi *Iſonis* gloſſae. *Praeſtrigium* (ita enim videtur eſſe reponendum) *dicitur monſtrum a praeſtringendo.* Confer easdem gloſſas ad Hymn. III. Periſteph. verſ. 86. Atque ita in uno Codice apud *Valer. Max.* lib. VII. cap. III. ex. 4. invenerat Doctiſſ. *Torrenius.* ARNTZ.

Univerſos utriusque.] Legendum videtur interpoſita littera *inceſſet* aut *inceſſiſſet.* uti etiam monitum a *Sylburgio.* GRUT. & SYLB. Certe legendum *univerſis:* neque enim dicitur *me ineſt.* Quod ſi *univerſos* retineas, neceſſario legendum *inceſſet*, quod eſt *inceſſiſſet*, quod *Sylburgio* & *Grutero* video placuiſſe. Tamen cum veteres dixerint *illum inſtat magnum exitium*, amplius deliberandum eſt, num etiam *univerſos ineſt cupiditas*, &c. dicere potuerunt. ANNA.

3 *Non proviſo.*] Ablativus abſolutus, ut ſupra *per colloquium inquiſito.* ANNA.

Aperti ſugatisque.] *Apertis*, quia dum *fugantur* nubes, eae quodammodo videntur *aperiri.* ANNA. Hinc *coelum apertum* apud *Ovidium* lib. I. Art. 247.

Luce Deas coeloque Paris ſpectavit aperto.

Et lib. I. Faſt. verſ. 681.

Cum ſerimus, coelum ventis aperire ſerenis.

Appoſite magis ad hunc locum *Virgil.* I. Aen. 586.

- - - Cum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes & in Aethera purgat apertum.

Serenam autem *faciem* ſtatim dicit pari modo ac *Phaedrus* lib. IV. Fab. XVI.

Faciem ad ſerenam ſubito mutato die.

Pro *abſumtum* vero, quod ediderat *Schottus*, nos *adſumtum* repoſuimus, id quod volebat etiam Erud. *Munckerus* ad *Hygin.* fab. XV. ubi eam locutionem *coelo* pro *ad coelum* pluribus confirmat. *Sil. Ital.* lib. I. verſ. 370.

Mugitum ingentem coelo dedit.

Ubi *Drakenb.* & eod. lib. verſ. 508.

- - - Coeloque attollit lumina ſupplex.

Adde librum III. verſ. 342. & eundem *Drakenb.* ad lib. XIII. verſ. 708. & *Vorſt.* ad *Juſt.* lib. VIII. cap. VI. §. 1. ARNTZEN.

4 *Patrem indigetem.*] Qui *indigetes* Dii dicantur, *Servius* in duodecimo Aeneidos & *Sext. Pompejus.* SCHOTT. *Indigetes Dii* qui vocentur, *Sextus Pompejus* tradit, & *Servius* in Aeneid. XII. *Dionyſius Hal.* 52, 15. χθόνιος interpretatur, dum Heroicum Aeneae monumentum inſcriptum ait πατρὸς Θεοῦ χθονίου. SYLB. *Solin: patrisque Indigetis ei nomen datum. Indigetes*, qui ex hominibus Dii facti ſunt ab *indigitando*, hoc eſt, invocando, quod cum ceteris Diis invocentur. Vel *Indigetes* ſunt, qui certum aliquem locum colunt, ab *indu*, hoc eſt, in, & *ago*, dego, maneo. Idque verum eſt. Aeneas enim non ſolum *Pater indiges*, ſed Pater Deus *indiges* dictus. Quod probat τὸ *indiges* eſſe adjectivum, & *indigetem* eſſe quaſi incolam. Quare *Dionyſius* nomen iſtud Aeneae ita Graece interpretatus eſt, πατρὶ θεῷ χθονίῳ. Eſt ergo *indiges*, χθόνιος, ἐνοχώμενος, indigena. *Indigetes* Dii topici & locales, qui ad

idem qui Euryleo, omnium Latinorum judicio Rex appellatus.

alias regiones numquam transeunt. ANNA.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

Mezentius a Latinis fugatus, Lauso filio ejus interfecto. Cum Mezentio dein societas inita. Ascanii insignis virtus: unde Jobus, & postea Julus appellatus.

1 Igitur summam imperii Latinorum adeptus Ascanius, cum continuis praeliis Mezentium persequi instituisset, filius ejus Lausus
2 collem Laviniae arcis occupavit. Cumque id oppidum circumfusis omnibus copiis Regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt scisscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet; cumque ille inter alia onerosa illud quoque adjiceret, ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur; consilio atque auctoritate Ascanii placuit ob libertatem mori potius, quam illo mo-
3 do servitutem subire. Itaque vino ex omni vindemia Jovi publico voto, consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio,
4 interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coëgerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit. ut docet Lucius Caesar lib. I. Itemque Aulus Postumius in eo volumi-
5 ne, quod de adventu Aeneae conscripsit atque edidit. Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Jove ortum credide-

runt,

3 *Itaque vino ex omni vindemia Jovi.*] Hinc *Festus Pompejus: Rustica vinalia appellantur mense Augusto quarto decimo Kalendas Septembris Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium omnis vini libationem ei Deo dedicarunt.* ANNA.

4 *Lucius Caesar.*] Post paullo *Cajus Caesar*, & infra *Julius* nominatur: quare vereor, ut recte habeat scripta lectio, legendumque sit *Julius Caesar*. Certe proclivis error, traductis nonnihil litteris paene isdem. Et vero *C. Julium Caesarem* Augustalium libros scripsisse inter doctos convenit, laudatos a *Prisciano* lib. VI. & VIII. Gram. Auspiciorum sextum decimum *Macrobius* I. Saturn. citat, & Pontificalium libros Auctor noster sup. quos, licet non nominet, perpetuo citari puto. SCOTT. & SYLB. Legendum puto Julius Caesar. Vide quae ad libelli argumentum notavimus. ANNA.

Aulus Postumius.] *A. Posthumius Albinus*, qui Consul fuit cum L. Licinio Lucullo. Historiam Graecam scripsit, & Annales Latinos, quos laudat *Macrob.* lib. II. Saturnal. cap. XVI. ANNA.

Edidit.] Ita recepi ex conjectura *Schotti*, quam in margine adposuerat. Vulgatum *dedit* nemini credo satisfaciet. Sic *Tacitus* lib. IV. Ann. cap. XXXIV. *Quod editis Annalibus C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.* & *Valer. Max.* VIII. XIV. ext. 3. *Discipulo oratoriae artis libros, quos ederet, donaverat.* Sic aliquoties *Cicero* & alii. Errori caussam dedit ultima littera praecedentis vocis, qualia librariorum errata passim observarunt Viri Docti. Ex multis Vide *Ciofan.* ad *Ovid.* lib. XIV. Met. vers. 484.

5 *Dein*

runt, ſed etiam per diminutionem, declinato paullulum nomine, primo Jobum, dein poſtea Julum appellarunt, a quo Julia familia manavit. ut ſcribunt Caeſar libro II. & Cato in Originibus.

5 *Dein poſtea Julum.*] Alii a prima barbae lanugine *Julum* dictum tradunt, quae Graece ἰοὺλος, cum is Mezentium in ſingulari certamine occidiſſet. *Cato* apud *Servium*. ANNA.

Julia filia.] Procul dubio pro *filia* reponendum, *Julia familia*. GRUT. & ANNA. Sic & *Schottus* in marg. qua lectione nihil poteſt eſſe certius. Ab Julo enim genus ſuum deducebant Julii. Ipſe Caeſar apud *Suet.* in Ejus Vita cap. VI. *A Venere Julii, cujus gentis Familia noſtra eſt. Vell. Paterc.* lib. II. cap. XLI. §. 1. *Hic Nobiliſſima Juliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe & Venere deducens genus. Livius* lib. I. cap. III. *Quem Julum eundem Julia gens auctorem nominis ſui nuncupat.* & ſic *Servius* ad *Virg.* lib. I. Aen. verſ. 271. *Sed magis ad familiam reſpexit, quia omnis gens Julia inde originem ducit.* Facilis hic eſt Librariorum lapſus, & ſic *familia* nobis obtrudi, ubi *filia* eſſet legendum vidit magnus ille *Ciceronis* ſoſpitator *Victorius* ad lib. XIII. Epiſt. ad Famil. Ep. VIII. quamvis hujus inventionis laudem ei eripere conetur ad eundem locum *Manutius*. ARNTZEN.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Lavinia metu Aſcanii in ſilvam profugit, ubi parit Silvium. Aſcanii apud Latinos invidia, quaſi Laviniam necaſſet: cujus tandem reditu, populo reconciliatur. Paullo aliter de his ex aliis narratum.

Interim Lavinia ab Aenea gravida relicta, metu, veluti inſequuturi ſe Aſcanii, in ſilvam profugit, ad magiſtrum patrii pecoris, Tyrrhum, ibique enixa eſt puerum, qui a loci qualitate Silvius eſt dictus. At vero vulgus Latinorum exiſtimans clam ab Aſcanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, usque eo, ut armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Aſcanius jurejurando ſe purgans, cum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram praeſentem vulgi aliquantulum fregit; pollicitusque eſt, ſe ingentibus praemiis cumulaturum eum, qui ſibi Laviniam inveſtigaſſet. mox recuperatam cum filio in urbem Lavinium reduxit, dilexitque honore materno. Quae res rurſum ei magnum favorem populi conciliavit, 1 2 3 4

1 *Tyrrhum.*] Hic nominatur *Tityrus* a *Dionyſio Halic.* p. 376: 16. *Tyrrhenus* p. 56: 23. Sed *Tyrrhum* agnoſcit etiam *Virgilius*. & quidem tribus in locis. SYLBURG. *Tyrrhenum* vocat *Dionyſius*, qui hanc hiſtoriam narrat. ANNA. Atque ita legendum eſſe in marg. conjecerat *Schottus*.

A loci qualitate Silvius.] *Liv.* lib. I. *Silvius deinde regnat Aſcanii filius, caſu quodam in ſilvis natus.* Ubi *Silvium* Aſcanii, non Aeneae filium facit. Cum noſtro conſentiunt *Dionyſius*, *Euſebius*, *Servius*, qui Aeneae filium dicunt. ANNA.

vit, ut ſcribunt Cajus Caeſar, & Sextus Gellius in Origine
5 Gentis Romanae. At vero alii tradunt, quod cum Aſcanius ab univerſo populo ad reſtituendam Laviniam cogeretur, juraretque ſe neque interemiſſe, neque ſcire ubi eſſet, Tyrrhum petito ſilentio in illa concionis frequentia profeſſum indicium, ſi ſibi, Laviniaeque, pueroque ex ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum accepta fide Laviniam in urbem cum filio reduxiſſe.

4 *Sextus Gellius.*] Hujus nemo alius meminit: forſan non *Sextus*, ſed *Cnaeus Gellius* legendum ſit, qui annales ſcripſit, & memoratur *Gellio*, *Dionyſio*, *Vopiſco*, *Macrobio*, *Priſciano*. ANNA.

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Alba Longa condita. Aſcanii obitus. Contentio inter Julum ejus filium, & Silvium poſtumum Aeneae filium, de imperio, quod obtinet Silvius. Cujus poſteros Silvios Albae regnaſſe, usque ad conditam Romam. Coloniae deductae regnante Latino Silvio.

1 Poſt haec Aſcanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis condendae tempus adveniſſe ex numero porcorum, quos pepererat ſus alba, circumſpectis diligenter finitimis regionibus, ſpeculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita eſt, Albanus nuncupatur, civitatem communit, eamque ex forma, quod ita in longum porrecta eſt, Longam, ex colore
2 ſuis, Albam cognominavit. Cumque illuc ſimulacra Deorum Penatium tranſtuliſſet, poſtridie apud Lavinium apparuerunt. Rurſusque relata Albam, appoſitisque cuſtodibus, neſcio quantis, ſe Lavinium in

1 *Albanus nuncupatur.*] *Liv.* lib. 1. *Novam ipſe aliam* (urbem) *ſub Albano monte condidit, quae ab ſitu porrectae in dorſo urbis Longa Alba appellata.* ANNA.

2 *Neſcio quantis.*] Pro *quantis* in Vet. l. eſt *quat's*, ſuperſcripta ad *t* deſuper apoſtropho. unde *Schottus* conjicit legendum *quatenus*. hiſtoriam eandem narrat etiam *Dionyſ. Hal.* 54: 13. SYLB. Malim *neſcio quamodo*, ſed id nimis divertit a characteribus & pronuntiatione vocis alterius. quare verius *Schottus* in marg., *neſcio quatenus*, ex veteri ſcriptura, quae habebat, *quat's*. verum neque id ſatis adhuc facit. GRUT. Puerile eſt. Forſan *neſcio queis*. ANNA. Sed omnes hae conjecturae non meliorem efficiunt ſententiam, quam in vulgata lectione habetur. Certe neſcio, cur minus ridiculum ſit hic legere *queis*, quam *quantis*. Quis enim hoc ab Hiſtorico poſtularet, ut ſemper obſcura illa cuſtodum nomina adderet, quae res legenti taedium potius conciliaret, quam inter hiſtorici Virtutes recenſeri poſſet. *Neſcio quatenus* ſcribere non potuit Noſter, ſiquidem Gentium ſacris addictus, qui non ſolum cuſtodiis, verum vel vinculis retinere ſolebant Deos. de quo more *Freinsbem.* ad *Curtium* lib. IV. cap. III. §. 22. & *Lactantius* lib. II. Divin. Inſt. cap. IV. Igi-

tur

in priſtinam ſedem identidem receperunt. Itaque tertio nemo auſus 3
eſt amovere ea, ut ſcriptum eſt in Annali Pontificum lib. IV. Cincii & Caeſaris II. Tuberonis I. At Aſcanius poſtquam exceſſiſſet e 4
vita, inter Julum filium ejus, & Silvium Poſtumum, qui ex Lavinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio eſt, cum dubitaretur an Aeneae filius, an nepos potior eſſet. Permiſſa diſceptatione ejus rei ab univerſis Rex Silvius declaratus eſt. Ejusdem poſteri 5
omnes cognomento Silvii, usque ad conditam Romam, Albae regnaverunt, ut eſt ſcriptum Annalium Pontificalium lib. IV. Igitur 6
regnante Latino Silvio coloniae deductae ſunt Praeneſte, Tibur, Gabii, Tuſculum, Cora, Pometia, Locri, Cruſtumium, Camena, Ro-

tur niſi a poſteriori manu hae duae voces profectae ſint, *quantis* poſitum erit pro *quam multis*. ut infra Epit. cap. XV. §. 6. *Ne ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet, intelligeretur.* Quomodo & alii. *Vegetius* lib. III. de Re Milit. cap. V. *Signorum militarium quanta ſunt genera.* Sic enim eſt in MS. *Stewechii*, & eod. lib. cap. IX. *Integris ſuis quantos poſſint hoſtes interimant.* *Dictys Cret.* de Bell. Troj. lib. I. cap. VI. *Quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem inoueret.* Ubi hanc vocis ſignificationem non capiebat Feminarum decus, cum omnino *quantam* legendum eſſe pronunciaret. *Latinus Pacatus* in Paneg. cap. XLVII. §. 5. *Quantis ſtupentium populis, quam multo circumdabor auditore.* & *Manilius* lib. III. Aſtr. verſ. 285.

Tertiaque in quantas partes inducitur ejus. Conſulendus Doct. *Barthius* ad *Claudian.* III. Conſ. Honor. verſ. 116. *Waſſe* ad *Salluſt.* Bell. Jug. cap. XLIV. p. 347. *Weitzius* ad *Salvian.* lib. III. de Gub. Dei p. m. 194. & Eleg. *Broukh.* ad *Prop.* lib. I. El. V. verſ. 10. & El. XII. verſ. 4. Quare non debemus ad infimam cum *Junckero* latinitatem hujus vocabuli uſum detrudere. Vid. ejus Praefat. in *Aurel.* Si tamen aliquis malit legere *neſcio quatenus* per me licet, ſed tum vix dubito, quin a Gloſſatoris manu, qui has hominum inepcias ridebat, ex margine in textum irrepſerint. ARNTZ.

4 *Inter Julum.*] Idem *Dionyſius.* ANNA. Et *Feſtus* in v. *Silvii.*

Poſtumum.] *Poſtumi* dicuntur, qui mortuo patre naſcuntur, & qui poſt factum teſtamentum. Item *poſtumus*, qui poſt alios omnes liberos ultimus natus eſt. ANNA.

Ejus rei.] Deeſſe dativum *plebi*, vel *nobilibus*, adnotat *Schottus* in marg. *Dionyſius Hal.* 56, 42. τῶ δήμω (i. *populi* ſeu *plebis*) ſuffragiis deciſam litem refert. SYLBURG. Quid ſi legeres: *permiſſa diſceptatione ejus plebi.*

5 *Ejusdem poſteri.*] *Liv.* lib. I. *Manſit Silviis poſtea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt.* ANNA.

6 *Latino Silvio.*] *Ab eo* (Latino Silvio) *coloniae aliquot deductae. Liv.* lib. I. ANNA.

Coloniae deductae.] qui *priſci Latini* dicti ſunt, inquit *Livius.* de *Praeneſte* & *Pometia* dixi in Notis Illuſtrium. SCHOTT.

Praeneſte.] Latii urbs mediterranea, hodie *Paleſtrina.* ANNA.

Tibur.] Latii urbs ad Anienem, hodie *Tivoli.* EAD.

Gabii.] Inter Romam & Praeneſte. EAD.

Tuſculum.] Latii urbs. EAD.

Cora.] Volſcorum urbs. EAD.

Pometia.] Latii urbs non longe a foro Appii. EAD.

Locri.] In Bruttiis. EAD.

Cruſtumium.] Vel *Cruſtumerium* in Latio. EAD.

Camena.] *Camenam* urbem ignorant Geographi: legebat *Ortelius Capena*, quae Tuſciae urbs eſt. EAD. Vide *Ortelium* Theſ. Geogr. hac voce. Sed cum hic praeſertim urbes *Latii* memorentur, leviori mutatione ego ſcriberem *Cameria*, quam urbem *Veteris Latii* fuiſſe teſtis eſt *Livius* lib. I. cap. XXXVIII. *Inde Priſcis Latinis bellum fecit. Ad ſingula Oppida circumferendo arma nomen omne Latinum domuit, Corniculum, Finulcea Vetus, Cameria, Cruſtumerium.* Ubi cum eadem urbe, quacum hoc in loco, jungitur. Cui rei accedit, urbem *Cameriam*, ut dixi, fuiſſe *Priſci Latii*; jam omnes Colonias ab illo Silvio deductas *Priſcos Latinos* eſſe appellatas prodit idem *Livius* lib. I. cap. III. *Is Aeneam Silvium creat; is deinde Latinum Silvium. Ab eo Coloniae aliquot deductae & Priſci Latini appellati.*

Ronillae, ceteraque oppida circumquaque.

Ronillae.] Pro *Ronillae* ſcribendum potius *Bovillae*: cujus opidi paſſim inter Latina fit mentio. *Ruſellanos* inter Etruriae populos recenſet *Dionyſius Hal.* 189, 10. SYLBURG. Potius locum heic habuerit, *Bovillae*, ut jam indicavit optimus virorum *Sylburgius*. GRUT. & ANN. Neque ego dubito ſcribere *Bovillae*. Sed malim aliquando, praeſertim in nominibus propriis, eſſe nimis timidus. Haec quoque urbs eſt Latii, non procul a Roma. *Propert.* lib. IV. El. 1. verſ. 31.

Quippe ſuburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Plura *Freinsh.* ad *Flor.* lib. 1. cap. XI. §. 6. & Nobil. *Heinſius* ad *Ovid.* lib. III. Faſt. verſ. 667. In eandem, nihil enim facilius, conjecturam incidit *Ortelius* in *Ronillae*.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.

Poſt hunc Rex Tiberius Silvius. Tiberis appellatio. Inde Aremulus Silvius, ejusque ſuperbia & poena. Poſt quem Rex Aventinus Silvius: a cujus ſepultura Aventinus mons appellatus.

1 Poſt eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui cum adverſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter praeliantes depulſus in Albulam flumen, deperiit, mutandique nominis ex-
2 ſtitit cauſſa, ut ſcribunt Lucius Cincius lib. I. Lutatius lib. III. Poſt eum

1 *Tiberius Silvius.*] Pro *Tiberio* ſupra *Tiberinus* eſt 376, 25. & apud *Dionyſ. Hal.* 57, 14. itemque apud *Caſſiodorum* infra 591, 46. & apud *Euſeb.* in Chronicis. SYLB. Lege *Tiberinus Silvius*. Is autem *Calpeti* filius fuit. ANNA. Ita etiam reponendum eſſe cenſuerat in margine *Schottus*. Sed peccatum non eſſe Librariorum, cum alii etiam eum *Tiberium* appellent, opportune notarunt *Salvagn.* ad *Ovidium* in Ibide verſ. 516. & *Berkelius* ad *Steph.* de Urb. voce Αλβα. Aliter tamen *Merula* ad *Ennium* lib. I. Ann. p. 170. Qui eundem errorem eſſe apud *Feſtum* ſcribit, ſcilicet ita ille in voce *Albula: Tiberis autem a Tiberio Silvio Rege Albanorum*. Nam aliter vel ipſe vel ejus Epitomator *Paullus* in voce *Tiberis: Tiberis fluvius dictus a Tiberino Rege Albanorum. Varro* lib. IV. *de L. L. p.* 13. *Sunt, qui Tiberis priſcum nomen latinum Albulam vocitatum litteris tradunt, poſterius propter Tiberinum Regem Latinorum mutatum.* Ubi ab aliis male itidem legi *Tiberium* teſtantur notae marginales. Sed receptam lectionem veriorem eſſe conſtat ex *Servio* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 330. qui teſte ipſo *Varrone* Tiberim a *Tiberino* dictum tradit. Confer Eundem ad lib. III. Aen. verſ. 500. VIII. 72. & X. 145. *Cerdam* ad *Virg.* lib. VIII. verſ. 331. *Turnebum* lib. XI. Adverſ. cap. XVII. & Cel. *Gron.* ad *Livium* lib. 1. cap. III. *Gunther. Ligur.* lib. IV. de Geſt. Fred. Barb. verſ. 149.

Te placido transmiſſa (ſic enim malim pro *transmiſſe*) *vado vetus Albula tranſit,*
Albula, cujus aquis Tiberinus nomina fecit.

Rectius igitur *Tiberinum*, quam *Tiberium* dici ſtatuo, praeſertim cum deinde etiam a Tiberi deductum ſit Epitheton *Tiberinus*. Inf. Epitom. cap. XXIII. §. 7. & Deus *Tiberinus*, quod notum; non tamen omnibus locis pro *Tiberio* ſtatim reponendum eſſe *Tiberinum*, cum *Euſtatius* ad *Dionyſ. Perieg.* verſ. 350. *Feſtus*, hic locus, & alii eam lectionem tueantur. Ceterum in notis *Sylburgii* obſervari velim, ſecutos nos eſſe in *Dionyſio* ceterisque numeros paginarum ejus editionis, quam ipſe fuerat ſecutus. Sed hoc ſemel hic monuiſſe ſufficiat. ARNTZEN.

Mutandique nominis.] Nam poſtea *Tiberis* vocatus fuit. *Liv.* lib. 1. *Ovid.* IV. Faſtorum & XIV. Metamorphoſeon, & alii. ANNA.

Lucius Cincius.] *L. Cincius Alimentus.* Cujus ſaepe

eum regnavit Aremulus Silvius, qui tantae ſuperbiae non adverſum homines modo, ſed etiam Deos fuiſſe traditur, ut praedicaret ſe ſuperiorem eſſe ipſo Jove, ac tonante coelo militibus imperaret, ut telis clypeos quaterent, dictaretque clariorem ſonum ſe facere. Qui 3 tamen praeſenti affectus eſt poena, nam fulmine ictus, raptusque turbine in Albanum lacum praecipitatus eſt, ut ſcriptum eſt Annalium lib.

ſaepe meminit *Livius*. Eumque *maximum auctorem* vocat. Multa ſcripſit. Hiſtorias, libros de Re Militari, Faſtos. Quos hic ſignari ſuſpicor. ANNA.

2 *Aremulus Silvius.*] *Aremulum* agnoſcit cum *Euſebio* etiam *Caſſiodorus*. Sunt qui *Remulum* vocent: *Liviani* libri *Romulum*, itidemque *Meſſalla* ſupra 376, 26. A *Dionyſio Hal.* 57, 20. dicitur *Allades:* non ſine mendi ſuſpicione. SYLBURG. Hunc *Livius* & *Meſſala Corvinus Romulum* appellant, *Remulum Ovidius*, *Caſſiodorus* & *Oroſius Aremulum*. Is Agrippae Silvii filius fuit, *Alladius* vocatur *Dionyſio*, quem Faſti ſequuntur. ANN. Ita variant in hoc nomine ipſi veteres. *Euſeb.* in Chron. ad Ann. MCXLII. Et *Oroſius* lib. 1. c. xx. Confer *Merulam* ad *Ennium* lib. 1. Ann. p. 171. *Cioſan.* ad *Ovidium* lib. XIV. Met. verſ. 614. Et Nob. *Heinſium* ad lib. IV. Faſt. verſ. 49. ſi quidquam mutandum, quod non credo, poſſet legi: *poſt eum regnavit Albae Remulus.*

3 *Nam fulmine ictus.*] *Ovidius*, *Dionyſius*, *Euſebius*, *Caſſiodorus* anno captae Trojae CCCXXX. regni ſui XIX. ANNA.

Raptusque turbine.] In omnibus Editionibus, quas conſului, antea *ruptus* legebatur, nullo ſenſu. Quomodo enim vento rumperetur corpus. Quare levi mutatione *raptus* repoſui. *Rapi* enim *turbine* dicuntur, quae vento vehementiori de loco ſuo moventur, & in aliam partem transferuntur. *Manert.* Paneg. Maxim. Hercul. cap. XII. §. 2. *Niſi ſi hauſtu terrae devoretur, aut turbine aliquo in devia ſaxa rapiatur. Claudian.* lib. 1. de Rapt. Proſ. verſ. 69.

\- - - *Ceu* turbine *vauco*
Cum gravis armatur boreas, glacieſque nivali
Hiſpidus & Getica concretus grandine pennas
Bella cupit, pelagus, ſilvas, campoſque ſonoro
Flamine rapturus.

Florus lib. III. cap. XI. §. 3. *Rapta ſubitis ſigna turbinibus hauſit Euphrates.* Uti hunc locum Cl. *Dukerus* recte expoſuit. *Silius Ital.* lib. III. verſ. 523.

Interdum adverſo glomeratur turbine *corus*
In media ora nives fuſcis agit horridus alis,
Aut rurſus inmani ſtridens avulſa procella
Nudatis rapit *arma Viris.*

Seneca de Vita Beata cap. XXVIII. *Nonne nunc quoque* turbo *quidam animos veſtros rotat & involvit, fugientes petentesque eadem, & nunc in ſublime allevatos, nunc in infima elliſos* rapit. *Valer. Flaccus* lib. 1. Argon. verſ. 626.

Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit.

Atque ita in Vulgata verſione *Jobi* cap. XXVII. §. 21. *Tollet eum ventus urens & turbo rapiet eum de loco. Lucanus* lib. III. verſ. 46.

Caeſar ut emiſſas venti rapuere carinas.

Livius lib. 1. cap. XVI. *Sublimem raptum procella.* lib. XXIV. cap. VIII. *Turbato mari rapitur vento navis.* lib. XL. cap. II. & cet. *Iſtanius* lib. 1. Bell. Troj. verſ. 87.

Sed rapit aura ratem.

Virgil. Culic. verſ. 210.

\- - - *Rapior per inania ventis.*

Hygin. fab. XIV. p. 45. *Vento rapta navi deſerti ſunt. Propert.* lib. II. El. XXI. verſ. 10. & El. XXIII. verſ. 57. Hinc *rapax* & *rapidus* Epitheta ſunt, quae *turbini* adjungunt Poëtae. *Lucanus* lib. V. verſ. 595. *Statius* lib. VII. Theb. verſ. 133.

Turbine praevectus rapido.

Ita enim ibi legendum, non *rabido. Ovid.* Epiſt. VII. Her. verſ. 67. *Valer. Flaccus* lib. IV. Arg. verſ. 262. & 510. Neque novum eſt voces haſce *raptus* & *ruptus* inter ſe confundi. Vide Nob. *Heinſium* ad *Claudian.* lib. 1. de Rapt. Proſ. verſ. 145. ad *Ovidium* Ep. VI. Her. verſ. 27. *Voſſium* ad *Caeſar.* lib. 1. Bell. Civ. cap. V. §. 1. Cl. *Burm.* ad *Ovid.* lib. 1. Am. El. VII. verſ. 49. & lib. 1. Art. verſ. 329. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. 1. verſ. 177. & 569. & lib. III. verſ. 196. eadem eſt varietas apud *Senec.* in *Thyeſt.* verſ. 777. Atque hanc vocem corruptam puto apud *Nazar.* in Paneg. Conſtant. cap. XXXIII. §. 5. *Facilior quidem & multo proclivior laedendi, quam commodandi ſemper eſt via, vulnerare integrum, quam ſauciato mederi, diſſipare rupta, quam divulſa componere.* Circumfertur hodie *rapta*, ſed ſequens *divulſa* hanc emendationem exigit. Poſtea tamen video, in hoc *Victoris* loco etiam *raptus* edidiſſe *Sylburgium.* ARNTZEN.

4 lib. VI. & Epitomarum Piſonis II. Aufidius ſane in Epitomis, & Domitius lib. I. non fulmine ictum, ſed terrae motu prolapſum, ſi-
5 mul cum eo regiam in Albanum lacum tradunt. Poſt illum regnavit Aventinus Silvius, isque finitimis bellum inferentibus in dimicando circumventus, ab hoſtibus proſtratus eſt, ac ſepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit, ut ſcribit Julius Caeſar lib. II.

Piſonis.] Is fuit *L. Calpurnius Piſo*, qui *Frugi* dictus eſt. Annales reliquit, quos *exiliter ſcriptos* dicit *Cicero*. ANNA.

4 *Aufidius.*] An *Baſſus Aufidius*, vel *Aufidius Modeſtus?* dubito. Hic inter Grammaticos, ille vero inter Hiſtoricos refertur. EAD.

Domitius.] Jam ſupra. EAD.

5 *Aventinus Silvius.*] Decimus tertius Latinorum Rex. Monti, quo ſepultus, *Aventino* nomen impoſuit. *Livius*, *Ovidius*, *Varro*, & alii. Regnavit annis XXXVII. EAD.

CAPUT XIX.

ARGUMENTUM.

Ab hoc Silvius Procas Rex. Filii ejus Numitor, & Amulius. Amulius regnum obtinet. De Rea Silvia, natisque Romulo & Remo.

1 Poſt eum Silvius Procas Rex Albanorum, duos filios Numitorem &
2 Amulium aequis partibus haeredes inſtituit. Tum Amulius in una parte regnum tantummodo, in altera totius patrimonii ſuminam, atque omnem paternorum bonorum ſubſtantiam poſuit, fratrique Numitori, qui major natu erat, optionem dedit, ut ex his,
3 utrum mallet, eligeret. Numitor cum privatum omne cum facultatibus regno praetuliſſet, Amulius regnum obtinuit. Quod ut firmiſſime poſſideret, Numitoris fratris ſui filium in venando interimendum curavit. Tum etiam Ream Silviam ejus ſororem ſacerdotem Veſtae fieri juſſit, ſimulato ſomnio, quo admonitus ab eadem Dea eſſet, ut id fieret, cum re vera ita faciundum ſibi exiſtimaret, periculoſum ducens, ne quis ex ea naſceretur, qui avitas perſequeretur injurias, ut ſcribit Valerius Antias lib. I. At

1 *Silvius Procas.*] Regnavit annis XXIII. ANNA.

4 *Fratris ſui filium.*] *Egeſtum Halicarnaſſeus*, *Plutarchus Aenitum* in paralL. num. 69. *Eutropius Sergeſtum* appellat, alii etiam *Lauſum*. SCHOTT. & SYLB.

Sacerdotem Veſtae fieri juſſit.] Non tantum ſacerdotem Veſtae fieri juſſit, ſed & Veſtae ſacerdotio praefecit, ut optime infra in Viris Illuſtribus in Proca. Locum adi. ANNA.

Valerius Antias.] Vide notata in argumento. ANNA.

5 *Mar-*

5 At vero Marcus Octavius, & Licinius Macer tradunt Amulium patruum Reae ſacerdotis, amore ejus captum, nubilo coelo obſcuroque aëre, cum primum illuceſcere coepiſſet, in uſum ſacrorum aquam petenti inſidiatum, in luco Martis compreſſiſſe eam, tum exactis menſibus geminos editos. Quod cum comperiſſet, celandi facti gratia per ſcelus concepti, necari juſſit ſacerdotem, partum ſibi exhiberi. Tumque Numitorem ſpe futurorum, quod hi, ſi adoleviſſent, injuriarum ſuarum quandoque ultores futuri eſſent, alios pro eis ſubdidiſſe, illosque ſuos veros nepotes Fauſtulo paſtorum magiſtro dediſſe nutriendos.

5 *Marcus Octavius, & Licinius Macer.*] Jam ſupra. ANNA.

6 *Necari juſſit ſacerdotem.*] Quidam vivam humi defoſſam ajunt, ut Veſtales delinquentes ſolent. Vide *Plutarch.* probl. 96. SCHOTT.

CAPUT XX.

ARGUMENTUM.

Alia ex aliis de Romuli & Remi nativitate & educatione narratio. Lupus & picus unde in tutela Martis. Arbor Ruminalis.

1 At vero Fabius Pictor lib. I. & Vennonius ſolito inſtitutoque egreſſam virginem, in uſum ſacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, ſubito imbribus tonitrubusque, quae cum illa erant, disjectis, a Marte compreſſam, conturbatamque, mox

1 *Fabius Pictor.*] De quo ſupra. ANNA.

Vennonius.] Male *Vennonius*, qui *Venonius* dicendus eſt. Eſt enim id nomen a *Venox* factum, ut optime *Voſſius*: hujus non ſemel meminit *Cicero*. ANNA.

Solito inſtitutoque.] Non ſolum *ſolito egreſſam* Veſtalem dicit, ſed etiam *inſtituto*. Ubi morem & ritum notat. Vid. *Plutarchum*. *Ovid.* III. Faſt.

Sacra lavaturas mane petebat aquas.

De Silvia. ANNA. *Solito* autem ſimpliciter pro *ſolito more*, ut apud *Ovidium* lib. V. Faſt. verſ. 547.

Quid ſolito citius liquido jubar aequore tollit
Candida, Lucifero praeveniente, dies.

Senecam in Agam. verſ. 715. & Doct. *Obrecht.* ad *Dict. Cretenſem* lib. V. de B. Troj. cap. V. Plene tamen dixit *Martial.* lib. V. Epigr. LXVIII.

Hibernos peterent ſolito cum more receſſus.

Addatur Nobil. *Heinſius* ad *Ovid.* lib. III. ex Pont. Ep. I. verſ. 165.

Disjectis.] Senſus eſt, disjectis, quae cum illa erant, Virginibus ſeu Comitibus. SYLB.

Conturbatamque.] Nolim quidem hanc lectionem damnare, cum ei favere videantur ſequentes voces: *mox recreatam*. Non male tamen legi poſſet, *conſtupratamque*. *Suetonius* Vitell. c. XII. *Adoleſcentulum mutua libidine conſtupratum.* in Tiber. cap. XLIV. §. 4. *Ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret.* & *Curtius* lib. X. cap. I. §. 5. *Qui nobilem virginem conſtupratam ſervo ſuo pellicem dederat.*

mox recreatam consolatione Dei, nomen suum indicantis, affirman-
2 tisque ex ea natos dignos patre evasuros. Primum igitur Amulius Rex, ut comperit Ream Silviam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad aquam profluentem, atque eo abjici.
3 Tum illi, quibus id imperatum erat, inpositos alveo pueros, circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus stagnaverat, abjecerunt. ejusque regionis subulcus Faustulus, speculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhaesisse ad arborem fici, puerorumque vagitu lupam excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos detersisse, dein levandorum uberum gratia mammas praebuisse, descendit ac sustulit, nutriendosque Accae Larentiae uxori suae dedit, ut scribunt Ennius lib. I. &

2 *Ad aquam profluentem.*] *Pueros in profluentem aquam mitti jubet. Liv.* lib. 1. *In profluentem Florus.* ANNA.

3 *Inpositos alveo pueros.*] *Livius fluitante alveo expositos* pueros dicit, quem pro navigio rudi capit *Gyraldus*, ham *Plutarch.* in *Romulo* scapham vocat. SCHOTT. Et *Scheff.* de Mil. Nav. l. 1. c. III. *Celsus* de Vita Caes. p. 217. fin. *Aut alveo obruto demersus in pelagus.* ita enim ibi lego. Vid. *Cort.* ad *Sall.* Jug. cap. XVIII.

Magnis imbribus stagnaverat.] Hoc est, propter *magnos imbres* quietus factus erat & placidus, ut solet. Et hoc explicat *Liv.* lib. 1. *Forte quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis, nec adiri usquam ad justi cursum poterat amnis: & posse quamvis languida mergi aqua infantes, spem ferentibus dabat.* ANNA.

Repente exierat.] Friget haec oratio, cui enim utilitati vocula *repente*. Sensu commodiori olim forte lectum fuit *raptum ierat* vel *exierat*. Supina enim in *um*, ut loquuntur Grammatici, finem notant, propter quem aliquid fit, pro *exierat, ut raperet*. Vid. Cel. *Periz.* ad *Sanct.* Min. lib. III. cap. IX. p. 463. Et hoc modo *ire* & *exire* eleganter secum habet hoc supinum. *Lucretius* lib. 1. vers. 792.

Nam quodcunque suis mutatum finibus exit.
Virgil. lib. IV. Aen. vers. 117.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant.
Horat. lib. I. Od. II. vers. 15.
Ire dejectum monumenta regis.
Tacitus lib. IV. Ann. cap. 1. *Quo facinore dominationem raptum ierit.* ut recte ibi magnus *Lipsius.* & lib. II. Hist. cap. VI. *Sceleſtis armis res Romanas raptum ire. Victor* infra de Caesar. c. XXXIII. §. 8. *Imperium ereptum ierat Varro* lib. III. de Re Rust. cap. VI. *Habere locum ante se, quo pastum exeant diebus apricis.* Conferri meretur Cl. *Cortius* ad *Sallust.* B. Catil. cap. XXXVI. §. 4. *Rapere* autem proprie *lupis* tribuitur. *Phaedr.* lib. 1. fab. XVI. §. 5.

Rapere atque abire semper adsuevit lupus.
Virgil. lib. IX. Aen. vers. 566.
Martius e stabulis rapuit lupus.
Hinc *raptores* suo nomine appellantur *Avianus* fab. 1. & *Emmen.* ad *Virg.* lib. II. Aen. vers. 356. Et *rapidi rapacisque* iis Epitheton additur a Poëtis, ex quibus *Ovidius* lib. IV. Tr. El. 1. vers. 79. *Seneca* Oedipo vers. 149. *Horat.* lib. IV. Od. IV. vers. 50. & Epod. XVI. vers. 10. & sic quidam Codd. ap. *Statium* lib. X. Theb. vers. 42. quamvis ibi nil murem. Λύκοι ἅρπαγες apud *Matth.* Euang. cap. VI. §. 15. ubi evolve Erud. *Pricaeum.* Λύκων ἁρπαγικῶν memorat *Lycophron* in Alex. vers. 147. ubi conf. Doct. *Potterum.* idem *Lycoph.* vers. 1309.

Καὶ δευτέρους ἔπεμψαν ἅρπαγας λύκους.
Et secundos miserunt rapaces lupos.

Adde *Tzetzem* ad Eum vers. 102. & *Jungerm.* ad *Pollucem* lib. X. segm. 31. Sic *Hirpini* dicti sunt, quod *lupos imitarentur, id est, rapto viverent*, Lupi enim lingua Sabinorum *Hirpi* vocantur, ut voluit *Servius* ad *Virg.* lib. XI. Aen. vers. 785. ARNTZEN.

3 *Accae Larentiae.*] In MSS. constanter *Accelerantiae*: emendavi *Accae Larentiae* transpositis litteris, quod propius abest a scripta lectione, quam quod in vulgatis fere *Accae Laurentiae*. SCHOTT. In S. lib. & hic & in sequentibus constanter habet *acceleraniae. Schottus* transpositis litteris scripsit *Accae Larentiae*, ut apud *Plutarchum* quoque legitur in Romulo: apud *Livium* vero, & apud *Dionysium Hal.* diphthongo *Laurentia* est; itemque

I. & Caesar II. Addunt quidam Faustulo inspectante, picum quo- 4
que advolasse, & ore pleno cibum pueris ingessisse, inde videlicet lupum picumque Martiae tutelae esse, arborem quoque illam Ruminalem dictam, circa quam pueri abjecti erant, quod ejus sub umbra pecus acquiescens meridie ruminare sit solitum.

que supra 376, 34. & infra 489, 20. SYLBURG. Optime. Nam Fasti ELAR. NP. *Laurentinalia Nefastus primo.* ANNA. Et Nob. *Heinsium* ad *Ovid.* lib. III. Fast. vers. 55. & nos infr. Vir. Ill. c. 1. de fastis adi *Gron.* ad *Liv.* lib. 1. cap. IV.

Ennius lib. 1.] *Quinctus Ennius* Poëta celebris, qui Annales scripsit & Satyras, quorum fragmenta tantum supersunt. Periere etiam quae huc pertinebant. In serie tamen ejus Annalium ex hoc loco *Paullus Merula* hoc quasi genuinum *Ennii* fragmentum reponit. *Acca Larentia.* ANNA.

4 *Addunt quidam.*] *Ovid.* III. Fast.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et picum expositis saepe tulisse cibos.

Vide *Plutarchum* in vita *Romuli.* ANNA. De locutione *tutelae esse* confer summum *Gronovium* ad *Liv.* lib. 1. cap. VI.

Ruminalem dictam.] Hujus fici meminit *Corn. Tacitus* XIII. Annali extremo. De Lupa eadem in *Eusebii* Chronicis leguntur. SCHOTT.

Ruminare sit solitum.] Melius *Varro* apud *Festum. Ruminalis ficus dicta, quod sub ea arbore lupa mammam dedit Remo & Romulo. Mamma autem rumis dicitur, unde & rustici appellant haedos subrumos, qui adhuc sub mammis habentur.* ANN. *Salm.* ad *Solin.* p. 800.

CAPUT XXI.

ARGUMENTUM.

Aliter iterum de Romulo & Remo relatum. Lupanaria unde dicta. Amulii caedes, Romulus & Remus unde dicti.

At vero Valerius tradit, pueros ex Rea Silvia natos Amulium Re- 1
gem Faustulo servo necandos dedisse. sed eum a Numitore exoratum ne pueri necarentur, Accae Larentiae amicae suae nutriendos dedisse, quam mulierem, eo quod pretio corpus esset vulgare solita, lupam dictam. Notum quippe ita appellari mulieres quaestum 2
corpore facientes; unde & ejusmodi loci, in quibus hae consistunt, lupanaria dicta. Cum vero pueri liberalis disciplinae capaces facti 3
essent,

1 *Valerius.*] *Valerius Antias*, supra. ANNA.

Lupam dictam.] *Liv.* lib. 1. *Sunt qui Larentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent, inde locum fabulae ac miraculo datum.* ANNA.

2 *Hae consistunt.*] *Servius* ad *Virg.* lib. 1. Aen. vers. 277. & lib III. vers. 647. Quid si hic pro *hae*, legeretur *nudae consistunt*, ut respiciat morem meretricibus in lupanari proprium, ut nudum corpus prostituerent, quo facilius petulantiam libidinem excitarent. *Juven.* Sat. VI. vers. 122.

- - - Tunc nuda papillis
Constitit auratis.

Petron. Sat. cap. VII. *Video quosdam inter titulos nudasque meretrices furtim conspatiantes.* Ubi alia *Wouwer. Brisson.* de Jur. Conn. p. m. 146. *Lipsi.* ad *Tacit.* lib. XV. Ann. cap. XXXVII. & *Colerus* in Parer. Juris cap. VIII. Sed recepta lectio sententiae videtur esse adcommodatior. ARNTZ.

3 *Grae-*

eſſent, Gabiis Graecarum Latinarumque litterarum ediſcendarum
4 gratia commoratos, Numitore avo clam omnia ſubminiſtrante. Itaque ut primum adoleviſſent, Romulum indicio educatoris Fauſtuli comperto, qui ſibi avus, quae mater fuiſſet, quidque de ea factum eſſet, cum armatis paſtoribus Albam protinus perrexiſſe, interfectoque Amulio Numitorem avum in regnum reſtitutum. Romulum autem a virium magnitudine appellatum, nam Graeca lingua ῥωμὴν virtutem dici certum eſt. Alterum vero Remum dictum, videlicet a tarditate, quippe talis naturae homines ab antiquis remores dicti.

3 *Graecarum Latinarumque litterarum.*] Contra alii ſcriptores eos in montibus educatos tradunt. Vid. *Liv.* lib. 1. cap. IV. ANNA. *Falſterus* de Urbibus Stud. Laude Clar. p. 232.

4 *Qui ſibi.*] Vellet aliquis ex ſequenti littera reſtituere *quis ſibi.* Sed aliud ſuadet linguae genius, & ita recte conſtituit *Virgilium* diligentiſſimus magni Poëtae emendator *Pierius* ad Ecl. II. verſ. 19.

Nec qui ſim, quaeris Alexi.

Sic *qui* etiam ſequente littera *ſ* eſt loco *vũ quis.* ut apud Eund. Ecl. 1. verſ. 19.

Sed tamen iſte Deus, qui ſit, da Tityre nobis.

Ubi Erud. *Emmen. Ovid.* lib. IV. Ex Pont. Ep. III. verſ. 2.

An notum, qui ſis, omnibus eſſe velim.

Adde tres ſtudiis quondam meis moderandis Triumviros, quos ſine grata mentis teſtatione praeterire nequeo, *Burman.* ad *Ovid.* lib. XV. Met. verſ. 1. & plena manu ad *Phaedr.* lib. I. fab. XIII. verſ. 6. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. IX. verſ. 651. & *Duker.* ad *Florum* lib. 1. cap. XVIII. §. 20.

Remores dicti.] A remorando. Inde & aves *remores* dictae, quae impediebant, remorabantur. ANNA. *Feſtus* in *Remores.*

CAPUT XXII.

ARGUMENTUM.

Lupercal. Fabii. Quintilii. Quomodo Amulius fuerit oppreſſus, ex libro Pontificalium. Manipulares unde dicti.

1 Igitur actis, quae ſupra diximus, re divina facta eo in loco, qui nunc Lupercal dicitur, ludibundi diſcurrerant, pellibus hoſtiarum occurſantes quosque ſibimet verberantes, utque ſolenne ſacrificium ſibi,

1 *Lupercal dicitur.*] In colle Palatino. ANNA.

Ludibundi diſcurrerant.] Luperci nudi per jocum & laſciviam diſcurrentes obvios quosque caprinis pellibus terrebant. ANNA.

Pellibus hoſtiarum.] Caprarum, nam iis Fauno faciebant. ANNA.

Sollemne.] Scribo *Sollenne*, id eſt, annuum. *Tibullus.*

Hoc ſollenne ſacrum, cunctos hoc ſungit in annos.

ANNA. Sic *ſolennia vota* per *anniverſaria ſacra* exponit *Servius* ad *Virg.* Ecl. V. verſ. 74. *Propert.* lib. III. El. VIII. verſ. 31.

Annua ſolvamus thalamo ſolennia noſtro.

Ovid. lib. II. Faſt. verſ. 247.

Forte Jovi feſtum Phoebus ſolenne parabat.

Lucan. lib. V. verſ. 401.

Haud meritum Latio ſolennia ſacra ſubacto.

Plura Cl. *Gronov.* ad *Livium* lib. 1. c. VII. *Claud.* Dan-

ſibi, poſterisque id eſſet, ſanxerunt, ſeparatimque ſuos appellaverunt Remus Fabios, Romulus Quintilios, quorum utrumque nomen etiamnum in ſacris manet. At vero lib. II. Pontificalium proditur, 2
miſſos ab Amulio, qui Remum pecorum paſtorem attraherent, cum non auderent ei vim adferre, opportunum tempus ſibi ad inſidiandum nactos, quod tum Romulus aberat, genus luſus ſimulaſſe, quinam eorum manibus poſt terga ligatis lapidem, quo lana penſitari ſolebat, mordicus ſublatum, quam longiſſime perferret: Tum Re- 3
mum fiducia virium in Aventinum usque ſe perlaturum ſpopondiſſe, dein poſtquam vinciri ſe paſſus eſt, Albam abſtractum. quod poſtquam Romulus comperiſſet, coacta paſtorum manu, eaque in centenos homines diſtributa, perticas manipulis foeni varie formatis in ſummo junctas, dediſſe, quo facilius eo ſigno ſuum quisque ducem ſequeretur. Unde inſtitutum, ut poſtea milites, qui ejusdem 4
ſigni eſſent, manipulares dicerentur. Itaque ab eo oppreſſo Amulio, fratrem vinculis liberatum, avum regno reſtitutum.

Dausqueus de Ortogr. part. II. p. 292. & *Junius* ad *Tertull.* de Pallio p. 4.

Remus Fabios; Romulus Quintilios.] Vid. *Ovid.* lib. II. 3. *Julios* de ſuo nomine addidit Julius Caeſar. *Dio* lib. XLIV. ANNA.

In ſacris manet.] Romani, enim in ſacris nomina quaedam dicis cauſa ſolebant proferre, in nuptiis *Cajam Caeciliam* & *Talaſſionem*, in Veſtali capienda *Amatam*, in Saliari carmine *Luciam Volumniam* & *Mamurium Veturium*, ſic in Lupercalibus *Fabios* & *Quintilios*. EAD.

2 *Lapidem.*] *Lapidibus* enim Veteres ad ponderandum utebantur, ut ex libris ſacris notum eſt, & ita hodieque quibusdam in locis ruſtici. EAD.

3 *Dein poſtquam vinciri.*] *Livius* narrat Remo & Romulo Lupercalibus deditis latrones ob iram praedae amiſſae inſidiatos, Romulum ſe vi defendiſſe, Remum captum & Amulio Regi traditum. EAD.

Eaque in centenos homines.] Contra *Livius*: *Non cum globo juvenum (nec enim erat ad vim apertamque par) ſed alii alio itinere juſſis certo tempore ad regiam venire paſtoribus.* SCHOTT.

Perticas manipulis foeni.] Nota *manipulorum* originem ante urbem conditam. *Ovid.* III. Faſt.

Illaque de foeno, ſed erat reverentia foeno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.

ANNA.

Eo ſigno.] Non multum abludit *Phaedrus* lib. IV. fab. V. verſ. 6.

- - - Ut conſpicuum in praelio
Haberent ſignum, quod ſequerentur milites.

Et *Lucan.* lib. II. verſ. 329.

- - - Quo publica ſigna Ducemque
Pompejum ſequimur.

CAPUT XXIII.

ARGUMENTUM.

Romuli & Remi contentio de urbis appellatione. Ea augurio cur empta. Remi caedes.

1 Cum igitur inter se Romulus & Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulusque locum, qui sibi idoneus videretur, in monte Palatino designaret, Romamque appellari vellet. contraque item Remus in alio colle, qui aberat a Palatio millibus quinque, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret, neque ea inter eos finiretur contentio, avo Numitore arbitro adscito, placuit disceptatores ejus controversiae inmortales Deos sumere; ita ut utri eorum priori secunda auspicia obvenissent, urbem conderet, eamque ex suo nomine nuncuparet, atque
2 in ea regni summam teneret. Cumque auspicaretur Romulus in Palatio, Remus in Aventino, sex vultures pariter volantes, a sinistra Remo prius visos, tumque ab eo missos qui Romulo nuntiarent, sibi jam data auspicia, quibus condere urbem juberetur, itaque matura-
3 ret ad se venire. Cumque ad eum Romulus venisset, quaesissetque quaenam illa auspicia fuissent, dixissetque ille, sibi auspicanti sex vulturios simul apparuisse: at ego, inquit Romulus, jam tibi duode-

1 *Romamque appellaret.*] Non solum *Romam* appellari voluit; Sed & *Romam quadratam* vocavit. Vide *Festum* in *Quadrata Roma*. ANNA.

In alio colle.] Aventino. Infra. EAD.

Remuriam appellaret.] *Ennius* apud *Cicer.* 1. de Divinat.

Certabant, urbem Romam, Remoramne vocarent:
Omnis cura viris, uter esset Induperator.

SCHOTT. *Remuriam* seu *Remoriam* agnoscunt etiam alii Scriptores, cum Graeci, tum Latini: ut apud *Dionys. Hal.* docui, ad 73, 3. *Ennius* apud *Ciceronem* de Divin. lib. 1. trib. syllabis *Remuram* vocat, hoc versu,

Certabant urbem Romam Remuramve vocarent.

Ut *Schott.* notat. SYLB. *Festus* in voce *Remurinus: Sed & locus*, inquit, *in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Unde patet aetate *Festi Remuriam* exstitisse. ANNA.

2 *Romulus in Palatio.*] *Ennius* tamen in Aventino Romulum de coelo servasse dicit lib. 1.

- - - At Romulus pulcer in alto
Quaerit Aventino, servans genus altivolantum.

Quem videtur sequutus *Ovid.* IV. Fast.

- - - Alter init nemorosi saxa Palati:
Alter Aventinum mane cacumen adit.
Sex Remus; hic volucres bis sex videt ordine, &c.

Sed Historici omnes cum nostro consentiunt. EAD.

Sex vultures.] Avem tantum commemorat *Ennius* lib. 1.

Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam

Solus

decim demonſtrabo, ac repente duodecim vultures apparuiſſe, ſubſequuto coeli fulgore pariter tonitruque. Tum Romulus, Quid, 4
inquit, Reme affirmas priora, cum praeſentia intuearis? Remus poſtquam intellexit ſeſe regno fraudatum, multa, inquit, in hac urbe temere ſperata atque praeſumta feliciſſime proventura ſunt. At 5
vero Licinius Macer lib. I. docet contentionis illius pernicioſum exitum fuiſſe, namque ibidem obſiſtentes Remum & Fauſtulum interfectos. Contra Egnatius lib. I. in ea contentione non modo Remum 6
non eſſe occiſum, ſed etiam ulterius a Romulo vixiſſe tradit. Sed 7
horum omnium opinionibus diverſis repugnat noſtrae memoriae proclamans hiſtoria Liviana, quae teſtatur, quod auſpicato Romulus ex ſuo nomine Romam vocavit. cumque muniret moenibus, edixit, ne quis vallum tranſiliret, quod Remus irridens tranſiluit, & a Ce-

Solus avem ſervat.
Sed ibi avem pro avium auſpicio, niſi ea avis fuerit *ſex vulturum* praenuntia, ut infra de Romulo. EAD.

3 *Duodecim.*] *Ennius* lib. I.
Et ſimul ex alto longe pulcerrima praepes
Laeva volavit avis; ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt ter quatuor de coelo corpora ſancta
Avium, praepetibus ſeſe, pulcrisque locis dant.
EAD.

4 *Intellexit ſeſe.*] Ex ſerie praecedentis orationis poſſet legi: *intellexiſſet ſe*, quia haec praeterita praecedunt. Verum talis Enallage non eſt infrequens. ſupr. cap. XXII §. 3. *Vincivi ſe paſſus eſt*, pro, *eſſet*. Vide de hac diligentiſſime agentes *Munckerum* ad *Hyg.* fab. CXLVIII. *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XII. §. I. ARNTZ.

5 *Ibidem obſiſtentes Remum.*] De Remo *Liv.* lib. I. *Inde cum altercatione congreſſi, certamine irarum ad caedem vertuntur, ibi in turba ictus Remus cecidit.* ANNA.

6 *Egnatius lib.* I.] De *Egnatio* ſupra dictum eſt, *Ennius* etiam Remum a Romulo non fuiſſe occiſum videtur innuere, quum ait:
Nec pol homo quisquam faciet impune animatus
Hoc, niſi tu, nam mi calido dabi ſanguine
poenas.
Quare *Paullus Merula* pro *Egnatius* ſupra legebat *Ennius*, fruſtra quidem, cum neque de *Ennii* vera ſcriptura, neque quo pertineat ejus fragmentum, ſatis conſtet. ANNA. Sic *Merula* ad *Ennium* p. 201. & 220.

7 *Noſtrae memoriae proclamans.*] Mallet forſaſe aliquis abl. caſu *noſtra memoria*. Sed ferri & genitivus poteſt, ſi referatur ad nomin. *hiſtoria*. SYLBURG. An ad *memoriam noſtram* pertinens? Imo potius quae *memoria noſtra*, noſtro tempore ſcripta eſt, *qui a eſté écrite de nos jours*. Auctor enim hujus libelli aequalis fuit *Livio*: unde non temere conjecit doctiſſimus *Joannes Metellus*, eum eſſe Aſconium, qui *Livium* ſuum dixit in fragmentis *Ciceronis*. Sed de hoc jam ſupra. ANNA. Sed ex hoc loco vel admodum difficili vel certe corrupto nihil de aetate hujus Scriptoris ſtatui poteſt. Nec qui Genium purioris Latinitatis cognitum habet, Livii eum aevo tribuet. *Proclamare* proprie eſt alte, clara voce clamare, ut *proclamans* hic forte erit clare aperiens, in media luce collocans ad noſtram usque memoriam. Sed ex hac me difficultate non expedio. Ubi in ultimo capite a recepta lectione receſſum eſt, confer quae notantur ad Viros Illuſtres infra.

Hiſtoria Liviana.] *Livii* verba ſunt: *Vulgatior fama eſt ludibrio Fratris Remum novos tranſiluiſſe muros, unde ab irato Romulo (quum verbis quoque increpitans adjeciſſet, ſic deinde quicunque alius tranſiliet moenia mea) interfectum.* ANNA.

Ne quis vallum tranſiliret.] *Livii* verba ſunt: *Vulgatior fama eſt, ludibrio fratris Remum novos tranſiluiſſe muros: inde ab irato Romulo interfectum.* quomodo melius legi quam *tranſiliviſſe Diomedes* Gramm. I. admonuit. Muros tamen non recte appellat, cum Tarquinius Priſcus primus urbem muro lapideo cinxerit; niſi muri fundamentum & deſignationem aratro factam intelligas. Illud non praetermittendum primum Virorum Illuſtrium

Celere Centurione rutro fertur occiſus. Romulus aſylum convenis &c.

caput de Proca in MSS. afuiſſe; ſequebatur enim perpetua ſerie *Romulus aſylum convenis*. nam vulgatae editionis illa de origine urbis hinc concinnata. SCHOTT. Sed hoc caput agnoſcunt omnes noſtri, nullo excepto.

A Celere.] A Fabio, qui poſtea *Celer* dictus. ANNA.

Rutro vel Raſtro.] Imo *rutro*, non *raſtro*. *Rutrum* a ruendo, quod eo terram ruerent. Et longe aliud *raſtrum*. ANNA.

Romulus aſylum convenis &c.] Hic deſinit hujus libelli Auctor, ubi Viri Illuſtres exordium ſumunt, is tantum quae de Proca & Silvia infra leguntur, reperit, quippe quae ad Remum & Romulum pertinerent. Unde augetur ſuſpicio libellum hunc ab alio ſcriptore profectum. Quidni enim hic una ſerie pergeret, ſi idem ambos ſcripſiſſet. Sed notarunt viri docti, primum Virorum Illuſtrium caput de Proca a MSS. afuiſſe, ſequebatur enim perpetua ſerie, *Romulus aſylum convenis patefecit*, &c. ANNA.



SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

VIRIS ILLUSTRIBUS

URBIS ROMAE

SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

VIRIS ILLUSTRIBUS

URBIS ROMAE.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Filiis regnum relinquit Proca. Fratri illud non dat, fratris filiam Vestae sacerdotem praeficit, Vestalis compressae liberos in Tiberim abjicit Amulius. Amulium interficiunt, Numitori avo regnum restituunt, civitatem condunt Romulus & Remus. Civitatis conditae vallum transilit, & occiditur Remus.

Procas Rex Albanorum Amulium, & Numitorem filios habuit, 1 quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit, & ut alternis

1 *Proca* in frontispicio legendum, ut *Virgilius* in VI Aeneidos,

Proximus ille Proca Trojanae gloria gentis.

Praepostere in aliquibus codicibus *Procas* legitur: nam jambus est in tertio, nec Latinum nomen in *as* primae invenitur. *Eusebius* etiam, Divo *Hieronymo* interprete, in serie Regum Latinorum ita scribit, *Janus*, *Saturnus*, *Picus*, *Faunus*, *Latinus*, *Aventinus*, *Ascanius*, *Silvius*, *Aeneas Silvius*, *Latinus Silvius*, *Tiberinus Silvius*, *Agrippa Silvius*, *Romulus Silvius*, *Proca Silvius*, *Amulius*, *qui regnavit annis quadraginta quatuor.* Hanc autem historiam etiam *Ovidius* poëtice in Fastis auspicatus est, ut dulcedini quoque poëtarum aliquid in hoc opusculo tribuamus:

Silvia Vestalis, quid enim vetat inde moveri?
Sacra lavaturas mane petebat aquas.

MACHAN. Nec titulus hic, nec primum hujus libelli caput *De Proca, seu de Romuli & Remi ortu*, in *Schotti* libro manuscripto exstant: sed, ut modo dixi, cum extremo superioris libri, qui est de Origine Gentis Romanae, continuatur caput secundum hujus libelli De Viris Illustribus. attamen etiam alii Scriptores historiam Romanam a Proca auspicantur; ut *Orosius* lib. II. cap. II. & lib. I. cap. I. teste *Schotto* SYLBURG. *Procas* alter Lugd. & Haun. *Machanei* sententia *Livii* I. 3. *Ovid.* XIV. Met. 622. aliorumque auctoritate munitur. Neque tamen posterius omnino est damnandum, cum in *Virgilii* Codd. VI. Aen. 767. constanter legatur *Procas*, quod etiam oportebat, ut syllaba produceretur, quae natura sua brevis erat. Apud *Euseb.* Chron. Anno 1198. non *Proca*, sed *Procas Silvius* exprimitur, ut apud *Serv.* ad *Virg* VII. Aen. 657 & IX. 387. Neque scio, quo jure staruatur, *Proca* magis esse nomen latinum seu Romanum, quam alia nomina propria primae flexionis, quae deinde a Romanis

nis imperarent. ſed Amulius fratri imperium non dedit, &, ut eum ſobole privaret, Ream Silviam filiam ejus, Veſtae ſacerdotem praefecit, ut virginitate perpetua teneretur, quae a Marte compreſſa
2 Romulum & Remum edidit. Amulius ipſam in vincula compegit, par-

manis recepta utraque terminatione inveniuntur. Horum ſeriem enumerat *Dausq.* in Orthogr. part. 1. pag. 59.

Annuis.] Non agnoſcit hanc vocem Fran. *Seneca* tamen Herc. Fur. verſ. 540.

Stat pontus vicibus mobilis annuis.

Si cui placeret *annuis* ejicere, poſſet hanc loquendi rationem firmare ex *Juſt.* lib. 11. cap. IV. §. 12. *Vicibus gerebant bella, ſolae terminos alternis defendentes.*

Et ut alternis.] Uterque Lugd. Haun. & Ed. Mach. & delent. nec male. Pejus Fran. pro *alternis* ſubſtituit *alteris*, quod non ferendum. *Liv.* lib. 11. cap. 11. *Rogando alternis ſuadendoque coepit.* & lib. XXII. cap. XLI. *Cujus eo die* (*nam alternis imperitabant*) *imperium erat.* *Seneca* de Vita Beata cap. v. *Incertiſſimaque dominia impotentiſſimaque alternis poſſidebant.* *Martial.* lib. v. Epigr. XXXIX.

- - - Aut cum fratre ſedere
Non potes, alternis Calliodore ſede.

Fortaſſe haec vox corrupta apud *Lactant.* lib. v. Div. Inſt. cap. XV. *Quoniam brevia & caduca ſunt omnia, & praeferunt ſe alteris homines.* Si reponatur *alternis*, ut de mutabilitate fortunae, quae brevis eſt & caduca, loquatur Auctor, qua hic jam extollitur, ille deprimitur. Adde *Cerd.* & *Emmen.* ad *Virg.* Ecl. III. verſ. 59. & *Abram. Gron.* ad *Juſt.* lib. 11. cap. IV. §. 12. Auctior eſt Lugd. 2. & Haun. *alternis vicibus.* ut *Lucan.* lib. 1. Pharſ. verſ. 409.

- - - Quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus.

Senec. Herc. Fur. verſ. 377. Hipp. verſ. 1028. & alii. Sed haec vox male repetitur ex ſuperioribus. ARNTZ.

Imperium non dedit.] *Plutarchus* Amulio pecunias, & aurum Troja advectum ſorte contigiſſe refert, quibus opibus fretus ipſum fratrem, cui regnum evenerat relictum a patre haereditarium, expulit. Tacet *Cornelius* de morte fratris Silviae, de qua *Livius: addit ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interfecit.* Quem *Halicarnaſſeus* Egeſtum appellat. MACH.

Ream Silviam.] *Plutarchus.* Hanc alii *Iliam*, alii *Ream*, alii *Silviam* appellant. MACH. Conſtanter in antiquis *Rea Silvia* ſcribitur, more Latino, qui fere adſpirationes auferunt, unde *Cicero* in Orat. ſe more majorum diu *Triumpos*, non *Triumphos*, & fortaſſe *Tropaea*, non *Trophaea* pronuntiare ſolitum affirmat. Cur etiam *Silvia* & *ſuboles* a ſuboleſco ſcripſerim, ne quis forte calumnietur, ſtudio a me factum ſciat, ſequutumque veterum librorum auctoritatem & analogiam: quod ubique facturum me ſemel monuiſſe ſufficiat. De Martis ſtupro vide *Prudent.* 1. adv. Symmachum & *Oroſium* lib. VI. cap. 1. qui ad nomen alludens *Ream matrem ſtupri ream* appellat. SCHOTT. Admodum turbant has voces F. & B. *Illius filiam Rheam* (Ream legit ſine adſpiratione B.) *Silviam.* Lugd. 1. *Silviam ejus Rheam filiam.* Lugd. 2. *Filiam e. R. S.* atque ita *Juſt.* lib. XLIII. cap. II. §. 2. *Filiam ejus Rheam in perpetuam virginitatem demerſit. Filiam illius R. S.* praeferunt H. & Ed. Mach. Ceterum Ream ſine adſpiratione veram ſcripturam eſſe exiſtimat *Pigh.* ad *Val. Max.* fragm. de Nom. Rat. init. Et ſic reperi in Cod. ſcripto *Oroſii* lib. VI. cap. 1. cum tamen aliter edatur.

Veſtae.] Abeſt in MSC. noſtro *L. Annaei Flori* initio: & certe *Juſtinus* lib. XLIII. in Martis luco ſacerdotem fuiſſe ait. & *Plutarchus* in Parallelis extremo Junonis diſerte ex Ariſtide Mileſio. Et infra Noſter ad Numam refere. videtur. SCHOTT. & ANNA.

Sacerdotem praefecit.] Non dicit *Veſtae ſacerdotem fecit, Veſtae ſacerdotem fieri juſſit*, ut Auctor libelli ſuperioris; ſed, *Veſtae ſacerdotem praefecit.* Intelligit ergo ipſam fuiſſe virginem *maximam*, quam hodie dicimus *une Abeſſe*, & ſic virginem regiam decebat. ANNA. *Sacerdotio* in Lugd. altero.

Romulum & Remum.] Inverſo ordine tres ſcripti, *Remum & Romulum.* quo modo & alii ordinem neglexerunt. *Juſt.* lib. XLIII. cap. II. §. 7. *Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere.* *Caſſius* in fragm. lib. 11. Ann. p. 48. Ed. *Cort. Praefecerat aequaliter imperio Remum & Romulum.* *Spartian.* in Severo cap. 1. *Lupae ſe uberibus ut Remum inhaerere vel Romulum. Serv.* ad *Virg.* lib. 1. Aen. verſ. 277. *Unde nati ſunt Remus & Romulus. Feſtus* in *Ruminalis: Lupa mammam dedit Remo & Romulo.* *Tzetzes* ad *Lycophr.* Alex. verſ. 1226. Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον ἀπὸ Κρώσσης γυναικὸς. ARNTZ

2 *In vincula compegit.*] Sic *Juſtinus* lib. XVI. *Igitur*

parvulos in Tiberim abjecit, quos aqua in ſicco reliquit. Ad vagi-3
tum lupa accurrit, eosque uberibus ſuis aluit. Mox Fauſtulus pa-
ſtor collectos Accae Larentiae conjugi educandos dedit. Qui po-4
ſtea, Amulio interfecto, Numitori avo regnum reſtituerunt. ipſi pa-
ſtoribus adunatis civitatem condiderunt, quam Romulus augurio
victor,

Igitur Clearchus LX. *Senatores comprehenſos* (*nam ceteri in fugam dilapſi erant*) *in vincula compegit. Plautus* Amphitruone. *Quid faciam nunc ſi Tresviri me in carcerem compegerint.* Sic idem in Menaechmis & Rudente loquitur. Similes dicendi formas in melioris notae Auctoribus obſervare licet. *In catenas conjecit Caeſar* 1. Comm. Gallico. *In compedes conjecit Suetonius* in Vitell. cap. XIII. ut in *Ammiano Marcellino* lib. XVII. *Vivosque captos compegit in vincula.* & lib. XXV. *Ut deditum noxae mancipium in cuſtodiam compegerunt.* SCHOTTUS. *Conjecit.* Codex H. *Cic.* p. Dejot. c. VII. *Fratres meos, inquit, quod erant conſcii in vincula conjecit. Hygin.* fab. CXC. *In vincula eſt conjectus ibi.* & *Lamprid.* in Alex. Sev. cap. LIII. *Comprehendi juſſit & in vincula conjici.* Sed ex ſequenti verbo *abjecit* hic error ortus. 2. Lugd. *compedit.* Sed & hoc falſum.

In Tiberim abjecit.] Boend. *projecit*, nil muta. *Quintil.* Arg. Decl. VI. *Abjectus in mare.* Decl. VI. cap. XXII. *Cum exanime corpus in fluctus eſſet abjectum. Juſt.* lib. XLIV. cap. IV. §. 6. *Ad ultimum in oceanum abjici juſſit. Hygin.* fab. LIII. *Eamque in mare abjecit. Spartian.* in Severo cap. XI. *Cadaver in Rhodanum abjici praecepit. Lamprid.* in Heliog. cap. XVII. *in Tiberim abjectum eſt, ne unquam ſepeliri poſſet. Ammian. Marcell.* lib. XIV. c. VII. p. 41. *Velut exſaturati mox abjecerunt in flumen. Lactant.* lib. VI. Div. Inſt. cap. XII. *Largitio hominum patrimonia ſua in mare abjicientium.* & ſic de Morte Perſec. cap. LI. p. 301. *Capit.* in Clod. Alb. c. XI. *Celſus* de Vit. Caeſ. p. 213. Ed. Dav. ſupra Orig. Gent. Rom. cap. XX. §. 3. & ceteri. quare nihil temere unius Codicis voluntate mutandum, quamvis & *projicere in aquam* Latinis non ſit ignotum. *Livii* Epit. LVIII. *Inſepultus in flumen projectus. Quintil.* Decl. V. cap. XX. *Projectus in fluctus exitum faciam hominis.* & *Oroſius* lib. IV. cap. XVI. fine. *In mare projectus eſt.* pro *accurrit* autem in ſequentibus *decurrit* praefert Lugd. 1.

3 *Lupa accurrit.*] *Euſebius* Fauſtulum regii armenti paſtorem ad Accam Laurentiam uxorem ſuam detuliſſe refert, quae propter pulchritudinem, & rapacitatem corporis quaeſtuoſi *lupa* a vicinis appellabatur: unde ad noſtram usque aetatem, & memoriam meretricum cellulae *lupanaria* appellantur. De capto *Remo*, & *Romulo* vi ſe defendente, notanda etiam inter *Plutarchum* & *Livium* nonnulla diſcrepantia; alter enim ad *Numitorem* primum, alter ad *Amulium* ductum ſcribit. MACHAN.

Accae Larentiae.] De qua *Agell.* Noct. Attic. lib. V. cap. VII. ubi *Larentiae* legitur, ut in veteribus libris omnibus. *Lactantius* lib 1. cap. XX. Hujus ſepulchrum in via nova Romae in Velabro fuit, teſte *Varrone* lib. V. de ling. Lat. SCHOTT. & ANNA. Melius legitur *Larentiae* & ita ediderat Aldus. Confer Comm. ad *Minuc. Felic.* Octav. cap. XXV. *Neap.* ad *Ovid.* lib. III. Faſt. verſ. 57. Clar. *Gron.* ad *Livium* lib. 1. cap. IV. *Voſſ.* de Idolol. lib. 1. cap. XII. *Plut.* in Romulo p. 19. 20. &c. Atque ſic paſſim optimi Codices. ARNTZ.

Dedit.] Pariſinus Codex *tradit* habet. SCHOTT. quod etiam eſt in Haun.

4 *Amulio interfecto.*] Patruo, inquit *L. Annaeus Seneca:* is enim Auctor potius eſt, quam *L. Florus*: quod ex declamatorio ſtylo, & *Lactantio* Divin. Inſtitut. lib. VII. cap. XV. facile doceri poteſt. Patruum magnum Jurisconſultorum filii appellarent. Sic *Tacitus* Annal. II. *Avunculum* dixit pro Avunculo magno. *Paulus* vero *Oroſius* lib. II. cap. IV. Numitorem avum interfectum ait, falſo. Aliter lib. VI. cap. 1. nam in regnum reſtituerunt Numitorem & Patruum Amulium interfecerunt. SCHOTT.

Ipſi.] Melius Pariſinus *Ibi*, non *Ipſi* praefert. SCHOTT.

Paſtoribus adunatis.] Mediolanenſis codex *adunatis paſtoribus. Cicero* lib 1. de Oratore: *Romulus paſtores & convenas congregavit.* De paſtoribus vide infra in Flaminio, & *Juſtin.* lib. XXXVIII. SCHOTT. Id eſt, in unum congregatis, in quibusdam legitur *coadunatis.* ANNA. *Adunatis* omnes noſtri, niſi quod H. *adjutatis.* Sed Ald. Gryph. & Editt. *coadunatis*, qua voce utitur *Dict. Cret.* lib. IV. de Bell. Troj. cap. XIII. & verſio vulgata *Joël.* cap. II. verſ. 16. Sed alteram cum ſcriptis praefero, cum *Aurelio* dignior ſit. *Juſt.* lib. V. cap. IX. §. 6. *Adunatis exſulibus Caſtellum Phylen Atticorum finium occupat.* quomodo & alibi

victor, quod ipſe XII. Remus VI. vultures viderat, Romam vocavit; & ut eam prius legibus muniret quam moenibus, edixit ne quis vallum tranſiliret, quod Remus irridens, tranſiluit, & a Celere

alibi loquitur ſaepius. *Lactant.* de Mort. Perſ. cap. XXIII. *Urbanae & ruſticae plebes adunatae.* Quem locum minus bene tentat *Gale.* Sic enim & cap. XLV. fin. *Adunari omnes anguſtiae temporis non ſinebant.* Quibus locis videndus *Bauldry* cum *Cellario* Lat. Reſt. p. 107. & *Borrichio* Cogit. p. 40. ubi inter alia ſimul vera hujus loci lectio vindicatur. ARNTZ.

Civitatem condiderunt.] In monte Aventino, de quo *Agell.* lib. XIII. c. XIV. Noct. Attic. ex a. d. XI. Cal. Majas, qui dies conſecratus Palilia dictus: Olympiadis VII. anno I. ante Chriſtum natum IↃCCI, ab orbe condito MMMCCXII, ab everſa Troja CCCCXXXII. ſed de his in fragmentis *Nepotis* diximus. Ideo autem hic repetere placuit, quod aliorum calculus fallat, & commentatores hic turpiter alucinentur, & tanquam in limine impingant: abſit verbo invidia. SCHOTT. Hoc mihi ſuſpectum, nam falſum eſt, Romulum, antequam de coelo ſervaſſet, civitatem condidiſſe quam poſtea Romam vocaverit. ANNA. Non adſequor acumen doctiſſimae feminae, cum verba ſequentia de augurio non inducant abſolutam neceſſitatem, Romam conditam fuiſſe ante, quam Victor exiſteret Romulus, ſed rationem tantummodo dat, cur Romulus potiſſimum huic urbi nomen inpoſuerit. Et quid ſi error eſſet *Aurelii*, pro eo cauſſam dicit *Servius* ad *Virg.* lib. VII. Aen. verſ. 678. Ubi de incerta hujus urbis origine agens ſcribit: *Unde nec Hiſtoricos, nec Commentatores varia dicentes imperitiae condemnare debemus; nam antiquitas ipſa creavit errorem.* ARNTZ.

Augurio victor.] *Ennius* in Annalibus:

Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt,
Certabant urbem Romam Remumve vocarent.

Idem apud *Iſidorum* lib. XV. cap. I.

Hujus nata eſt auſpiciis illa inclita Roma.

Rurſus idem:

Omnia cura viris uter eſſet Induperator.

Hinc lege cautum a Romulo: *ne quid inauſpicato publice gerunto. Cicero* lib. III. de Nat. Deorum. SCHOTT. Nota *augurio* pro auſpicio. Idem *Florus: ſic victor augurio urbem excitat.* ANNA. De Romulo *Livius* lib. I. c. VI. *Ut Dii, quorum tutelae ea loca eſſent, auguriis legerent.* & cap. VIII. *Ab numero avium, quae augurio regnum portenderant. Cenſor.* de Die Natali cap. XVII. fine. *Si ita eſſet de Romuli urbis condendae auguriis ac duodecim vulturibus.* de hac vocis ſignificatione *Livius* lib. VII. cap. XXVI. *Virg.* I. Aen. 396. *Serv.* ad lib. I. Aen. verſ. 402. & XII. 869.

Vultures.] In augurandi ſcientia ſacri teſte *Suet.* Aug. c. XCV. & *Plut.* in Quaeſt. Rom. *Jul. Obſequens* anno V. C. DCCX. *Caeſar*, inquit, *cum in campum Martium exercitum deduceret, ſex vultures apparuerunt. Conſcendenti deinde roſtra creato Conſuli iterum* VI. *vultures conſpecti, veluti Romuli auſpiciis novam urbem conditure ſignum dederunt.* SCHOTT.

Ut eam prius legibus.] Inter alias legem tulerat: *Moenia ſancta exiſtimanto.* Cujus *Cic.* II. Nat. Deor. meminit: *Plutarchus* in problem. *Zonaras* tom. II. quam etiam facto ipſo Romulus ſanxit interfecto fratre Remo. Portas ſanctas negat *Plutarchus*, quod alioqui cadavera per eas efferri non potuiſſent. Vid. *Theophilum* lib. II. Inſtit. tit. de Rerum Diviſione §. *ſanctae quoque.* ubi fabula de Diis. SCHOTT. Pro *legibus*, *quam moenibus muniret* conſenſu plerorumque Codicum & Edit. repoſui *legibus muniret*, *quam moenibus.* Verbum ſcilicet, quod ſpectat ad duo membra, ſaepe ad primum refertur. Sic ex Codice ſcripto apud *Cicer.* lego Orat. pro Ligar. cap. IX. *Magni cujusdam animi eſt atque ejus viri.* Sed talia ſunt obvia. pro eo quod ſequitur, *tranſiliret*, in pr. Lugd. eſt *tranſiret*, ut videatur Librarius voluiſſe, legem tuliſſe Romulum, ne quis quacunque etiam ratione muros tranſſcenderet, ſed hoc non convenit narrationi *Livianae* lib. I. cap. VII. Ceterum hanc ob cauſſam ſanctos deinde muros habitos eſſe non ſine cauſſa ſtatuunt Eruditi. V. *Marcil.* ad §. 10. Inſt. de Rer. Div. *Aleand.* ad *Caji* Inſt. lib. II. tit. I. §. I. & *Salmuth.* ad *Pancirol.* Reb. Deperd. tit. XXXII. p. 112. ARNTZ.

Tranſiluit.] Agrippinenſis l. *tranſiluit.* Quomodo Veteres potius dixiſſe auctor *Diomedes* lib. I. Gramm. ex *Livio* lib. I. cap. VII. *Ludibrio fratris Remum novos tranſiluiſſe muros. Virg. Saluere per utres.* Idem: *diſſiluit Turnus bijugis.* SCHOTT. *Tranſiluit* etiam optimus Lugd. & Ed. *Schotti*, ut priſci Scriptores loquuntur, quamvis poſterioribus ſaepe diſplicuerit. *Ovid.* lib. III. Faſt. verſ. 70.

Non tamen expediit tranſiluiſſe Remo

lib. IV. Faſt. verſ. 727.

Certe ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas.

Ex

re centurione rutro fertur occiſus.

Et lib. I. ex Pont. Ep. V. verſ. 76.

Indicium ſtudii tranſiluiſſe mei.

Silius lib. IV. Pun. verſ. 70.

En age, qui ſacros montes rupesque profundas Tranſiluit.

Nobil. *Heinſ.* alia ad *Ovid.* IV. Faſt. 805. IV. Triſt. III. 8. *Gron.* ad *Senec.* Thyeſt. verſ. 768. *Voſſ.* lib. III. de Anal. cap. XXXIII. Cl. *Burm.* ad *Quintil.* Decl. II. cap. XXI. & Decl. VI. cap. V. & nos inf. cap. XXII. *tranſiliit* eſt in H. reliqui *tranſilivit.*

Celere.] *Fabio* abeſt in melioribus libris & MSS. O. ceterum unde *Celer* dictus ſit, ridicule *Philippus Poncherius* Interpres explicat, quaſi funebres ludos & viſcerationem, quae tum nulla erant, *celeriter* curaverit: unde dictum conſtat multis poſt ſeculis Q. Caecilium Metellum anno IↃCXCIII. ejusque Nepotem IↃCXCVI. *Plutarchus* hunc a *celeri* ex agro Latino in Etruriam fuga ſic appellatum ait. Vide & in Vita Coriolani, ubi de Rom. nominibus. SCHOTT. In aliis Editionibus eſt *Fabio Celere*, ſed priorem vocem cum *Schotto*, delent omnes noſtri.

Rutro.] De Raſtro verba ipſa *Varronis* ponam de Lingua Lat. *Hirpices regula cum pluribus dentibus, quam, item ut plauſtrum, boves trahunt, ut eruant, quae in terra ſunt. Sirpices poſtea detritas a quibusdam dicti. Raſtelli, ut hirpices, ferrae laeves. Itaque homo in pratis per foeniſecia eo feſtucas abradit: quo abraſu raſtelli dicti. Raſtri, quibus dentalibus penitus eradunt terram, atque eruunt, a quo rutabra dicti: Virgil.* in Georgicis.

Multum adeo raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva, neque illum, &c.

Alii Remum in contentione augurii a Romuleis ſatellitibus occiſum volunt. MACHAN. Pro *raſtro* quidam libri *rutro* habent: de quo *Varro* lib. IV. de Ling. Latina, *Feſtus* & *Nonius*, Graece ῥόπτρον dicitur. *Varr.* περὶ ἀρχῆς. *Cui Celer Antipatri Stoici filius rutro caput diſplanat.* Ad quem locum Vide Doct. *Turnebum* lib. XVII. c. XXIII. Adverſ. & *Victorium* lib. XXIII. cap. V. *Euſebii* quoque Interpres D. *Hieronymus* Remum fuiſſe a Fabio Romuli duce occiſum ait *rutro paſtorali.* Libet hic *ὑ παρέργῳ Naſonis* adferre locum quarto Faſtorum, ut emendandum vidit *Valerius Andreas* Belga eruditus:

Nec mora tranſiluit, retro Celer occupat auſum.

Repone *rutro Celer.* Vide *Dionyſ.* lib. II. qui σκαφίον παρὰ τὸ σκάπτειν appellat. SCHOTT. Vulg. l. *raſtro.* Sed *rutro* habent etiam membranae *Euſebii*: eandemque lectionem ſequi videtur etiam *Sex. Pompejus*, dum ſcribit, rutrum tenentis juvenis effigiem eſſe in Capitolio: ac *Rutrum* idem *Feſtus* denominatum ſignificat ab eruenda humo ſeu arena: ſicut & *Dionyſius Hal.* σκαφίον appellat, 74, 42. παρὰ τὸ σκάπτειν, a fodiendo. Verumtamen raſtro quoque humum effodi ſolitam, docet in Nerone *Suetonius* cap. XIX. Supra utrumque per dubitationem ponitur, *rutro vel raſtro fertur occiſus.* SYLB. Sic recte hunc locum emendarunt Viri Docti, licet omnes noſtri repugnent. Confer *Salmas.* ad *Solin.* p. 365. *Merulam* ad *Ennium* p. 219. & Nobil. *Heinſium* ad *Ovid.* lib. IV. Faſt. verſ. 843. Rutrum eſt inſtrumentum ruſticum & militare. Raſtrum vero hic locum habere non poteſt. *Nonius* cap. I. n. 66. *Liv.* lib. XXXVIII. cap. XLV. *Secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in* XL. *longas naves opus eſſet.* Quo loco inter inſtrumenta militaria enumerat *rutra*, quod fecit etiam *Veget.* lib. I. de Re Milit. cap. XXIV. *Ad quod opus Ligones, Rutra, Qualos aliaque utenſilium genera habere convenit.* ut quidem *Stewechium* ſecutus malim ibi, quam *raſtra*, quo modo eandem vocem corruptam eſſe diſces apud eundem ex notis *Scriv.* & *Stewechii* ad lib. II. cap. XXV.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Aſylum patefacit; conjugia a civitatibus petit & Conſualibus rapit, Acrone devicto Jovi ſpolia opima conſecrat, adverſus Tatium Tarpejam virginem, cum exercitum ejus in Capitolium produxiſſet, ſcutis obruentem procedit, & pugnam conſerit, cum Sabinis foedus percutit, ſenatores patres appellat, equitum centurias inſtituit,

plebem in curias distribuit, ad Deos abit & Quirinus appellatur Romulus primus Romanorum Rex.

1 Romulus asylum convenis patefecit, & magno exercitu facto, cum videret conjugia deesse, per legatos a finitimis civitatibus petiit. Quibus negatis, ludos Consualia simulavit, ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptae sunt. ex

1 *Asylum.*] Locus erat sacer, ut *Dionysius* ait; inter duos lucos, saxo circumdatus, ut *Ovidii* carmen indicat:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto.

Latine *confugium* dici valet, dicitur ab α sine, & σύρω, *traho*, quia inde aliquem abstrahi nefas fuerat. Ut nunc fit in sacris nostris delubris. Per andistincon autem *rho* & *lambda* mutantur, ut Palladae distichon indicat.

Ῥῶ καὶ λάμβδα μόνον κόρακας κόλακάς τε δὰτᾶ:
Οὐκοῦν ταυτὸ κόραξ, βωμολόχος τε κόλαξ;

Id est,

Rho & Lambda solum adulatores & corvos discernunt:
Nempe idem corvus & scurra assentator.

Et proprie βωμολόχος aris insidians exponitur, ut apud *Aristotelem* in Ethicis deprehendimus. *Asilus* autem cum Latino *i* significat tabanum, vulgo dictum a Graecis oestrum. *Virg.* in Georgicis.

- - - Cui nomen asilo
Romanum est: oestrum Graji vertere vocantes:
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis.

Asylum autem illud primi Athenienses statuerunt. MACH. De Asylo Romuli ejusque origine *Conradus* hoc loco multa, pluraque ad *Aemilium Probum Magius*, quae non describo. Vide & *Jac. Durantium* lib. I. Variarum cap. I. Et *Ferrandum Adduensem* lib. II. SCHOTT. Male aliquot scripti *asilum*, cum hae voces deberent distingui. Evolve Comm. ad *Lucan.* lib. I. vers. 97. *Weitz.* ad *Valer. Flacc.* lib. III. vers. 581. & Doctiss. *Dausq.* de Ortogr. part. II. p. 45.

Magno exercitu facto.] *Mox exercitu facto*, in Manuss. est. Sic in Mario loquitur, & *Sallustius* libris Historiarum, quod & *Seneca* lib. XX. Epist. CXV. adnotavit. SCHOTT.

2 *Ludos Consualia.*] *Varroni dicta a* Conso, *quod tum feriae publicae ei Deo, & in circo ad aram ejus a sacerdotibus fiunt ludi illi; quibus virgines Sabinae raptae. Titus Livius* Consum *Neptunum equestrem* appellat. *Plutarchus.* Fama est Romulum aram conditam sub terra invenisse, & a *consilio* nomen inditum, quod consiliarius foret, sive quod, &c. de quibus plura apud *Dionysium* & eundem *Plutarchum* lege. MACH. *Consalia* vocat *Plut.* Quaest. Rom. de his legendus *Tertullianus* libro de Spectaculis & idem *Plut.* in Romulo. Hi Magni ludi etiam appellati: *Virgilius, magnis Circensibus actis.* nam & Circenses iidem vocantur. *Ascon.* Verr. II. *Dionysius* Ἀρχ. Ῥωμ. I. ait: *his ludis immunes ab opere equos & mulos fuisse, coronarique floribus solitos.* Exstat veteris poetae carmen apud *Nonium Marcellum Cernuus.*

Ibi pastores ludos faciunt cernui Consualia.

Vulgo male, *Sibi pastores* pro *ibi.* & *Scaliger coriis Cernualia* reponit ad *Festum* in *coïnquire.* SCHOTT. Proprie loquutus est, malim me ita loqui quam dicere *ludos Consuales.* Pater meus. ANNA. Vid. Cl. *Gron.* ad *Liv.* lib. I. cap. IX. lib. XXX. cap. XXXIX. & *Burm.* ad *Quintil.* lib. I. Inst. Orat. cap. V. p. 65. minus recte igitur *Consuales* est in H.

Virgines raptae sunt.] Parisinus *captae.* *Festus* auctor est virgines inde tanquam ex gremio matris rapi solitas. *Catullus:*

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Qua

ex quibus cum una pulcerrima cum magna omnium admiratione duceretur, Talaſſio eam duci reſponſum. Quae nuptiae quia feliciter 3 ceſſerunt, inſtitutum eſt, ut omnibus nuptiis Talaſſii nomen invocaretur. Cum feminas finitimorum Romani vi rapuiſſent, primi Caeninen-

Qua de re docte *Jacobus Raevardus*, vir illuſtrandae Jurisprudentiae natus, & immatura morte praereptus, ad legem XII. tab. c. XXI. SCHOTT. & ANNA.

Talaſſio.] Simplici ſ antiqui Libri & Manuſcripti praeferunt, quomodo & Graeci ſcribunt: Ταλάσιος, *Plutarchus* in Romulo. *Martialis* Epigr. I. XXXVI.

Quid ſi me jubeas Thalaſſionem
Verbis dicere non Thalaſſionis?

Et lib. XII. XLII.

Nec tua deſuerint verba Thalaſſe tibi.

Vide *Plutarchum* in Pompejo & problemate XXX. Graeci vero *Hymen*, *o Hymenaee* nuptialem vocem habebant. SCHOTT. Non *Thalaſſius* ſcribendum, tamquam ἀπὸ τῆς θαλάσσης, a mari: ſed *Talaſius*, a lanificio, quam ταλασίαν Graeci nominant: ut praeter *Pompejum Feſtum* tradit etiam *Plutarchus* in Quaeſt. Rom. pag. 484. SYLB. Qui dubio procul certo militum numero praeerat. *Liv.* lib. I. *Unam longe ante alias ſpecie ac pulcritudine inſignem a globo Thalaſſii cujusdam raptam ferunt, multisque ſciſcitantibus cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Thalaſſio ferri clamitatum. Catullus.*

Lubet jam ſervire Thalaſſio.

ANNA. Varie haec vox ſcribitur. *Talaſio.* Lugd. I. & Franeq. *Talaſſio.* B. *Thalaſcio.* H. malim abjicere adſpirationem, ut *Dausq.* in Orthogr. part. II. p. 307. & *Turn.* lib. XI. Adverſ. cap. XVII.

Duci.] *Ducendi* vox in matrimoniis hinc uſurpari coepta. D. *Auguſt.* lib. VI. de Civit. Dei c. IX. *Domum ducenda eſt, quae nubit: adhibetur Deus Domiducus.* Sic & *Martianus Capella* lib. II. de Nuptiis Philologiae. SCHOTT.

3 *Ceſſerant.*] Non *ceſſerunt* legunt Manuſcripti cum Mediolanenſi. SCHOTT.

Omnibus nuptiis.] Incluſa, *in* & *ergo*, abſunt a Vulg. libris. contra ex iisdem ſeq. v. additum *vi.* SYLB. Contra voluntatem & Manuſ. & Editionum veterum hic excudebatur *in nuptiis.* Sed hanc praepoſitionem ſine ulla neceſſitate ſaepiſſime inculcari a Librariis docuerunt *Sciopp.* lib. IV. Veriſ. cap. VIII. V. D. ad *Juſt.* lib. XXII. c. VI. §. 9. *Gronov.* ad *Liv.* lib. VII. c. XXXVIII. Doct. *Torren.* ad *Val. Max.* lib. I. cap. V. ex. 2. *Var. Lect.* ad *Plin.* lib. IX. Epiſt. IV. & ad *Cicer.* lib. VI. ad Famil. Epiſt. VI. & nos infra ad Epit. cap. XXXV. §. 2. ita in Codice ſcripto inveni apud *Virg.* v. Aen. 220.

Et primum ſcopulo luctantem deſerit alto.

Pro vulgato *in ſcopulo.* ARNTZ.

Invocaretur.] In MSS. melius *iteretur.* SCHOTT. Si exſtat in aliorum libris MSS. *nomen iteraretur.* quemadmodum id apparet in uno Palatino, in altero autem margini aſſinitur, habetque textus *vocaretur*; melius eſt ſine dubio ſcriptura vulgata, quamvis neque ipſa abſurda. GRUT. *Iterabatur* ergo, *Thalaſſe, Thalaſſe*, ut *Hymen, O Hymenaee.* ANNA. *Uteretur* Lugd. 2. *vocaretur* L. I. & H.

Cum feminas.] *Cum feminas ergo.* Gaesb. eumque ſecuti poſteriores, ut haec vocula connectioni inſerviret, ſed cum nec in antiquis Editt. nec Manuſc. noſtris appareat, merito ejecimus, cum vel ſic liquida ſatis procedat oratio.

Vi rapuiſſent.] Sic vulgati, quos quidem viderim, omnes: nos ex antiquo Libro *vi* vocem ſuperfluam vi exturbavimus, & ut otioſam expunximus. Eſt enim *Rapiendi* ea notio, teſte *Donato*, ut ſignificet per *vim*, aut cum feſtinatione, aut furore capere: Unde *Rapina*, quae palam & *vi* fit: *Furtum* fere clam & occulte. SCHOTT. Nota eſt ea vocis *rapiendi* ſignificatio, de qua Schol. *Juven.* ad Sat. I. verſ. 34. & Eleg. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. II. verſ. 26. Sed cum & olim editi & ſcripti conſtanter ſervent *vi rapuiſſent*, illam vocem cum *Schotto* vi exturbandam eſſe non cenſeo. Diſtinguendum enim eſt inter raptum, qui fit injecta manu, & illum, qui fit volente & conſentiente Virgine. Priori modo non raro vocula *vis* huic verbo additur, qua indignitas rei exprimitur, cum invitae illata ſit injuria. *Ovidius* Epiſt. V. Her. verſ. 131.

Vim *licet appelles, & culpam nomine velis,*
Quae toties rapta *eſt, praebuit ipſa* rapi.

Et Epiſt. XVII. verſ. 21.

An, quia vim *nobis Neptunius attulit Heros,*
Rapta *ſemel, videor bis quoque digna* rapi.

Iſcanius Arg. lib. III. de Bell. Troj.

- - - Repetant qui pace ſororem
Heſionem, magna vi *nuper ab Hercule* raptam.

Juſt. lib. XXVIII. cap. II. §. 9. *Qui uxores cum propter originis deheneſtamenta non invenirent, vi publica rapuerint. Dictys Cret.* lib. VI. cap. V.

4 ninenſes contra eos bellum ſumſerunt. Adverſus quos Romulus proceſſit, & exercitum eorum, ac ducem Acronem ſingulari praelio
5 vicit. Spolia opima Jovi Feretrio in Capitolio conſecravit. [Antem-

Interventu parentis puella ablata per vim. & ſic in tali re *Arnob.* lib. v. Adv. Gent. p. 162. *Quum rapere voluptatem inſidioſa fraude nequivit, vi matrem aggreſſus eſt.* Adde eod. lib. p. 158. *Et ex utroque ſexu vi rapta devaſtare.* Conjungit haec duo *rapere vi* etiam *Suet.* in Caeſ. cap. XXVI. §. 7. & *Auguſt.* lib. I. de Civ. Dei cap. XXVIII. *Vi* autem *rapere* idem eſt, quod dixit *Flor.* lib. I. cap. I. §. 10. *Manu capta ſunt.* ubi *Duk.* & *Cort.* ad *Sall.* Jug. cap. V. §. 4. vel quod *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 635. ex q. *Minuc. Felix* c. XXV.

- - - Raptas ſine more Sabinas.

Quod non erit, ut plerique exponunt, *ſine exemplo*, ſed, ut recte *Servius*, *ſine ullo bono more*, *vel raptas*, *ſtupratas*, *id eſt*, *per vim.* Adde Cl. *Burm.* ad *Ovid.* I. Art. 119. *Ovidius* etiam lib. VI. Met. verſ. 524.

- - - Et Virginem, & unam
Vi ſuperat.

De ipſo Raptu Romuli *Auguſt.* lib. II. de Civ. Dei cap. XVII. *Filias alienas fraude ſpectaculi inductas, non a Parentibus accipi, ſed* VI *ut quisque poterat auferri.* Certior autem mihi ſemper viſa eſt emendandi ratio, ſi ex ſcriptis aliquid quaſi poſtliminio reducatur, quam ſi ejiciatur, nam facilius indoĕti Librarii ipſi voces potuerunt omittere, quam de ſuo addere, cum raro talium rerum ſibi haberent copiam. Haec etiam vox nonnihil turbarum excitavit apud *Corn. Nepot.* in *Hamilc.* cap. I. ubi quidam legunt: *aut vi certe viciſſent aut victi manus dediſſent.* alii ibi *vi* omittunt, alii *virtute*, alii *vere* conjiciunt. Verum quamvis abeſſe poſſet haec vocula, nulla tamen eſt ratio, cur cum Erud. *Beſio* locum non temere ſine ope melioris codicis ſanandum exiſtimemus, cum *vi vincere*, ſit fortitudine, virtute vincere: adi Comment. ad *Juſtin.* lib. V. cap. I. §. 10. & *Graev.* ad lib. I. cap. VI. §. 12. *Gronov.* ad *Livium* lib. VII. cap. XXXII. & *Cortium* ad *Cic.* lib. V. ad Fam. Epiſt. X. Sed ut dicam quod ſentio, abeſſe poterat, & ſimpliciter ſcribi: *aut certe viciſſent.* cum *vi* nec in Codd. MSS. nec antiquis Editt. appareat, inducta forte ex praecedenti ſyllaba, cum *ut* & *vi* centies commutentur. Sed hoc *Aurelii* loco nulla eſſe poteſt ſuſpicio, *vi* in contextum ex marginalibus gloſſis irrepſiſſe, cum talis expoſitio vocis *rapere* neceſſaria non eſſet in hac re, nam paſſim ita ſimpliciter occurrit, ut ap. *Prop.* lib. II. El. VII. verſ. 15.

Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas.

Erud. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. LI. §. 9. & cet. Confer *Muretum* ad tit. Inſt. *De bonis vi raptis.* princ.

Caeninenſes.] *Gryphii* Codices *Cenienſes*, quomodo & in vulgatis *Livii* editionibus. Nos *Caenineuſes* per diphthongum ſcripſimus ex MSS. *Plinium* etiam lib. III. cap. V. *Halicarnaſſeum* & *Stephanum* de Urbibus ſequuti. Hi enim *Kaνίνα* urbem appellant. SCHOTT. Populi in Latio, qui Caeninam urbem colunt. ANNA. *Caeninenſes* vera eſt ſcriptura, quam variis modis corrumpere aggreſſi ſunt indocti ſcribae, & ſic recte legitur apud *Serv.* ad *Virg.* VIII. Aen. 638. cum in plerisque ejus editionibus tantum per ſimplex e exprimatur. Inſpice *Sigon.* ad *Liv.* lib. I. cap. IX. *Salmaſ.* ad *Flor.* lib. I. cap. I. §. 11. Eleg. *Broukh.* ad *Prop.* lib. I. El. X. verſ. 7. Et Cel. *Burm.* ad *Ovid.* II. Faſt. verſ. 135.

Bellum ſumſerunt.] *Bella* Lugd. I. Sed hoc perinde eſt, nota interim phraſin minus vulgatam. inf. cap. LXXI. §. 1. *Bellum adverſum Romanos ſumſit. Tacit.* lib. II. Ann. cap. XLV. *Cheruſci ſociique eorum ſumſere bellum.* & lib. IV. Hiſt. cap. LXVI. *Non ideo, inquit, bellum ſumſimus.* Qualia plura adduxit Illuſt. *Heinſius* ad *Ovid.* Ep. XVII. Her. verſ. 371. Cl. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* l. I. verſ. 272. *Duker.* ad *Flor.* lib. IV. cap. XII. §. 24. & *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. LXXXIII. §. 1.

4 *Vicit.*] Sic pro *devicit* legunt H. B. uterque Lugd. & Ed. Antiq. quod mihi quidem magis placet. *Vincere* enim certamine, praelio, armis &c. apud veteres pro devincere invenies. *Lactant.* lib. V. Div. Inſt. cap. VI. *Excellentem viribus gentem bello vicerat. Ovid.* XVI. Her. 359.

Pene puer vario juvenes certamine vici.

Quod & alibi ſaepius obviam. ita inf. cap. XXIX. in ſcriptis eſt: *hoſte victo Valerius Corvinus dictus.* Pro *praelio* hoc loco *certamine* reperitur in H.

Spolia opima.] De *ſpoliis opimis* vide quae in *Corn. Coſſum* infra adnotavi. SCHOTT. Sic dicebantur *ſpolia*, quae dux hoſtium duci a ſe interfecto detraxerat. ANNA. *Freinsh.* ad *Flor.* lib. II. cap. XVII. §. 11. & Cel. *Periz.* Anim. Hiſt. cap. VII.

Feretrio.] Sic dicto, quia ex voto (auctoribus *Plutarcho* & *Livio*) propriis humeris tulit Romulus, *ſabricato ad id apte ferculo*; ut *Livianis* verbis

temnates, Cruſtumini, Fidenates, Vejentes,] Sabini [etiam] ob raptas bellum adverſus Romanos ſumſerunt. Et cum Romae ap- 6
propinquarent, Tarpejam virginem nacti, quae aquae, cauſſa ſacrorum, hauriendae deſcenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, ſi exercitum ſuum in Capitolium perduxiſſet. Illa petiit quod illi in ſiniſtris manibus gerebant, videlicet annulos & armillas, quibus

bis utar: & haec palma duobus tantum contigit poſtmodum, *Cornelio Coſſo*, & *Marco Marcello*. MACH. *Feretrium* cur potius quam *Pheretrium* ediderim, in promptu ratio eſt, quod ita analogia expoſcat, ſive ea a *ferendo*, ſive a *feriendo*, ſive etiam a *ferculo*, aut *feretro* ducta ſit. SCHOTT.

In Capitolio.] Nota *Capitolio* pro *Capitolino monte*. Tunc enim nondum erat *Capitolium*. Sic *Livius* lib. 1. *Spolia ducis hoſtium caeſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium aſcendit*. ANNA.

5 *Antemnates.*] Pleniores ſunt Libri MSS. quos non ſequi religio propemodum fuiſſet in tanto omnium conſenſu, & *Eutropii* auctoritate lib. 1. init. *Antenates* autem ſcriptum habebant, alii *Antemnates* praeferebant. SCHOTT. Incluſa, *Antemnates*, *Cruſtumini*, *Fidenates*, *Veientes*, a Vulg. l. abſunt: *Schottus* e Vet. Cod. inſeruit. eosdemque recenſet etiam *Sigonius* ſupra, 9, 6. & *Eutropius* infra 559, 18. SYLB. Antemnates in Sabinis XI. Stad. ab urbe Roma. ANNA. Haec quatuor verba in omnibus noſtris deſiderantur, fidem tamen *Schotti* ſecutus ejicere nolui, eo contentus, ſi parentheſi includantur, quo facilius ab aliis ſecerni poſſint. Vid. *Liv.* 1. x. *Serv.* ad *Virg.* VIII. 638. & *Solini* Polyh. cap. 1. p. 2. D. De Orthographia adde *Dauiq.* part. II. p. 34.

Cruſtumini.] *Cruſtumerium* appellat *Plinius* lib. III. cap. v. agens de his oppidis in Latio deletis, & *Dionyſius* lib. 1. nunc *Cruſtuminum*, nunc *Cruſtumerium*. SCHOTT. *Silius Ital.* VIII. 367.

— — — *Antemnaque Priſco*
Cruſtumio prior.

Fidenates.] In Latio ſexto ab urbe milliario. ANNA.

Vejentes.] In Latio XIIX. milliario ab urbe. ANNA.

Sabini.] Inter Umbriam & Latium. ANNA. Ceterum ſequentem vocem *etiam* non agnoſcunt noſtri. Sed ſi priores voces admittantur, ad connectendam orationem inſerenda eſt.

Ob raptas.] In MSS. *ob raptas Virgines*. Sed *Virgines* ſuperat. SCHOTT.

6 *Sacrorum gratia.*] Vox *gratia* in MSS. abeſt, & recte, mea quidem ſententia: irrepſit enim ex ora in contextum. Solent enim Latini, teſte *Priſciano*, eleganter hac praetermiſſione in generandi caſu uti, ut intelligatur, *cauſſa*, vel *gratia*, unde hic ab aliis adſcriptum fuiſſe ſuſpicor. *Salluſtius* Jugurthino: *belli patrandi cognovit*. Sic alii, *Reipublicae defendendae laborat*. *Livius* etiam lib. v. & *Hirtius* de bello Alexandrino, aliique ſic loquuntur, quod alii ante me monuerunt. In inſulam igitur gloſſema deportetur. SCHOTT. & SYLB. Optimo jure *gratia* ejecit *Schott.* quam vocem alii olim editi hic intrudunt, a quo tamen peccato abhorrent noſtri manu exarati. Solitum hunc eſſe Libariorum hanc conſtructionem ignorantium errorem docuit Clar. *Burm.* ad *Petron.* cap. XLIX. *Davif.* ad *Cicer.* lib. 1. de Nat. Deor. c. XXII. *Torren.* ad *Val. Max.* lib. III. cap. VII. ex. 2. *Cortius* ad *Sall.* Catil. c. VI. §. 7. & Jugurt. cap. LXXXVIII. §. 4. *Oroſius* lib. v. cap. XII. *Cum ſaepe populum Romanum largitionibus promiſſisque nimiis in acerbiſſimas ſeditiones excitaviſſet, maxime legis agrariae, pro qua etiam frater ejus fuerat occiſus.* ita legi poteſt ex MS. cum hodie in editis conſpiciatur: *legis agrariae cauſſa*. *Virg.* lib. XI. Aen. verſ. 126.

Juſtitiaene prius mirer belline laborum.

Ubi Comm. & *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. XVI. verſ. 166. ex quibus patet, quam accurate ſcribat *Rupertus* in Ench. p. 293. Scriptores inferioris aevi ſic tantum loqui ſolitos. Meliora docent infinita priſci etiam ſeculi teſtimonia. Nec incognita fuit Graecis haec loquendi ratio. *Palaeph.* de Incred. cap. XXXI. Ὁ δὲ ἰδὼν τὸν ἀνδρὸς ἀναστενάξας. *Lucae* Euang. XXIV. 29. *Munck.* ad *Anton. Liber.* cap. IV. & *Heupel.* Can. de Dial. c. II.

Ei T. Tatius.] Ad hunc ſtrenarum, quae Kalendis Januariis mitti ultro citroque ſolent, originem refert *Symmachus* Urbi Praefectus Epiſt. X. XXVIII. *Ab exortu*, inquit, *paene urbis Martiae ſtrenarum uſus adolevit, auctoritate Tatii Regis: qui verbenas ſolicis arboris ex luco Strenige anni novi auſpices primus accepit. Nomen indicio eſt viris ſtrenuis haec convenire ob virtutem.* SCHOTT.

In arcem produxiſſet.] Sic Manuſc. in vulgatis legitur: *in Capitolium perduxiſſet* ut ſit πρόληψις. Pro-

bus doloſe repromiſſis, Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius ſcu-
7 tis eam obrui praecepit, nam & ea in laevis habuerant. Romulus adverſus Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, proceſſit, & in eo loco, ubi nunc Romanum forum eſt, pugnam conſeruit. ibi Hoſtus

Producere autem elegantius quam *perducere*, quaſi porro ducere, auctore *Nonio Marcello*. SCHOTT. Vulgo legitur *produxiſſet*, ſed rectius *perduxiſſet*, ut mox. SYLBURG. Malim cum Palatino uno & *Schotti* membranis *in arcem*. *Sylburgius* quidem pugnat pro retro vulgatis *perduxiſſet*; ſed fruſtra. etiam producere hoc proprie locum habet; quemadmodum exemplis aliquot oſtendit *Briſſonius* lib. XIV. de Verborum, quae ad jus pertinent, ſignificatione. GRUT. Verum ego cum MSS. plerisque & Edit. vetuſt. aliter ſentio, & *perduxiſſet* retinere malui. Adhibetur enim haec vox de talibus, qui copias in deſtinatum ſibi locum ducunt. Sic Virgo haec Viae dux Sabinos in certum & praeſcriptum locum Sc. Capitolium perduceret. *Vell. Paterc.* lib. II. cap. LIV. §. 3. *Ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia perductis ad eos legionibus.* cap. CVI. §. 2. *Romanus cum ſignis perductus exercitus.* & cap. CXI. §. 3. *Partem exercitus ab Urbe perduxi ad filium ejus.* Quo modo fortaſſe reponendum ap. eundem eod. lib. cap. LXXVIII. §. 1. *Perducto eorum exercitu in Syriam.* Noſter inf. cap. XLIX. §. 6. *Reliquias incolumes per media Hoſtium caſtra Canuſium perduxit.* *Livius* lib. XXII. cap. XXII. *In caſtra Romana perducti.* *Valer. Max.* lib. VI. cap. V. ex. 1. *In caſtra Romanorum perduxit.* *Frontinus* lib. II. Strat. cap. III. ex. 20. *Perduceret hoſtes in confragoſa loca.* & cap. V. ex. 35. *In praeparatas inſidias perduxit exercitum.* *Producere* autem proprie de eo duce dici exiſtimo, qui milites ex caſtris educit, ut hoſtibus faciat pugnandi copiam. Sic *Caeſar* lib. I. B. Civ. cap. XLII. §. 2. *Copias ſuas ad infimas montis radices producunt.* *Livius.* lib. XXVI. cap. III. *Eos ferociter pugnam poſcentes productos in aciem.* *Corn. Nepos* in Milt. cap. V. §. 4. *In aciem Equitum decem millia produxit.* Inf. in Caeſar. cap. XXXV. §. 4. *Producta in ſpeciem acie.* Sed hae voces ita paſſim permutantur. Cl. *Gron.* ad *Livium* lib. XXX. cap. XII. *Drak.* ad *Silium* lib. XV. verſ. 100. *Torren.* ad *Valer. Max.* lib. VI. cap. II. ex. 3. *Oudend.* ad *Lucan.* lib. III. verſ. 384. & lib. IX. verſ 389. V. D. ad *Petron.* Sat. cap. VIII. init. & ad *Corn. Nep.* in Annib. cap. V. §. 3. ARNTZ.

Armillas.] Ornamenta vocitata ſunt, quae viri militares ex auro ab Imperatoribus donati gerunt. *Armillum* autem urceoli vinarii genus, ut *Nonius* inquit: utrumque ab *armo*, id eſt, humero dictum. MACH. Vide notata ad *Florum* pag. 6. Not. 26. ANNA. Scilicet ſolebant *ſcutum*, *armillas* & *annulos* laeva manu geſtare viri militares, ut eſt in *Ovid.* lib. III. Am. El. VIII. verſ. 15.

Laeva manus, cui nunc ſerum male convenit aurum
Scuta tulit. dextram tange, cruenta fuit.

Doloſe repromiſſis.] Mediolanenſis *promiſſis*, a quo ſtat vetus Liber calamo exaratus: nihil tamen muto, quod ſic *Suetonium* frequenter loqui meminerim: tametſi promiſſio relationem (ut cum dialecticis loquar) ſua vi ſignificet. Loca piget huc congerere. Utitur & in Scaevola Auctor noſter. SCHOTT.

Ubi Titus.] Pro *Titus* malim *Tatius* ut §. ſeq. in Vulg. lib. utrumque nomen exprimitur *Titus Tatius.* ut paullo ante & inf. §. 11. SYLBURG. *Tatius* eſt in Leid. 1. & B. *Tatius Titus* Leid. 2. & F. non male, cum certum ſit praenomina ipſis non rare nominibus poſtponi. *Livii* Epit. lib. II. *Virtute Coclitis Horatii prohibitus eſt.* *Vell. Pat* lib. II. c. XXXIII. fine. *Haud infacete Magnus Pompejus Xerxen togatum vocare adjueverat.* Vid. Cl. *Duker.* ad *Flor* lib. III. cap. XXI. §. 18. & *Periz.* Epiſt. ad *Heinſ.* XXXII. tom. IV. Syll. *Burm.* p. 786. ARNTZ.

Habuerant.] *Habuerunt.* B. & T.

7 *Montem Tarpejum.*] Id eſt, Capitolinum: nam *& Tarpejus* dictus eſt. ANNA.

Tenebant.] Codex Fran. *tendebat* forte pro *in montem Tarpejum tendebat.* Sed recte ſe habet vulgata lectio. Tenere namque locum aliquem dicuntur duces, in quo caſtra poſuerunt. *Eumenii* Paneg. Conſt. Caeſ. dict. cap. XV. §. 5. *Signifer neſariae factionis, cum ab eo litere, quod tenebat, abſceſſit.* *Hirtius* B. Alex. cap. VI. *Urbis partibus exclusis, quae ab ipſo tenebantur.* Plura Cel. *Grenov.* ad *Livium* lib. XXIV. cap. III. & lib. XXVII. cap. XVII.

In eo loco, ubi nunc Romanum forum.] *Florus* cap. I. *Ita admiſſis intra moenia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna.* Per *forum* autem *forum Romanum* intellige, quod inter Palatinum & Capitolinum collem fuit. ANNA.

Hoſtus.] Scripſi, non *Hoſtius*, ſequutus lapides Capitolinos, *Valerium Maximum* & *Macrobium*,

ſtus Hoſtilius fortiſſime dimicans cecidit, cujus interitu conſternati Romani fugere coeperunt. Tunc Romulus Jovi Statori aedem vo- 8
vit, & exercitus ſeu forte, ſeu divinitus reſtitit. Tunc raptae in 9
medium proceſſerunt, & hinc patres, inde conjuges deprecatae,
pacem

um, qui hoc praenomen ſic efferunt. SCHOTT. *Liv.* lib. 1. *Principes utrinque pugnam ciebant: ab Sabinis Mettius Curtius, ab Romanis Hoſtus Hoſtilius. Hic rem Romanam iniquo loco ad prima ſigna animo atque audacia ſuſtinebat. Ut Hoſtus cecidit, confeſtim Romana inclinatur acies: fuſaque eſt ad veterem portam Palatii.* Hic *Hoſtus Hoſtilius* Tulli Hoſtilii tertii Romanorum Regis avus fuit. ANNA. *Hoſtus* agnoſcunt quoque Noſtri tantum non omnes. adde *Sigonium* ad *Liv.* lib. 1. cap. XII. & de Nomin. Rom. cap. III. & *Pigh.* ad *Val. Max.* fragm. de Nomin. p. 878.

Dimicans cecidit.] Leid. 2. & Ed. Ant. *dimicando.* Cave quidquam mutes, eſt enim elegans locutio, cum participia illa *dimicans* & *pugnans* exprimant, tales non inultos periiſſe. *Livius* lib. II. cap. XLVI. *Aut prope te hic Q. Fabi dimicans cadam.* lib. III. cap. V. *Acriter dimicans cecidit. Juſtinus* lib. IV. c. V. §. 7. *In prima acie fortiſſime dimicans primus cadit.* lib. VIII. cap. I. §. 13. *Primus inter confertiſſimos dimicans cecidit.* & lib. XXXV. cap. I. §. 11. *Invicto animo inter confertiſſimos fortiſſime dimicans cecidit. Caeſar* lib. V. B. Gall. cap. XXXV. §. 7. *Fortiſſime pugnans, dum circumvento filio ſubvenit, interficitur.* C. XXXVII. §. 4 & 5. lib. VI. B. G. cap. XL. §. 7. & lib. VII. cap. L. §. 6. *Nepos* Hamilc. cap. III. *In praelio pugnans adverſus Vettones occiſus eſt. Livius* lib. XXVI. cap. XXV. *Pro patria pugnantes more occubuerunt.* Sic lib. XXVII. cap. XVI & XLIX. lib. XXXVII. cap. XI. & alibi. ARNTZ.

Fugere coeperunt.] Nonnemo mutat, *fugam coeperunt.* SCHOTT. Quem ut ſequamur, nulla eſt ratio. *Hirtius* Bell. Alex. cap. XX. *Temere in naves refugere coeperunt.* & *Phaedr.* lib. 1. fab. XII. verſ. 7.

Venantum ſubito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit.

8 *Statori.*] Quia fecit *ſtare* aciem Romanam contra Sabinos, in qua pugna etiam vulneratus Romulus fertur. MACH.

Et exercitus ſeu forte.] Sic ex Mediolanenſi & MSS. optimis reſtitui. *Simonis Colinaei*, aliorumque Editiones *& exercitui ſeu forte.* Pariſinus Codex antiquus *& exercitum ſeu forte, ſeu divinitus reſtituit*, eximie. *Forte* autem, non *ſorte* legendum hic & in antiquis Scriptoribus, ut in Tulliis infra cap. VII. admonuimus. SCHOTT. *Exercitui* legit B. F. & aliquot vetuſtae Editiones, ceteri Codices nihil mutant, niſi quod eaedem Editt. & F. pro *forte* habeant *ſorte.* Omnino male. Veteres enim Philoſophi, ut erant in rebus de Providentia Divina admodum diffidentes, putabant, res humanas duobus modis evenire vel caſu aliquo fortuito, vel conſilio & adminiſtratione Deorum. *Plinius* in Paneg. cap. 1. *Ac ſi adhuc dubium fuiſſet, ſorte caſuque Rectores terris, an aliquo Numine darentur. Cicero* lib. VII. ad Famil. Ep. V. *Ut illud neſcio quod non fortuitum, ſed divinum videretur. Valer. Max.* lib. VII. cap. II. ex. 5. *Directum eſt autem ſive caſu ſive etiam coeleſtis Numinis providentia. Tacitus* lib. VI. Ann. cap. XXII. *Sed mihi haec ac talia audienti in incerto judicium eſt, fatone res humanae ac neceſſitate inmutabili, an forte volvantur. Caeſar.* lib. 1. B. Gall. cap. XII. §. 6. Inſpiciatur *Servius* ad *Virg.* lib. IV. Aen. verſ. 620. *J. Fred. Gronovius* ad *Livium* lib. 1. cap. IV. *Waſſ.* & *Cortius* ad *Sall.* Jugurt. cap. 1. & *Lactant.* lib. 1. Div. Inſt. cap. II. Has vero voces a Librariis paſſim inter ſe confundi multis exemplis oſtendi poſſet, quod agemus inf. cap. VII. & XIII. ARNTZEN.

9 *Tunc raptae.*] Non ita Pariſinus. Sed *tum captae.* SCHOTT. Sed male, *rapere* enim propria hac in re vox. *Val. Max.* lib. II. cap. IV. ex. 4. *Romulus raptis virginibus Sabinis. Aſcon. Pedian.* Prooem. Act. in Verr. p. 57. *Quibus ajunt raptas Sabinas eſſe. Ovidius* Ep. XVII. Her. verſ. 22.

Rapta ſemel, videor bis quoque digna rapi.

Seneca Herc. Oet. verſ. 419.

- - - Virginum thalamos petit,
Si qua eſt negata, rapitur.

Ubi eodem modo peccant duo Codd. Traj. qui legunt *capitur.* Error ceteris Librariis non infrequens, uti notarunt *Sciopp.* lib. 1. Veriſ. cap. IX. *Gron.* ad *Liv.* lib. VI. cap. XXIII. Comm. ad *Petron.* Sat. cap. XXIX. & ad *Flor.* lib. I cap. 1. §. 10. cap. XII. §. 4. & lib. II. cap. VI. §. 2. Nob. *Heinſ.* ad *Ovid.* Ep. XIX. Her. verſ. 74. *Burm.* ad lib. II. Met. verſ. 603. & *Drak.* ad *Sil. Ital.* lib. XV. verſ. 659. ARNTZ.

Hinc patres, inde conjuges.] MSS. *matres* habent, non recte. dixit enim accuſandi caſu *patres*, ut totidem paene verbis *Livius: hinc patres, hinc viros orantes.* De virginibus enim ſermo eſt, quarum

10 pacem conciliarunt. Romulus foedus percuſſit, & Sabinos in ur-
bem recepit, populum a Curibus oppido Sabinorum Quirites voca-
11 vit. Centum Senatores a pietate Patres appellavit. Tres equitum cen-

rum orario querelis plena a *Livio* & *Ovidio*: ac de Graecis *Plutarcho* effingitur. Pariſinus verbis decurtatis legit, *& hinc patres, inde conjuges conciliarunt.* SCHOTT. *Hinc patres, deinde* Leid. 2. Sed fruſtra. *Martial.* lib. III. Ep. LVIII.

Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

Et lib. IX. Ep. LV.

Inde ſalutatus picae reſpondit arator,
Hinc prope ſumma rapax milvus in aſtra volat.

Vid. etiam lib. I. Ep. CXVIII. & *Petron.* in fragm. p. 687. Porro voculam *pacem* non admittunt G. B. & F. ut *conciliarunt* ad *patres* & *conjuges* referretur, ſed melius receptam tuebimur. *Juſt.* lib. XXII. cap. II. §. 7. *Non pax tantum Agathocli conciliatur. Cicer.* lib. X. ad Fam. Ep. XXVII. *Pacis inter Cives conciliandae te cupidum eſſe laetor. & Dares Phryg.* de Excid. Troj. cap. XXXVII. *Poſtquam multa verba de pace concilianda dixerunt.* ARNTZ.

10 *Foedus.*] Unde comitium a *con* & *eundo* dictum, quia ibi Tatius cum Rege Romano pacta iniit. MACHAN.

A Curibus.] *A Quiritibus* in MSS. *Pulmanni* eſt, qui, vulgatis plenior, legit: *Centumque ex ſenioribus elegit, quorum conſilio omnia ageret: quos pro ſenectute Senatores; Patres a pietate nominavit. Tris Equitum*, &c. nec dubito quin germana ſint, quare in contextum recipienda. SCHOTT. *Liv.* lib. I. *Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati.* ANNA.

11 *Centum Senatores a pietate Patres.*] Patres certe a pietate vel ab honore dicti. MACH. *MSS. Pulmanni; quos pro ſenectute Senatores, Patres a pietate nominavit.* Itaque *a pietate* lego, ubi vulgati *ab aetate* proclivi errore, cum idem paene ſonus ſit. *Ab aetate* enim Senatores, *a pietate*, vel, ut *Livius*, *ab honore* Patres dicti. Cum haec ita emendaſſem, vidi ſententiam a Mediolanenſi codice confirmari, & a *Dominico Machaneo*, quem ita legiſſe ex ſcholiis apparet. Putavi ergo hunc locum ſic interpungendum: *Centum Senatores ab aetate; a pietate Patres appellavit*, nec muto ſententiam, praeſertim cum amicis quibusdam eam probavero: tametſi *Salluſtius* Catilinaria vulgatam lectionem tueatur. *Delecti*, inquit, *quibus corpus annis infirmum, in enium ſapientia validum erat, Reipublicae conſulebant. Hi vel aetate, vel curae ſimilitudine, Patres appellabantur.* Nobiſcum vero facit *Eutropius*, *L. Annaeus Florus* & *Meſſalla Corvinus: centum*, inquit, *Senatores creavit, quos Patres ab auctoritate nuncupavit.* Sic enim legendum vel *ex auctoritate* e *L. Floro* lib. I. c. I. SCHOTT. & SYLBURG. *A pietate* conſtanter omnes MSS. Antiq. Edit. & *Mach.* in aliis poſterioribus eſt *ab aetate.* Hoc ſi recipiamus dicendum erit, Patres dictos eſſe quod reliquos aetate praeirent. Dubitanter *Salluſt.* B. Catil. cap. VI. §. 6. & ex eo *Serv.* ad *Virg.* lib. V. Aen. verſ. 758. *Vel aetate vel curae ſimilitudine Patres appellabantur.* Quod dicit *ab aetate* ego non credo; ſic enim nulla juſta eſſet differentia inter *Senatores*, qui a ſenectute, & inter *Patres*, qui ab aetate dicerentur, cum utraque appellatio eodem rediret. Quare praefero alteram ſententiam *a curae ſimilitudine*, ſeu, ut Noſter dicit, *a pietate*, id eſt, cura illa paterna, qua cives proſequerentur. *Pius* enim & *pietas* proprie Parentibus tribuitur, qui ſumma cura ſalutem filiorum ſuorum quaerunt, & eorum commodis inſerviunt. *Claudian.* de Nupt. Honor. & Mar. verſ. 41.

Stirpe ſoror, pietate parens, tibi creditus infans.
Iſcanius de B. Troj. lib. I. verſ. 322.
Haec inter medios enſes timet, illa Charybdin
Incurrit, pietas nunquam ſecura quieſcit.
Ovid. Ep. XV. Her. verſ. 115.
Non aliter quam ſi gnati pia mater ademti
Portet ad exſtructos corpus inane rogos.

Epiſt. XIX. Her. verſ. 123. & lib. VI. Faſt. verſ. 559. Alia *Manut.* ad *Cicer.* lib I. ad Fam. Ep. I. & *Knatchbull* ad Ep. I. *Timoth.* cap. V. §. 4. Hinc Principibus, Magiſtratibus & omnibus illis, qui in imperio poſiti ſunt, *Pietas* tribuitur. Sic Imperatoribus in Paneg. *Eumenii* pro Reſt. Schol. cap. XX. §. 2. *Quidquid invictiſſimi Principes urbium, gentium, nationum aut pietate reſtituunt, aut virtute devincunt.* & Paneg. *Nazarii* Conſtant. dict. cap. VI. §. 5. *Itaque non plus ex eo laudis fortitudini tuae datum, quam pietati tributum eſt.* Adde *Eumenii* Paneg. Conſtantio Caeſ. cap. I. §. & Conſtantino dict. Flav. Nom. cap. VII. §. 4. Et, ut propius ad rem veniamus, ipſi *Senatui* tribuitur *Pietas* apud *Suet* in *Domit.* cap. XI. §. 5. *Permittite, Patres Conſcripti, a pietate veſtra impetrari.* ut & apud *Lampr.* in Alex. Sev. cap. XI. Sic hujus vocis ſignificatione altius repetita, ducibus MSS. & derivationis verſimilitu-

dine

centurias inſtituit, quas a ſuo nomine Ramnenſes, a Tito Tatio Tatienſes, a Lucumone Luceres appellavit. Plebem in triginta cu- 12
rias diſtribuit, easque raptarum nominibus appellavit. Cum ad Ca- 13
prae paludem exercitum luſtraret, nusquam comparuit. unde inter Pa-

dine *a pietate* hoc loco omnino eſſe retinendum duxi. Adde *Freinsh.* ad *Flor.* lib. 1. cap. 1. §. 15. ARNTZ.

Quas a ſuo nomine.] In quibusdam Libris aſuit praepoſitio. SCHOTT. Neque eam agnoſcunt G. B. F. Lugd. 1. & plerique ex Editis. verum rectius additur. *Hyginus* fab. CXCII. *Quae a Fratris nomine appellantur Hyades. Ovid.* Epiſt. XIX. verſ. 125.

- - - Ab inviſo privignae nomine dictum.

Et lib. V. Faſt. verſ. 78. Sine praepoſitione tamen etiam Noſter paullo poſt & *Hyg.* fab. CXLV. *Suo nomine Argos oppidum cognominavit.* & fab. CLXXVIII. *Cilix ſuo nomine Ciliciae nomen indidit.* ubi tamen malim *a* vel *ex ſuo nomine.* ut cap. CLXXVI. *Qui ex ſuo* nomine *terrae* nomen *indidit. Ovidius* lib. III. Faſt. verſ. 733.

Nomine *ab Auctoris ducunt Libamina* nomen. Et lib. VI. verſ. 26.

Junius a noſtro nomine nomen *habet.*

Ramnenſes.] Alii *Rhamnenſes* ſcribunt. MSS. conciſius *Ramnes*, Pariſinus *Romnes*, quam lectionem parum abeſt quin praeferam, ut Romulo magis affinem. Utitur & Auctor Pervigilii Veneris, quod a *P. Pithoeo Lipſius* noſter lib. 1. Electorum publicavit:

Unde Ramnes & Quirites proque prole poſterum
Romuli matrem crearet & Nepotem Caeſarem.

SCHOTT. Et ego malim *Romnes*, ut in aliis. Romulus, *Romnulus*, *Romnus*, *Romnis*. Sic cum de nomine ſuo urbem vocavit Romulus, eam *Romam*, non *Ramam* dixit. ANNA. *Rammes* G. & F. Adi *Weitz.* ad Pervig. Ven. verſ. 72. & *Serv.* ad *Virg.* lib. V. Aen. verſ. 560. Eadem varietas eſt apud *Varr.* lib. IV. de L. L. p. 16. ubi quidam: *Ramnes a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone.*

Tatienſes.] Ita ſcripſi, ut praeter MSS. *Aldinus*, Pariſinus & Mediolanenſis Codices ſuaſerunt: ſuaſit & *M. Varro* & *Plutarchus.* Accedit & ratio, ne *Titienſis* a *Tatio* dicam prohibens, quamquam *Sextus Pompejus* ita derivet. SCHOTT. *Titienſes* vel *Ticienſes* habent F. B. G. & Lugd. 1. fortaſſe illi a *Tito* non a *Tatio* hoc nomen deduxerunt, cum utrumque huic regi competat.

A Lucumone.] *A luci communione Luceres* omnes ſcripti legunt: fortaſſe non male, quia in *luco* aſylum, civiumque coitio fuit: fateturque *Livius* ſe hujus centuriae originem in tanta narrantium varietate referre non poſſe, an a *Lucumone*, an a *luco*, an *Lucero* Ardeae Rege appellata. Suſpicari libet ab Hoſto Hoſtilio dictam, quem *Dionyſius Halicarnaſſeus Luconem* (*Auſonius* fortaſſe *Lucumonem*) Tuſcum appellare videtur, & Romulo laboranti ſuppetias tuliſſe ait. SCHOTT. Tres MSS. pro *Lucumone* habent *Luci communione* SYLB. *A Luci communione* quoque G. F. B. retinui vulgatum, praeſertim cum in Tuſcia *ſingulis curiis ſingulos Lucumones imperaſſe* prodat *Servius* ad *Virg.* lib. X. Aen. verſ. 202. Ut novum non erit Lucumonem etiam apud Romanos praefuiſſe, & ab eo nomen centuriis fuiſſe inditum. *Aſcon. Ped.* ad *Cic.* in Verr. de Praet. Urb. p. 72. *Luceres altera a Lucumone, ſive Lucretino ſive a luco, quem lucum Aſylum vocaverat Romulus.*

12 *Raptarum nomine.*] Veteres Libri *nominibus*, rectius. Hinc quidam tantum XXX. raptas fuiſſe putant: Veriſimilius *Juba* & *Dionyſius* IOCXXCII. raptas ajunt. SCHOTT. Sed totam hanc paragraphum delent quatuor noſtri.

13 *Cum apud Capreae paludem.*] Ita vulgati: nos antiquos libros expreſſimus *ad Caprae paludem.* Utrumque dici *Plutarchus* auctor eſt. SCHOTT. *Capreae* tres MSS. & omnes, ſi a *Machaneo* deceſſeris, Veteres Editiones. Utrumque quidem recte dici exiſtimant Viri docti, verum hoc obſervandum erit, quamvis utrumque in MSS. Codicibus occurrat, optimos tamen ex iis & praeſtantiſſimos fere *Caprae* praeferre. Sic apud *Florum* lib. 1. cap. 1. §. 16. *Cum concionem haberet ante urbem apud Caprae paludem.* Sic eſſe in melioribus & antiquioribus libris notat *Salmaſius* & Ill. *Heinſius* ad *Ovid.* lib. II. Faſt. verſ. 491. ad quem locum etiam opportune monet Cel. *Burmannus* & ibi quosdam Codd. habere:

Antiqui Caprae dixere paludem.

Solin. Polyh. cap. 1. pag. 2. *Apud Caprae paludem nonis Quintilibus apparere deſiit*, ut eſt in *Grypb.* Editione & excerptis Var. Lect. *Capreae* in Editione *Salmaſii. Liv.* lib. 1. cap. XVI. *Concionem in campo ad Caprae paludem haberet.*

Nusquam comparuit.] De morte Romuli ita varia a *Plutarcho* & *Dionyſio* referuntur, ut ſatius ſit de illa tacere, quam varias opiniones referre.

Patres & populum ſeditione orta, Julius Proculus vir nobilis, in concionem proceſſit, & jurejurando firmavit, Romulum a ſe in colle Quirinali viſum auguſtiore forma, cum ad Deos abiret, eundemque

MACH. *Nusquam comparuit* malim. *Nunquam* quidam Libri, male. SCHOTT. Poſteriori tamen modo Fran. & Leid. 2. & magna pars Editorum, minus bene. hoc *Lamprid.* in Vita Comm. cap. 11. dicit: *Nonarum Juliarum die, quo in terris Romulus non apparuit.* ut quoque *Auguſt.* lib. III. de Civ. Dei cap. XV. *Terent.* in Eun. Act. IV. ſc. III. verſ. 18.

Ille autem bonus Vir nusquam apparet.

Lactant. de Mort. Perſ. cap. 11. p. 42. *Nusquam repente comparuit, ut ne ſepulturae quidem locus in terra tam malae beſtiae appareret.* & *Auguſt.* lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XXIV. *Mortuum Romulum, cum & ipſe nusquam comparuiſſet, in Deos retudere Romani.* Recte itaque hanc formulam defendet ſummus *Scaliger* ad *Euſeb.* Chron. p. 77. a. Haec ita confunduntur quoque inf. in Epit. cap. XLII. §. 4. & apud *Virg.* lib. II. Aen. verſ. 620.

Nusquam abero & tutum patrio te limine ſiſtam.

Nunquam habent a prima manu excerpta *Voſſ.* ARNTZ.

In concionem proceſſit.] In MSS. perpetuo per *t* ſcriptum *Contio* reperi quaſi *Coitio*: alioqui a *Conciere* non male per *c* ſcribitur, quaſi convocatio. Haec eo pertinent, ne quis damnet, ubi a vulgi ſcriptura ſciens volensque receſſero, analogiae & Librorum ſcriptorum auctoritati innixus. SCHOTT. Per *t* ſolus Leid. ſec. & ſic depravate alii alibi Codices, a quibus recte a Viris doctis diſceſſum eſt. V. *Dauſq.* de Ortogr. tom. II. p. 91.

Jurejurando.] *Jurando.* Lugd. 2.

In colle Quirinali.] Sic dicto ab aede *Quirini Ovid.* 18. Sed falſum eſt. Nam illa aedes poſt Romuli mortem dicata, mons autem antea *Quirinalis* dictus. Melius qui a Curibus Sabinis dictum tradunt. Idem & Agonius, vel agonalis dictus. ANNA.

Auguſtiore.] *Auguſtus* adjectivum, ſacrum ſignificat ab avium geſtu, vel guſtatu, quod *Ovidius* innuit:

Templa vocant auguſta patres, auguſta ſenatus:
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

Ennius:

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

MACH. *Auguſtiore*, quippe Deus jam factus. Sic *Florus* lib. I. cap. I. *Viſum a ſe Romulum aſſirmans auguſtiore forma quam fuiſſet.* ANNA. *Auguſtiorem forma* Lugd. 1. quomodo etiam mutant apud *Florum* lib. I. cap. I. §. 18. & alii ita loquuntur. *Virg.* lib. I. Aen. verſ. 72.

Quorum quae forma pulcherrima.

Et lib. V. Aen. 295.

Euryalus forma inſignis.

Confer tamen Cel. *Gron.* ad *Liv.* lib. I. cap. IX. & *Suet.* in Ner. cap. I. *Juvenes gemini auguſtiore forma ex occurſu imperaſſe.* Ut autem Deos ſuos, ſi apparent, humano habitu ampliores fingebat antiquitas, qua de re agit *Turn.* lib. XXX. Adv. cap. XXXIX. *Lipſ.* ad *Tacit.* lib. XI. Ann. cap. XII. & Eleg. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. III. El. VI. verſ. 22. Sic etiam eis, qui in Deos recepti erant, hoc idem accidiſſe credebant, unde *auguſtus* proprie tribuitur illis, qui ex hominibus in Deorum numerum relati ſunt. *Lactantius* lib. I. Div. Inſt. cap. XV. *Vidiſſe ſe regem humano habitu auguſtiorem. Florus* lib. IV. cap. XII. fine: *Reverentius viſum eſt nomen Auguſti, ut ſcilicet jam tum, cum colid terras, ipſo numine & titulo conſecraretur.* ubi Erud. *Duker.* ac de reliquis Diis *Livius* lib. V. cap. XXI. *Praeter ornatum habitumque humano auguſtiorem.* lib. VIII. cap. VI. *Viſa ſpecies Viri majoris, quam pro humano habitu auguſtiorisque.* Adde lib. I. cap. VII. & lib. VIII. cap. IX. *Val. Max.* lib. I. cap. VIII. ex. 8. *Vidit humano habitu auguſtiorem. Arnobius* adv. Gent. lib. I. p. 10. *Auguſtiſſimos illos adſeveratis Deos. Pomp. Mela* lib. I. cap. XIII. & reliqui, quare peſſime *anguſtiore* Fran. obtrudit.

Ad Deos abiret.] Pro *abiret*, *Aldus obiret* excudit. SCHOTT. Ex qua *Aldi* Editione hoc petierit, ignoro, cum mea *Aldina abiret* exprimat. *Adiret* legitur in Lugd. 2. quod etiam vanum eſt. *Adire* namque *ad Deos* proprie dicuntur illi, qui ſupplicibus precibus ad Deorum templa accedunt. *Lactant.* de Mort. Perſ. cap. XV. *Sic ergo ad Judices, tanquam ad Deos adiretur.* quod firmat *Herald.* ad *Arnob.* adv. Gent. lib. I. p. 30. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. V. verſ. 39. & Cel. *Burm.* ad *Ovid.* lib. II. Faſt. verſ. 191. *Abeunt* vero *ad Deos*, qui poſt mortem in Deorum numerum recipiuntur. *Cic.* lib. I. Tuſc. Quaeſt. cap. XIV. *Abiit ad Deos Hercules, nunquam abiiſſet, niſi, cum inter homines eſſet, eam ſibi viam muniiſſet. Lactant.* puriſſimae latinitatis imitator lib. I. Div. Inſt. cap. XV. *Ipſi populo perſuaſit*

que praecipere, ut seditionibus abstinerent, virtutem colerent, futurum ut omnium gentium domini exsisterent. Hujus auctoritati 14
creditum est. Aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus, & Quirinus est appellatus.

suasit Romulum ad Deos abiisse. & lib. III. cap. XVIII. *Ut cum repente non apparuisset, abiisse ad Deos crederetur.* Hoc *ire ad Deos* dixit *Seneca* Lud. Claud. p. 845. *Ire in Coelum Suet.* Aug. cap. CI. Similia peccata in *abire* & *adire* observat *Sciopp.* lib. II. Verisim. cap. XIV. & lib. IV. cap. VI. Cel. *Burm.* ad *Quintil.* Decl. IX. cap. V. & cum *Servio Pierius* ad *Virg.* lib. VI. Aen. vers. 375. Pro sequenti *eundemque* habet B. *eum denique.* ARNTZEN.

Ut a seditione abstinerent.] Sic quidam libri, sed nostram lectionem retineo, cum sic in Lutatio Catulo loquatur. SCHOTT. *A seditionibus* edidit *Mach.* Sed reliqui Scripti (excepto H.) & inpressi in *Schotti* lectionem consentiunt. *Tibull.* lib. I. El. II. vers. 57.

Tu tamen abstineas aliis.

Just. lib. I. cap. I. §. 7. lib. XII. cap. II. §. II. & *Burm.* ad *Ovid.* lib. X. Met. vers. 539.

14 *Auctoritati.*] Quidam Libri *auctoritate* legunt. SCHOTT. Sed tamen nullus ex nostris, & ita oportebat. Quo fere modo perperam tentabat *Justinum* Erud. *Scheff.* qui pluribus in locis illi Scriptori non satis felicem videtur operam navasse, ad lib. I. cap. VII. §. 17. *Affirmatione sua creditum est*, cum ceteri rectius *affirmationi suae.* Pro *hujus* tres Codices *cujus.*

Quirinus est appellatus.] Hinc & *Quirinalia* instituta, alio nomine stultorum festa XIII. Kal. Mart. in veteri Calendario Romano & *Ovidio* lib. II. Fast. item *Quirites* inde Cives Romani appellati. In Apotheosi quoque nomina mutari solita *Lactantius* hinc docet lib. I. cap. XV. SCHOTT. & ANNA.

Appellatus.] Non celabo lectorem hic eadem manu adscriptum in Manuscriptis omnibus *Regnavit annos* XXXVII. SCHOTT.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Romam venit, sacra instituit, aedem Vestae facit, Vestales legit, Flamines & Salios instituit, Pontificem Maximum creat, Jano portas aedificat, annum distribuit, leges fert, morbo solvitur & sepelitur Numa Pompilius secundus Romanorum Rex.

Post consecrationem Romuli, cum diu interregnum esset, & sedi- 1
tiones orirentur, Numa Pompilius Pomponis filius, Curibus oppi-

1 *Interregnum.*] Interregno legendum; ut tota sit una dictio, teste T. *Livio* ita scribente & *Plutar-*

oppido Sabinorum accitus, cum addicentibus avibus Romam venisset,

Plutarcho. Nam, ut Patavinus Historicus asserit, *quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat, annuumque intervallum regni fuit, id abs re (quod nunc quoque tenet nomen) interregnum appellatur.* Graecus vero Auctor scribit, cum ipsi patres centum & quinquaginta essent, in parte cuilibet contigisse, cum regalibus insignibus & legitima Diis sacra persolveret, imperaretque faciendâ sex horas noctis, & sex diei loco Quirini: hanc formam imperii Romani interregnum vocant. MACH. Locus mihi semper de mendo suspectus: videbam enim deesse aliquid aut *diuturno* legendum. Fuit enim annuum interregnum, aut latine dicendum: *cum multae interregno seditiones orirentur.* Post cum MSS. nactus essem, ita, ut excudendum curavi, legendum didici, placerque plenior ea lectio. SCHOTT. Locus variis modis corruptus. Quinque Scripti & ant. Ed. *Diu interregnum* (vel *inter regnum*) *seditiones orirentur.* Leid. 2. *cum divinitus regnum* O. S. olim editi: *interregno seditiones orirentur.* Erudit. vero *Scheff.* in Epist. ad *Heins.* quas hodie beneficio Cel. *Burmanni* habemus tom. v. Syll. Ep. v. p. 6. maluit scribere: *cum de interregno.* Sed cum Codices scripti non *interregno*, verum *interregnum* omnes agnoscant, non dubitavi *Schotti* fidem secutus ita edere, ut ille in MSS. se invenisse testatur.

Seditiones.] Mediolanensis *dissensiones*, non *seditiones* legebat. SCHOTT. *Seditiones* vocat dissensiones plebis & Patrum de novo Rege creando. ANNA.

Numa Pompilius.] Qui *Numa Pompellius* etiam appellabatur, quae vox in *Festo*, cum de opimis spoliis agit, corrupta est, in *compelli.* SCHOTT.

Pomponis F.] Sic scripsi antiquis Libris Auctoribus, quomodo & *Livius* & *Dionysius*: quidam & *Pomponi* habebat. Parisinus *Pompilii*, vulgatus *Pomponii* ponit. SCHOTT. *Pomponii* priscae Editt. & Scripti quinque. Franeq. *Pomponi. Pomponis* est apud *Livium.* lib. XL. cap. XLII. Filium etiam *Pomponem* habuisse Numam tradit *Plut.* in Numa p. 73. *Pompum Pompilium* Patrem Numae appellat *Val. Max.* fragm. de Nom. Rat. p. 876. ubi confer *Pigh.* & *Sigon.* de Nomin. cap. III. p. 1956. tom. II. Thes. *Graev.* qui receptam lectionem tuentur.

Curibus.] Nonnulli *a Curibus legunt.* SCHOTT. Nulla in nostris varietas, nisi quod Lugd. 2. *Curribus. Accitus* eodem modo de Numa adhibet *Liv.* lib. I. cap. XVIII. *Numae Pompilio Regnum aeferendum decernunt, accitus - - - - - regnum adeptus est.* & lib. IV. cap. III. *Numam Pompilium, non modo non Patricium, sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum.* Et hoc factum *per Legatos* scribit *Servius* ad *Virg.* lib. VI. Aen. vers. 809.

Adducentibus civibus.] Sic Editi Libri, quasi comitantibus civibus, quibus & patre fratreque deprecantibus Romam venit. *Dionysius* lib. II. MSS. omnes *addicentibus avibus*, eximie: nam *Livius* lib. I. c. XVIII. eam tamquam germanam lectionem comprobare videtur, ait enim auspicato Numam Regem creatum. *Accitus*, inquit, *sicut Romulus augurato in urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque Deos consuli jussit: inde ab augure*, &c. Sic & *Plutarch.* in Numa, quamquam ille, postquam jam Romam venisset, aves consuluisse scribat. Nec verisimile virum religioni deditum, domo profectum ad res tantas inconsultis avibus. Sic contra in Hostilio Mancino Auctor noster dixit *vetantibus avibus*, alibi, *adversis eminibus*, & *adversus auspicia. Addicere* autem *aves* dicuntur in auguriis, cum aliquid volatu aut garritu approbant & ratum faciunt. *Livius* lib. I. cap. XXXVI. *Negare Attius Navius inclytus ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse.* Ibidem: lib. I. cap. LV. *Cum omnium sacellorum exauguirationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.* Ibidem: *Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixere. Tacitus* lib. I. Historiarum. *Auctus omnino addicentibus auspiciis, vocat contionem. Apulejus* de Deo Socratis *adjicere auguria* dixit, ut & *Plautus* Asinaria *Admittere aves* eadem elegantia, de qua *Sextus Pompejus. Livius* lib. I. *Concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. Julius Obsequens* de Prodigiis anno U. C. 703. *C. Cornelius Augur Patavii eo die cum aves admitterent, proclamavit rem geri & Caesarem vincere.* Locus igitur in *Seneca* corruptus, etiam emendandus lib. de Vitae Brevitate cap. XIV. *Hoc scire magis prodest, quam Aventinum montem extra pomerium esse, ut ille affirmabat, propter alteram ex duobus causis, aut quod plebs eo secessisset: aut quod Remo auspicante illo loco, aves non adduxissent.* Sic Libri vulgati omnes: lege me Auctore, *addixissent.* Cui sententiae facile accedit, qui *Agellii* lib. XIII. cap. XIV. Noctium Atticarum cum istis *Senecae* componet. *Messallam* enim laudat Auctorem, qui eam causam maxime probet, *quod in eo monte Remus urbis condendae gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque in auspicio a Romulo sit.*

Porro

ſet, ut populum ferum religione molliret, ſacra plurima inſtituit. aedem Veſtae fecit, virgines Veſtales legit. Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem, Salios Martis ſacerdotes, quorum primus Praeſul vocatur, XII. inſtituit. Pontificem Maximum creavit. Por-

Porro de *addicendi* altera notione in Virginio Centurione diximus. SCHOTT. *Addicentibus avibus* etiam F. & B. in reliquis nihil ſani: nec tamen quisquam dubitabit, quin vera ſit *Schotti* & Codicum noſtrorum emendatio, niſi vellet inventis frugibus veſci glandibus. Senſu hoc frequens verbum eſt *Livio*. Praeter ea, quae *Schottus*, occurrit lib. XXII. cap. XLII. *Quum ei ſua ſponte cunctanti pulli quoque auſpicio non addixiſſent.* & lib. XXVII. cap. XVI. *Aves ſemel atque iterum non addixerunt. Tacit.* lib. II. Ann. cap. XIV. *Auctus omine, addicentibus auſpiciis, vocat concionem.* Ille erit locus, qui male a *Schotto* adducitur. Vide *Muretum* ad *Tibull.* lib. I. El. IV. fin. p. m. 115. Et Cl. *Burm.* ad *Ovid.* lib. XV. Met. verſ. 647. ARNTZ.

Populum ferum.] *Barbaros* vocat *Florus* lib. I. cap. II. *Multitudinem imperitam & rudem Livius* lib. I. ANNA. *Salvian.* Epiſt. IV. p. m. 177. *Ut nec Romanus memor eſſet belli nec Sabinus poſſet injuriae & illi paullo ante feri & ſemibarbari.*

Aedem Veſtae.] Inter Capitolium & Palatium medio ferme ſpatio extra Romam quadratam. Forma rotunda. ANNA.

Fecit.] Codices quidam, *conſecit.* SCHOTT.

Virgines Veſtales.] De quibus floſculos aliquos e *Livio*, *Plutarcho*, *Gellio*, & *Dionyſio*, habeto: a Numa Pompilio primo inſtitutas perpetui ignis cuſtodes quatuor. quae primo decennio facienda diſcunt: ſecundo faciunt: reliquo autem decennio alias edocent, poſt id tempus nubere poſſunt. Honoribus quoque multis venerantur: inter quos, ſi caſu in quenquam inciderint ad capitale ſupplicium ductum, eum necari non licet; ſi autem aliqua virginitatem perdiderit, viva ad portam, quam Collinam vocant, defodiebatur ibi moritura, *Juvenale* teſte,

Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.

Erat ſacerdotium Alba oriundum, habens de publico ſtipendium, eligebatur *Veſtalis* patrima & matrima, inter capiendum a Pontifice Maximo *Amata* appellabatur. MACHAN.

Flamines.] Quaſi *filamines* a *filo* lanae in pilei cacumine lato. MACH. Quidam primam *Flaminum* inſtitutionem ad Romulum referunt. Sed reclamat *Livius* lib. I. Ubi de Numa. *Flaminem*, inquit, *Jovi aſſiduum ſacerdotem creavit: inſignique eum veſte & curuli regia ſella adornavit, huic duos flamines adjecit: Marti unum, alterum Quirino.* Idem & *Dionyſius*. *Flamines* autem quaſi *filamines*, quod caput cinctum habebant *filo*, vel *flamines* a *flameo*, quod tegminis capitis genus eſt. ANNA.

Dialem.] Et Martialem a Romulo, in honorem patris: Quirinalem ſolum a Numa inſtitutum *Plutarchus* refert: reclamant *Livius* & *Dionyſius*. Duos vero Martiales, non ut Noſter unum, fuiſſe auctor eſt *Andreas Dominicus Floccus* in libello de Magiſtratibus Romanis, qui falſo hodie *L. Feneſtellae* inſcribitur. SCHOTT. Fruſtra eſt Leid. 2. *Diales* numero plurali ſubſtituens, cum unum tantum inſtitutum fuiſſe ſatis conſtet. *Arnob.* adv. Gent. lib. I. p. 31. *Dialem, quod ejus erat, Flaminem iſto jure donavit. Auguſt.* de Civ. Dei lib. II. cap. XV. *Ut tres ſolos Flamines haberent tribus Numinibus inſtitutos, Dialem Jovi, Martialem Marti, Quirinalem Romulo.*

Salios.] A *ſaliendo* dictos ipſa etymologia oſtendit. (noſter autem Martinus Salius ad verum Chriſtum ſalit.) ferebant autem tunicae pictae inſigne, & ſuper tunicam aeneum tegmen circumferentes ancilia ſcuta cum ſollenni cantu & tripudiis. MACH. Illos Herculis Sacerdotes fingit *Virgil.* VIII. Aen. verſ. 285.

Tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
Populeis ibant evincti tempora ramis.

Livius, a quo Noſter ſtat, Martis Gradivi facit. SCHOTT. *Almel.* ad *Quintil.* lib. I. Inſt. Orat. cap. X. p. 107.

Martis.] *Arcis* Codices quidam legunt. Sed fruſtra ſunt. SCHOTT.

Praeſul vocatur.] *Lucilius* de Saliorum exultationibus.

Praeſul ut amptruat, & inde volgus redamptruat olli.

ANNA.

Pontificem Maximum.] *Varro* lib. IV. de L. L. *Pontifices a ponte, nam ab iis ſublicius eſt factus primum & reſtitutus ſaepe.* non recte: tametſi & ita *Dionyſius* in Numa, ridetque *Plutarchus*. Pons enim ſublicius mere ligneus ab Anco primum Tiberi impoſitus. Idem *Halicarn.* lib. III. Atqui hic annos fere 30. poſt Numam imperium arripuit, a quo Pontifices creatos hic diſerte affirmat, aliique uno ore omnes. Quanto rectius Qu. Scaevola Pontifex Maximus a *poſſe* & *facere* deducit,

ut

Portas Jano gemino aedificavit. Annum in XII. menſes diſtribuit, 2 additis Januario & Februario. Leges quoque plures & utiles [tulit.] omnia, [quae gerebat,] juſſu Egeriae nymphae, conjugis ſuae, ſe

ut *Pontifex* ſit quaſi *Potifex*, a potis & facio. quo & *Lucanus* alluſit lib. 1.

Pontifices, ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas.

Facere enim ſacrificare eſt. SCHOTT. *Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quae templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumtus pecunia erogaretur. Livius* lib. 1. *Pontifex*, quaſi *Potifex*, quia penes eum ſacrorum poteſtas. ANN.

Portas.] De *porta* Jani, quam Numa condidit, & ad finem vitae regnique clauſam habuit, *Plutarchus* in Numa, & de fortuna Romana, ubi πύλαν pro πύχνα *Scaliger* recte corrigit, item *Varro* lib. IV. de L. L. *Tertia*, inquit, *eſt Janualis, dicta ab Jano; & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & jus inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in Annalibus L. Piſo, ut ſit clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit.* &c. SCHOTT.

Jano gemino.] *Ovidius* primo Faſtorum:

Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.

MACH. *Jano geminio* Codex pariſinus pro *Jano gemino*, id eſt, bifronte. SCHOTT. Qui clauſus pacem, apertus bellum ſignificabat. Geminus a gemina facie, hac ortum, illa occidentem ſpectante. ANNA. *Jano geminas* eſt in H. & Leid. 2. nec melius quatuor hae voces: *portas Jano gemino aedificavit* non apparent in *Boend.*

Annos.] Non *annum* quidam. Nihil tamen muto. SCHOTT.

In duodecim menſes.] Nam prius a Romulo conſtitutus eſt decem tantum: de hac autem ordinatione a *Livio* & *Plutarcho* eliciendum. MACHAN. Hanc rem alii etiam tradunt Hiſtorici, ſed videtur in diverſa abire *Eutropius* lib. 1. cap. III. *Annum deſcripſit in X. menſes, prius ſine aliqua computatione confuſum.* Sed puto, locum mala interpunctatione laborare, & legendum eſſe: *A. deſcripſit, in decem menſes p.* &c. ut illud *in decem menſes* non ad priorem partem, ſed ad poſteriorem referatur. V. *Lindenbr.* ad *Cenſor.* de Die Nat. c. XX. & *Freinsh.* ad *Flor.* lib. 1, cap. II. ARNTZ.

Additis.] *Addito* quidam legunt. Nihil tamen muto. SCHOTT. Atque ita Cod. *Boend.* & *Mach.*

2 *Plurimas & utiles.*] Vet. Cod. *plures & utiles.* rectius. SCHOTT. Inde *Virgilius* de illo:

- - - Primus qui legibus Urbem
Fundabat, curibus parvis & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

ANNA. *Plures* amplectuntur uterque Leid. *Boend.* Fran. Haun. & antiquiſſimae Editt. quorum omnium conſenſui repugnare nefas duxi. Ignorabant ſcilicet Librarii, comparativum hunc ſaepe apud antiquos in uſu eſſe, ubi ſuperlativus videretur requiri. inf. de Caeſar. cap. III. §. 6. *Sapientium plures caruiſſe liberis utilius duxere.* & in Epit. cap. XLV. §. 9. *Saturitate, qua artus diffuderat, accidiſſe plures retulere. Livius* lib. XLII. c. LVIII. *Delecta plurium gentium auxilia.* Alia dabit Doct. *Scheff.* ad *Juſtinum* lib. XI. cap. XV. §. 5. ARNTZ.

Omnia quae gerebat.] Locus mutilus a nobis reſtitutus ope Veterum & MSS. librorum, quos religioſe ſequuti ſumus. SCHOTT. Favent quoque pro parte Noſtri.

Egeriae.] Scribebant recte, non *Aegeriae*, nam ab egerendo partu dictam monuit *Feſtus.* Graeci Scriptores nunc Ἡγερία, nunc Ἐγερία ſcribunt. SCHOTT. *Mire* (verba ſunt *Paganini Gaudentii* in Additam. Crit. cap. XXVIII. tom. III. Theſ. Jur.) *eandem vocat & uxorem & Nympham, quaſi Nymphae poſſint eſſe mortalium conjuges.* Nimia, ni fallor, erga Deos, ut illis erant temporibus, ſuperſtitio. Nam poſſe eſſe & fuiſſe etiam Nymphas Mortalium conjuges declarat *Ovidius* Epiſt. V. Her. verſ. 9. ubi Oenone Nympha Paridem alloquitur:

Nondum tantus eras, cum te contenta marito
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides, adſit reverentia vero,
Servus eras, Servo nubere Nympha tuli.

Neque debuerat Noſtrum prae ceteris reprehendere Vir doct. quod eandem & *Nympham* & *Uxorem* vocet, cum *Livius* aliique eam tantum *Conjugem* non *Nympham* appellent. Nam eadem Noſtro ſcribit *Auguſt.* lib. VII. de Civ. Dei cap. XXXV. *Igitur Nympham Egeriam Conjugem habuiſſe dicitur. Lactant.* lib. 1. Div. Inſt. cap. XXII. *Monitu Deae Conjugis ea ſacra populo ſe tradere. Ovid.* lib. III. Faſt. verſ. 261.

Nympha, mone nemori ſtagnoque operata Dianae,
Nympha, Numae Conjux, ad tua feſta veni.

Et eod. lib. verſ. 275.

Egeria eſt, quae praebet aquas, Dea grata Camoenis,

Illa

ſe facere ſimulans. Ob hanc tantam juſtitiam bellum ei nemo intulit. Morbo ſolutus in Janiculo ſepultus eſt, ubi poſt multos annos 3 arcula cum libris a Terentio quodam exarata, qui libri, quia leves quasdam ſacrorum cauſſas continebant, ex auctoritate Patrum cremati ſunt.

C A-

Illa Numae conjux conſiliumque fuit.
Martial. lib. VI. Epigr. XLVII.
Nympha mei Stellae quae fonte domeſtica puro
Laberis & domini gemmea tecta ſubis.
Sive Numae conjux Triviae te miſit ab antro.
Adde Schol. *Juven.* Sat. III. verſ. 17. ARNTZEN.

Nymphae.] Lympha quaſi nympha, per mutationem conſonantis. Sanctus *Auguſtinus* libro ſeptimo capite trigeſimo quinto de Civitate Dei, ait, fontem fuiſſe, ac Numam hydromantiae, id eſt, aquae divinationis peritiſſimum fuiſſe. MACHAN.

Conjugis.] MSS. *conjugis* pro *uxoris* legunt. SCHOTT. *Conjugis* quinque Scripti, & Ed. *Machan.*

Se facere ſimulans.] Nec primum fuiſſe Numam, nec ultimum, qui hujusmodi techna populum naſo duxerit, abunde oſtendimus in diſſertationibus noſtris *Livianis.* GRUT.

3 *Poſt multos annos.*] Poſt annos CCCCXC. ANN.

Arcula cum libris.] Illud paene praeterieram pro *arcula* Mediolanenſem longe optimum formis excuſum, quem *Jo. Livinejus* & *And. Papius* eruditiſſimi juvenes ad me miſerunt, *ſcrinia* habere. *Ita duo deinceps Reges*, inquit *Livius*, *alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt.* SCHOTT Imo duae lapideae *arcae* octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inventae ſunt. Literis Latinis Graecisque utraque *arca* inſcripta erat, in altera Numam Pompilium ſepultum eſſe, in altera libros Numae Pompilii ineſſe. Quae titulum ſepulti Regis habuerat, inanis inventa, ſine ullo veſtigio corporis humani, aut ullius rei; per tabem tot annorum omnibus abſumptis. In altera duo faſces candelis involutis, ſeptenos habuere libros, non integros modo, ſed recentiſſima ſpecie. Septem Latini de Jure Pontificio erant: ſeptem Graeci de diſciplina ſapientiae, quae illius aetatis eſſe potuit. Vide *Liv.* lib. XL. cap. XXIX. *Plin.* lib. XIII. cap. XIII. *Val. Max.* lib. I. cap. I. ANNA. *Fercula* Fran. Leid. 2. *Gram.* & Haun. *Scrinia* Lugd. 1. quod ſine dubio erit melius, ſi certum ſit, duas inventas arcas, ut plurimi volunt, praeſertim cum etiam vox ea huic rei ſit accommodatiſſima. *Scrinia* enim dicebantur loculi, in quibus acta Principum &c. adſervabantur. inf. de Caeſar. cap. XX. §. 34. & de quibusvis libris ex *Martiale* aliisque eſt notiſſimum. Sed cum hac in re *Livius* XL. XXIX. *arcae* vocabulum adhibeat, & alii de una tantum arcâ teſtentur nihil mutare volui. Ita certe *Plinius* lib. XIII. Hiſt. Nat. cap. XIII. & *Nonius* cap. III. V. *Scrobes.* ARNTZ.

A Terentio quodam.] Mire variant Libri veteres: alii *Terrentio* ſcribunt, alii *Tarentino*, ut praeter Pariſinum & Agrippinenſis codex habet. Qui ſummo conſenſu *extracta* legunt, quod non probo. Exſtat enim in lege Numae apud *Feſtum*, ut alibi monuimus Conſtat autem repertos libros in agro, dum paſtinaretur, L. Petilii Scribae ſub Janiculo. Vide *Livium* lib. XL. ab U. C. *Plinium* lib. XIII. cap. XIII. *Val. Max* lib. I. cap I. *Lactant.* lib. I. cap. XXII. Numero autem annum U. C. IↃLXXII *Goltzii* Faſtos ſecutus, nam P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo Coſſ. effoſſos *Plinius* & *Lactantius* prodidere. Itemque *Plutarch.* in Numa, paullo aliter, quam *Livius.* Meminit & hujus rei *Varro* Manio apud *Nonium* v. *Scrobs*: *Qui dum adminiſtrant in ſcrobe fodiendo invenerunt arcam.* SCHOTT. *Tarentio.* Haun. Codex.

Exarata.] MS. *extracta.* nihil muto. Significat enim arando effoſſam erutamque arcam. Sic in lege Numae apud *Feſtum*: *ſi quis terminum exaraſſet, ipſus & boves ſacri ſunto.* Utitur & *Cicero* II. de Legibus, *Plinius*, alii. Vide *Plinium* lib. XIII. cap. XI. & *Auguſt.* lib. XVII. cap. XXXIV. Civitatis Dei, ex *Varrone* lib. V. Rerum Romanarum. SCHOTT. *not. min.*

Leves.] Agrippinus codex *leges* pro *leves* praefert, non recte, niſi *cauſſas* redundare dicamus. Quid ſi *laevas*, id eſt, ſiniſtras? SCHOTT. Fruſtra, nam *leves* retinendum. Ideo autem cremati fuere, quia *leves* quaſdam, & futiles ſacrorum cauſſas continebant, quae ad diſſolvendas religiones facere poſſe videbantur. *Liv.* lib. XL. cap. XXIX. *Lectis rerum ſummis quum animadverſiſſet* (Q. Petilius praetor) *pleraque diſſolvendarum religionum eſſe, L. Petilio dixit ſeſe eos libros in ignem conjecturum eſſe.* ANNA.

Cremati ſunt.] Igne abolere libros pernicioſos,

uſitatum fuiſſe, non uni genti, non uni aevo; pluribus exemplis palam feci in Diſcurſibus meis Corpelianis, Libro IV. Annal. cap. XXXV. f. GRUT. Septem Latini tantum combuſti: ſeptem Graeci magna cura aſſervati: quippe de Diſciplina tantum Sapientiae tractabant. ANNA.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Rex creatur, Albanis bellum indicit, Albam diruit, Albanos Romam tranſire jubet, curiam conſtituit, Coelium urbi addit, fulmine icitur & conflagrat Tullus Hoſtilius tertius Romanorum Rex.

1 2 TUllus Hoſtilius, quia bonam operam adverſum Sabinos navaverat, Rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certa-

1 *Tullus Hoſtilius.*] Nepos erat, *Livio* teſte, ejus Hoſtilii, qui adverſus Sabinos naviter pugnando occubuit. MACHAN. *Tullius* duo Codices.

Bonam operam.] Niſi me animi fallit, lacuna ſubeſt, legendumque, *quia avus ejus bonam operam*, ut *Livius* ait: nam Tullum bene de R. P. Romana recens nata meritum eſſe legere non memini, & temporum ratio repugnat. de Hoſto Hoſtilio recordor. Et *Plinius* lib. XVI. cap. IV. Romulum frondea coronaſſe Hoſtum Hoſtilium ait, quod Fidenas primus irrupiſſet, qui avus Tulli Hoſtilii fuit. Verſatur & in eodem errore *L. Florus*, qui & alterum erratum addidit, ultro imperium eſſe adeptum, oblatumque, ut Numae, ſic enim ait: *cui in honorem virtutis regnum ultro datum.* Prius hic reſtitui poteſt, ut legas *virtutis avitae;* alterum excuſari non poteſt, etenim variant Libri MSS. SCHOTT. Futuram heic ἀνυποστασίαν, niſi reponamus, *quia avus ejus bonam*, haud frivole adnotatum Viris doctis. GRUT. & SYLB. Optime Viris doctis annotatum hic legendum, *quia avus ejus bonam* &c. Neque enim de Tullo Hoſtilio loqui poteſt *Victor*, ſed de Avo ejus Hoſto Hoſtilio, qui contra Sabinos fortiſſime dimicans cecidit. *Liv.* lib. I. cap. XXII. *Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum Hoſtilium Nepotem Hoſtilii, cujus in infima arce clara pugna adverſus Sabinos fuerat, regem populus juſſit.* ANNA. Errorem hunc ad *Florum* lib. I. cap. III. §. I. etiam notarat *Freinshemius.* Nec tamen quidquam mutavi, praeſertim cum nihil mutent Codices, niſi quod duo pro *quia* legant *qui.* Non enim noſtrum eſt, invitis Codicibus, Scriptorum errores tollere, qui & ipſi fuerunt homines.

Navaverat.] *Naverat* Mediolanenſis legit. SCHOTT.

Indixit.] De *indicendo* bello Hiſtoricos evolve, uti praeferrata haſta in fines hoſtium mittebatur. MACH.

2 *Trigeminorum.*] Horatiorum Romanorum & Curiatiorum Albanorum, qui ſingulari certamine pugnarunt, ita ut Albani Romanis ſuccubuerint. MACH. Mediolanenſis legit *tergeminorum.* Nihil intereſt. Verum quomodo gemini & trigemini naſcantur vide variorum Philoſophorum ſententias apud *Plutarchum* de Placitis Phil. lib. V. cap. V. Lex de Trigeminis a Tullo lata his paene verbis concepta: *Nati trigemini, donicum puberes eſunt, de publico aluntor.* SCHOTT. *Tergeminorum* etiam Leid. I. Sed admittenda eſt aliqua inter haſce voces differentia, aliter, ac fecit *Schottus.* Vide de his diligentiſſime agentem Cl. *Duker.* ad *Flor.* lib. I. cap. III. §. 3. *Trigeminus* enim de uno partu editis, *tergeminus* de aliis rebus dicitur. Verum hac in parte non raro peccant Librarii, ut apud *Senec.* Oedipo verſ. 279.

Trigemina qua ſe ſpargit in campos via.

Sic editi, rectius Codex Traj. *tergemina:* qua voce utitur in Herc. Fur. verſ. 563. & Agam. verſ. 14. Et ſuſpectus mihi *Apulejus* lib. III. Met. p. 137. Ed. *Elmenh. Trigemino corpori Geryonis vel triplici formae Cerberi.* vellem *tergemini*, cum aperta ſit imitatio *Virgilii* lib. VII. Aen. verſ. 202. & *Lucret.* lib. V. verſ. 28. Similia peccata vide apud *Torren.* ad *Val. Max.* lib. IV. cap. VII. ex. 2. & *Gron.* ad *Livium* lib. XXII. cap. XII. Editur

certamine finivit. Albam propter perfidiam ducis Metii Fufetii diruit. Albanos Romam tranſire juſſit. Curiam Hoſtiliam conſtituit. 3 Montem Coelium urbi addidit. Et dum Numam Pompilium ſacrificiis imitatur, Jovi Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagravit. 4

tur tamen hodie apud *Oroſium* lib. II. cap. IV. *Compendioſa Tergeminorum congreſſione*. Quamvis fortaſſe non ita ſit in omnibus Scriptis. ut & apud *Auguſt.* de Civ. Dei lib. III. cap. XIV. & in l. 3. ff. Si pars Hered. pet. quam legem pluribus illuſtrat exponendis legibus unice natus *Bynkersh.* lib. III. Obſ. cap. VIII. qui in hac hiſtoria omnino conferri meretur. ARNTZ.

Certamine.] *Certatione* perpetuo MSS. & typis excuſi paullo antiquiores: quod neſcio quomodo magis arridet, quam *certamine*, quod numeros poëticos ſonat. Haec videntur perturbata *Johanni Grejonio* eruditiſſimo viro, itaque e *Livio* concipienda: *certamine finivit: nam cum apud Romanos Horatii, apud Albanos trigemini eſſent Curiatii, ducibus Hoſtilio & Fufetio placuit*, &c. usque ad finem capitis, *in diverſa diſtractus eſt. Albam propter perfidiam ducis Metii diruit. Albanos*, &c. *cum regia conflagravit.* Lector arbitrabitur. SCHOTTUS. *Certatione* etiam eſt in Lugd. 2. & Ant. Edit. reliqui Scripti & Editi *certamine*, quod mihi quidem magis placet. *Certamine* etiam edidit *Schottus*, ſed hoc princeps mutavit Editio Gaesb., quae etiam poſt vocem finivit contra omnes Manuſc. & Editt. voculam & intruſit, eamque retinuit more ſuo *Pitiſcus*, nimis uterque de ſuo liberalis.

Perfidiam.] *Proditionem* habet Pariſinus & Agrippinenſis. Sed quae iſthaec commutandi audacia? veterem ſcripturam retineo: *Varro* de Vita Pop. Rom. lib. I. *Metium Fufetium propter perfidiam interfecit paene imperioſius quam humanius. Nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum diſtraxit. Ovidius* lib. I. Triſt. Eleg. III.

Sic doluit Metius, tunc cum in contraria verſos
Ulores habuit proditionis equos.

Atque huc reſpexiſſe in Ibin exiſtimo:

Vel tua, ne poenae genus hoc cognoverit unus,
Viſcera diverſis ſciſſa ferantur equis.

SCHOTT. *Gramnii* Cod. *proditionem.*

Metii Fufetii.] Qui in Bello Fidenati deſertor Romanorum, ut proditor a quadrigis laceratus fuit. MACH. *Metii Fufetii* ſcribo ex Faſtis Capitolinis, Graeca conſuetudine, & Mediolanenſi codice, tametſi MSS. varient. *Suffetii Manutius* ediderat, quem reliqui ſunt ſequuti. Metelli ſcriptus Codex *Metti Suffetti*, fortaſſis, quod veteres I longum ſcriberent, cum geminaretur, nam & *Curiatl* & *Horatl* iidem ſcribunt. SCHOTT. Primam hujus nominis litteram *F.* eſſe, non *S.* prolixe docet *Sigon.* Emendationum lib. I. cap. LII. SYLBURG. Nulli Codices in hac ſibi voce conſtant, & mire in omnibus Manuſc. turbatum. Non placet omnes Librariorum errores repetere, plerique *Suffetii* malunt. Sed *Fuffetii* vel *Fufetii* (quod malim) ſcribendum eſſe docuerunt Eruditiores. *Dausq.* Orthogr. part. II. p. 137. Cl. *Duker.* ad *Flor.* lib. I. cap. III. §. 8. Doct. *Torren.* ad *Val. Max.* lib. VII. cap. IV. ex. I. & *Fabric.* ad *Oroſium* lib. II. cap. IV. ARNTZ.

3 *Albanos Romam tranſire.*] *Flor.* lib. I. cap. III. *Albamque ipſam, quamvis parentem, aemulam tamen diruit, quum prius omnes opes urbis, ipſumque populum Romam tranſtuliſſet.* ANNA.

Curiam Hoſtiliam.] Templum erat, ubi Senatus ab eo Rege auctus congregabatur. MACH. *Varr.* lib. IV. de L. L. *Curia duorum generum. Nam & ubi curarent ſacerdotes res divinas; ut Curiae Veteres: & ubi Senatus humanas; ut Curia Hoſtilia, quod primus aedificavit Hoſtilius Rex. Ante hanc roſtra*, &c. ANNA.

Montem Coelium.] Alii *Caelium*: & abſque diphthongo MSS. noſtri. Vetus tamen inſcriptio Lugdunenſis eam agnoſcit, quam in Servio Tullio expreſſimus. Verum haec de monte *Coelio*, Anco Marcio *Strabo* tribuit: Tarquinio Priſco *Corn. Tacitus* Annali IV. *Livius* a nobis ſtat. SCHOTT.

4 *Dum Numam Pompilium.*] *Liv.* lib. I. cap. XXXI. *Ipſum Regem tradunt, volventem commentarios Numae, quum ibi quaedam occulta ſollennia ſacrificia Jovi Elicio facta invenieſſet, operatum his ſacris ſe abdidiſſe: Sed non rite initum aut curatum id ſacrum eſſe; nec ſolum nullam ei oblatam coeleſtium ſpeciem, ſed ira Jovis, ſollicitati prava religione, fulmine ictum cum domo conflagraſſe.* ANNA.

Sacrificiis.] *Sacrificii* Pariſinus, antique. SCHOTTUS.

Jovi Elicio.] Jupiter *Elicius* ab *eliciendo* dictus, quia occultis ſacris ratio eliciebatur ab eo fulminum mittendorum, cujus aram Romae erectam ſcimus in Aventino. MACH. Ab *eliciendo* dictum *Livius* & *Ovidius* III. Faſtorum exiſtimant: quamquam a Graeca voce homo Graecus *Plutarchus* ἰλάσιον. i. *propitio* derivet. Non diſſimulabo

in veteribus noſtris ſchidis *Delicio* legi, in Agrippinenſi *Cilicio*. De Jove autem *Elicio Varro* lib. v. extremo, & *Arnobius* lib. v. initio. Graecis καταβάτης dictus. *Pollux* lib. IX. & *Turn.* lib. XXV. cap. XIV. Adverſariorum. SCHOTT. B. F. Lugd. 2. & H. *Delitio* vel *Delicio*, vitioſe. Vid. *Godel.* ad *Liv.* lib 1. cap. XX. & Cel. *Burm.* de Jove Fulgur. cap. IX.

Fulmine ictus.] Recte *Sigonius* hic *Livium* emendat, qui Hoſtilio extremo *ipſum* pro *ictum* habet contra fidem veterum. Adſcripſit & ſimiles loquendi formas ex *Livio* lib. XXXIV. *Lactant.* lib. III. & *Cicerone* II. Offic. Pro *regia*, ut ante, *curia* in iisdem eſt MSS. qui, ut hoc caput in plura diducerem, auctores exſtitere, & certe ſejungenda eſſe res ipſa loquitur, neque enim particulis cohaerent, & titulus ita monebat, quem ſaepe inſpiciendum ſuadet *Plinius* junior: ſunt enim & Viri illuſtres, tametſi capita nunc plura excurrant. SCHOTT.

ARGUMENTUM.

Rem paucorum certatione finituri concurrunt trigemini Horatii & Curiatii. Fugam duobus Horatiis caeſis ſimulat, Curiatios vulneratos inſequentes ſingulos interficit, ſororem ſponſi paludamento viſo flentem occidit, apud duumviros condemnatur, ad populum provocat, patriis lacrymis condonatur, & expiatur Horatius.

5 QUum inter Romanos & Albanos bellum fuiſſet exortum, ducibus Hoſtilio & Fufetio, placuit rem paucorum certamine finire. 6 Erant apud Romanos trigemini Horatii, tres apud Albanos Curiatii, quibus foedere icto concurrentibus, ſtatim duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati. Unus Horatius quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam ſimulavit, & ſingulos per intervalla, ut

5 *Hoſtilio.*] Tullo *Hoſtilio* Romanorum Rege. ANNA.

Fufetio] *Metio Fufetio* Albanorum duce. ANN.

6 *Erant apud Romanos.*] *Livius* lib. I. c. XXIV. *Horatios Curiatiosque fuiſſe ſatis conſtat, nec ferme res antiqua alia eſt nobilior. Tamen in re tam clara nominum error manet; utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. auctores utroque trahunt: Plures tamen invenio qui Romanos Horatios vocent. Hos ut ſequar inclinat animus.* ANNA.

Foedere icto.] Reponit *foedere inito* Cod. Haun. melior tamen lectio loco movenda non eſt, quam ceteri Codices & ipſa Antiquitas tuentur. *Livius* lib. XXIII. cap. XXXIV. *In has fere leges inter Poenum Ducem Legatosque Macedonum ictum foedus. Lucan.* lib. X verſ. 371.

- - - Perque idtum ſanguine Magni
Foedus, ades.

Seneca in Phoen. verſ 282.

Jus ille & icti foederis teſtes Deos
Invocat.

Florus lib. III. cap. V. §. 12. *Ictum cum Ponticis foedus.* Vide inf. cap. XXX. & *Gudium* ad *Phaedr.* lib. I. fab. XXXI. ARNTZ.

Ceciderunt.] Agrippinenſe exemplum *ceciderant* legit. SCHOTT. *Occiderunt.* pr. Leid.

7 *Horatius.*] *Oratius* perpetuo ſine ſpiritu Agrippinenſe exemplum. SCHOTT. Quo modo ex noſtris G. B. & Leid. 2.

Singulos per intervalla.] Hinc intelligendus *Florus* lib. I. cap. III. *Qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut diſtraheret hoſtem, ſimulat fugam, ſingulosque, prout ſequi poterant, adortus exſuperat.* Idem *Livius* infra §. 7. ANNA.

Ut vulnerum erat dolor, interfecit.] Mendum haud dubie latet. Repoſui igitur conſentientibus Scriptis omnibus vocem hactenus exſulantem, quomodo plenior & concinnior lectio eſt: *ut vulnerum dolor patiebatur, inſequentes interfecit.* Vox una alteram ſua ſede deturbavit, quod utraque ab eadem praepoſitione inchoaretur; & vero τὸ *inſequentes* omnino ad ſenſum facit. *Livius* denique, unde haec tralata ſunt, iisdem paene verbis: *Ergo, ut ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugam ita ratus ſequuturos, ut quodque vulnere affectum corpus ſineret.* SCHOTT. A quo tamen in diverſa abeunt omnes Noſtri, qui retinent: *ut vulnerum erat dolor. Et vulnerum dolores int.* Edit. Ant.

Ut

ut vulnerum dolor patiebatur, insequentes interfecit. Et cum spo- 8
liis onustus rediret, sororem obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere coepit. Frater eam occidit. Qua re apud Duumviros condemnatus, ad populum provo- 9
cavit, ubi patris lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub tigil-

Ut tamen sensus huic loco constaret, *Schottum* sum secutus. Simili modo *Dict. Cret.* de Bell. Troj. lib. II. cap. I. *Uti quisque fugientem comprehenderat, obtruncare.* & cap. II. *Dein uti quisquis in manus venerat interficitur. Dolor vulnerum* est, qui ex vulneribus oriebatur. *Eumenii* Paneg Const Caes. cap. XVI. §. 4. *In diversos situs tracta, sicuti dolorem vulnerum fuerant secuta, jacuerunt. Just.* lib. XXIV. cap. VIII. §. II. *Cum dolorem vulnerum ferre non posset.*

Paludamento.] *Paludamentum* vestis Imperatoria colore croceo, interdum etiam albo, cujus duo extrema longitudinis utrinque angusta erant imis latioribus. Aliquando etiam *paludamentum* milites gerebant. *Sallustius.* ANNA.

Sponsi sui.] Ita etiam *Florus* lib. I. cap. III. §. 5 *Valer. Maximus* lib. VI. cap. III. ex. 6. *Sponsum* vocat & *futurum Virum.* Atque ita alii. Boend. tamen & Cod. Haun. habent *Viri sui*, quomodo non dissimiliter *Augustin.* lib. III. de Civ. Dei cap. XIV. *Quem Virum jam fide media retinebat.* In prioribus *sponsum* dixerat. Solent quidem praesertim poëtae nonnunquam ita loqui, ut *Virum* seu *Maritum* appellent, ubi tantum sponsalia intercesserunt. Quomodo *Virgilius* lib. IV. Aen. vers. 536.

Quos ego sum toties jam dedignata Maritos.

Ubi vide *Servium* & *Emmen.* Erud. *Pricaeum* ad Euang. *Matth.* cap. I. §. 16. Eleg. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. II. El. II. vers. II. & *Schast.* inf. ad Epit. cap. X. §. 4. Verum non existimo, *Aurelium* in hac voce quaesisse eleganriam, neque etiam in historica narratione hoc fieri debet, ut vocabula a communi notione detorta adhibeantur, nisi ex subjecta materia pateat, quid dicere voluerit Scriptor. ARNTZ.

9 *Quare.*] Vel *Qua re*, Libri omnes MSS. quod probo. Non itaque *Qui.* SCHOTT. Id est, qua de causa. Sic multae Editiones apud *Corn Nepot.* Them. cap. VI. §. 2. *Causam idoneam nacti propter excursiones Barbarorum, qua re negarent.* Alii illud *re* ejiciunt, fortasse, quoniam *causam* praecedat, quod tamen turbare non potest. Vid. *Gronov.* ad *Gellium* lib. IV. cap. I. *Douzae* Praec. in *Tibull.* cap. X *Gudius* ad *Phaedr.* lib. I. fab. XI. & Cl. *Burm.* ad lib. IV. fab. IX. *Gipban.* Obs. L. L. p. m. 31. & Erud. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. LII. §. 7. Quatuor Codd. pro *qua re* hic legunt *quo*

Duumviros.] Subaudi capitalium rerum. MACHAN. Quos ea causa tunc primum Tullus creavit. ANNA.

Condemnatus.] Condemnatus Horatius parricidii est, ut *Festus* ait: vel caedis reus fuit, ut *Halicarnasseus*, non perduellionis, ut *Patavinus*: quem multi ingeniose excusant, *Turnebus* lib. XVII. cap. VII. & cap. XXIV. Advers. *Jacobus Raevardus* ad leges XII. cap. XXVII. & *Paullus Manutius* lib. de Legibus. *Sigonius* lib. III. de Judiciis cap. IV. Et vero *Ulpianus* ad l. Jul. Mai: *perduellionis reum appellat, qui hostili animo adversus R. P. vel principem animatur. Catellianus Cotta* vir doctissimus perduellionis reos dictos putat, quia a duorum judicio judicabantur hi, qui majora crimina perpetrabant. Quod Horatii nostri demonstratur exemplo, qui ad II. Viros ea causa primum creatos a Rege remittitur, a quibus rursus provocare licebat. declarat hoc *Cicero* oratione pro Rabirio perduellionis reo. SCHOTT. Hac de re videndus *Franc. Ramos* Err. *Trib.* de Poenis Parr l. IV. p. 115. & aliis locis eodem libro. *Ranchini* Var. Lect. lib. I. cap. VIII. & *Sigon.* de J. C. R. lib. I. cap. XX.

Populum provocavit.] Sine praepositione habent Libri MSS. sed haud scio an ferri debeat. Certe in Poplicola, *ad populum* diserte ait. *Cicero* I. de Republ. apud *Senecam* lib. XIX. Epist. provocationem ait ad populum etiam a Regibus fuisse. SCHOTT.

Patris lacrymis.] Venustius Mediolanensis *patriis.* SCHOTT. Eorum, quibus veniam delictorum impetrarunt sui *parentes*, exempla multa cumulavi ad illa *Taciti* lib. XVI. Annal. c. XXXIII. *Montanus patri concessus est* GRUT. *Patris* malunt nostri Codices, quod ego quidem praetulerim. *Livius* lib. I. cap. XXVI. *Non tulit populus nec Patris lacrymas.* & lib. XXIII. cap. VIII. *Victus Patris precibus lacrymisque. Ovidius* Rem. Am. vers. 689.

Neve Puellarum lacrymis moveare caveto.

Quamvis & alterum posset admitti, si addicerent Codices. *Propertius* lib. IV. El XI. vers. 57.

Maternis laudor lacrymis urbisque querelis.

Valer. Flacc. lib. I. Arg. 341.

tigillum missus, quod nunc quoque viae suppositum, Sororium appellatur.

Sed Patriae valuêre preces.

Seneca lib. II. de Clem. cap. VI. *Donabit lacrymis maternis filium, & catenas solvi jubebit.* Quo loco, uti & hic notanda elegantia est locutionis *donare* seu *condonare alicui*, pro, *alicujus caussa veniam dare. Solinus* Polyh. cap. 1. sub fin. *Donatus filiae in memoriam tanti praeconii reservatus est. Caesar* lib. I. Bell. Gall. cap. XX. §. 5. *Reip. injuriam & suum dolorem ejus voluntati ac precibus condonet. Livius* lib. III. cap. LVIII. *Unum tot Claudiis deprecantibus condonaret.* Confer Cel. *Gron.* lib. IV. de Pec. Vet. cap. IX. p. 320. & ad *Senecam* Phoen. vers. 232. *Munckerum* Epist. ad *Heinsi.* tom. V. Syll. *Burm.* Ep. CCCLVIII. & Comment. ad *Sil. Ital.* lib. XV. vers. 603. ARNTZEN.

Ab eo.] *Liv.* I. XXVI. *Ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, filium expiaret pecunia publica. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub jugum, misit juvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet: sororium tigillum vocant.* ANNA.

Expiandi.] Nota passive positum, ut apud *Virgilium*, *Penuria edendi.* ANNA.

Tigillum.] Jugum erat, scribente *Dionysio*, quo duo *tigilla* recta defigebant, & tertium super duobus illis transversum imponebant. Sub illo capite adoperto, velut sub jugo juvenem misit: ut a caede sororia expiaretur. MACH. *Consecratisque ibi aris Junoni Sororiae & Jano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est, auguriis approbantibus. Ex quo sororium id tigillum est appellatum. Festus.* In regione IV. ponit *P. Victor.* ANNA.

Suppositum.] Apographon *Pulmanni suprapositum* praefert. Nihil tamen demuto, judicent Aristarchi. SCHOTT. Rectius *viae superpositum*, ut *Dionys. Hal.* 160, 8. Τοῖς ἐξύσοις ὑπὲρ κεφαλῆς, *super capite intrantibus & exeuntibus.* SYLBURG. Lege *superpositum*, ratio & auctoritas probant. ANNA. *Subsitum* Lugd. alter. *Val. Max.* lib. IX. cap. II. ex. ext. 6. *Suppositoque tigno prominente.* Ubi *superposito* multi Codd. Quam mutationem & hoc loco sensus requirit, sed nihil in textu facile novare soleo contra MSS.

ARGUMENTUM.

Vejentes & Fidenates adversum Romanos incitat, belli fortunam sequuturus aciem in collem subducit, quadrigis religatur, & in diversa distrahitur Metius Fufetius.

10 Metius Fufetius Dux Albanorum, cum se invidiosum apud cives videret, quod bellum sola trigeminorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Vejentes & Fidenates adversum Romanos incitavit. 11 Ipse ab Tullo in auxilium arcessitus, aciem in collem subduxit, ut for-

10 *Ut rem corrigeret.*] Abest a Libris nostris antiquis. SCHOTT. *Ut re corrig.* Leid. 2. in ceteris nulla est varietas, nisi quod Fran. & pro *ut* habeat.

11 *Ipse ab Tullo in auxilium.*] Ex foedere, quod cum Albanis ictum fuerat, cum trigemini pugnavere. Hinc *Florus* lib. I. cap. III. *Nec diu in fide Albanus, nam Fidenate bello missi in auxilium ex foedere, medii inter duos expectavere fortunam.* ANNA.

Arcessitus.] Scripsi ex MSC. meo, & est ab *arcio* deflexum, quod *accio* antiquitus significabat, teste *Priscian.* *Diomedes* vero lib. I. cap. IV. ab *arceo* deducit, quod alium accusare a molestiis *arcere* sit. *Dionysius Lambinus* tamen non veretur Latinum esse negare, *Accerso* pro evoco, contra *Diomedem* lib. I. *Sosipatrem* lib. III. & *Scaurum* ceterosque litteratores antiquos. SCHOTT. *Accersitus* quinque MSS. sed vel pueris nota est haec scripturae varietas, cum Eruditiores receptam facile adprobabunt. Ex multis Vide *Munckerum* ad *Hyg.* fab. LXXXVIII. Vir. doct. ad *Val. Max.* lib. II. cap. III. ex. 2. & Erud. *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XL.

For-

fortunam ſequeretur. Qua re Tullus intellecta, magna voce ait, 12
ſuo illud juſſu Metium facere. Qua re hoſtes territi & victi ſunt.
Poſtera die Metius, cum ad gratulandum Tullo veniſſet, juſſu ipſius 13
quadrigis religatus, & in diverſa diſtractus eſt.

Fortunam.] *Fortunam (belli experiretur ac) ſequeretur*, parentheſi incluſa redundant ex libris omnibus Manuſc. Pariſienſi & Colonienſi. Nec dubito, quin aliunde inculcata ſint. *Livius* enim totidem paene verbis: *Conſilium*, inquit, *erat, qua Fortuna rem daret ea inclinare Vires.* & *L. Florus: Albani medii inter duos exſpectavere fortunam.* SCHOTT. & SYLB. Plane redundant, ideoque expungantur, Manuſcriptis volentibus quos conſuluit *Schottus*, item Palatinis noſtris duobus, quorum alter deſtituitur praeterea illo *belli*. GRUT. & ANNA. Neque noſtri Scripti, neque Antiqua Editio agnoſcunt has voces: *belli experiretur ac.* Quare *Victori* obtrudere noluimus id, quod omnes MSS. ejus eſſe negarent.

12 *Magna voce ait.*] Scilicet ut ſuorum animos tolleret. ANNA.

Qua re.] Forte, *Eaque re.* SCHOTT.

Et victi.] Pro *victique* MSS. *& victi ſunt.* Mediolanenſis: *victi & territi ſunt.* SCHOTT. Quomodo etiam in quinque noſtris. *Victi & territi* Ed. *Mach.*

13 *Poſtera.*] Haec Paragrap. non apparet in Fran.

Juſſu.] Mediol. *Juſſu ejus.* ſed haec non ſunt tanti. Simile de Datami & Mithribarzane ſtratagema eſt apud *Corn. Nepotem*, *Frontinum* lib. II. cap. VII. *Polyaenum* lib. VII. *Diodorum Siculum* lib. XV. qui tamen diverſe narrant omnes. SCHOTT.

Quadrigis.] Duabus admotis *quadrigis*, in currus earum illigatum Metium, equis in diverſum concitatis diſtraxit. ANNA.

Diſtractus.] *Varro* de Vita Populi Romani lib. I. *Metium Fuſetium propter perfidiam interfecit paene imperioſius quam humanius: Nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum diſtraxit. Virg.* VI. Aeneid. *Turbatis diſtraxit equis*, &c. SCHOTT. Ad hunc locum, ubi agitur de favore, qui ſe fortuna partium vel huc vel illuc inclinat, non incommode addi poſſunt haec *Claudiani* Bell. Gild. verſ. 249.

Reſtitit in ſpeculis fati, turbaque reductus
Librauit geminas eventu judice vires
Ad rerum momenta cliens, ſeſeque daturus
Victori: Fortuna ſimul cum marte pependit.
Et ſi non cupidis eſſem praereptus ab aſtris
Exemplum ſequerer Tulli, laniandaque dumis
Impia diverſis raptarem membra quadrigis.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Latinos bello domat, urbi montes addit, oppido moenia circumdat, ſilvas publicat, vectigal inſtituit, carcerem aedificat, Oſtiam coloniam deducit, jus feciale Romam transfert, & immatura morte praeripitur Ancus Martius quartus Romanorum Rex.

ANCUS

1 Ancus Marcius Numae Pompilii ex filia nepos, aequitate &
2 religione avo ſimilis, Latinos bello domuit. Aventinum & Janiculum montes urbi addidit. Nova moenia oppido circumdedit. Silvas

1 *Ancus.*] *Cneus* male ſcribitur in quibusdam Libris. *Ancus* enim dictus ἀπὸ τῦ ἀγκῶνος. i. incurvo cubito. *Servius* in Aeneid. VI. Natus autem error, quod initio capitum litera prima omitti ſolet, vacuumque ſpatium habere, in quo minio depingi poſſet: hinc & c in ſecundam vocalem affinem commigravit, ut vocem literis daret. SCHOTT.

Marcius.] Per c non per Tau ſcribi plurimi ante me jampridem docuerunt. SCHOTT. Scribit etiam *Martius* Boend. ſed male. Vide *Sigon.* ad *Livium* lib. I. cap. XXXII. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. VI. verſ. 403. & lib. XIII. verſ. 700. & *Torren.* ad *Val. Max.* lib. IV. cap. III. ex. 4.

Pompilii.] In MSS. quibusdam *Pomponii*, in aliis *Pomponis* eſt. Apud *Senecam* XIX. lib. Epiſtolarum exſtat illud *Ciceron.* de Repub. I. *Duos Romanos Reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur: Anci pater, Marcius Numae nepos dicitur. Andreas Patricius* lacunam haerere in his Tullii verbis putat, quam ſic replere conatur: *Anci pater etiam ignoratur, niſi quod is Rex Ancus Marcius Numae nepos dicitur.* Ex *Livio* lib. I. & *Plutarcho* initio Coriolani, ubi *Sigonius* & *Hottomannus* Graecam ſimiliter lectionem reſtituerunt. Haec igitur genealogia ex *Plutarcho* elicitur.

M. Marcius Sabinus Numae comes, dum Romam commigravit: ab eodem in Senatum lectus, & a Tullo Hoſtilio Rege III. de regno contendens victus mortem ſibi conſcivit. Hujus filius.

Numa Marcius, Numae gener, primus pontifex maximus ab eo factus, a Tullo Rege Urbi praefectus. *Corn. Tacitus* lib. V. Uxorem habuit Pompiliam, *Plutarchus* in Numa. Idem tamen diſerte in libello de Fortuna Romana ſorore Numae natum ait quartum a Romulo Regem. Ergo legendum eſſet *ex ſorore nepos.*

Ancus Marcius Rex IV. Numae Regis ex filia Pompilia nepos. SCHOTT. Vide omnino *Perizonii* Anim. Hiſt. cap. III. p. 157.

Ex filia.] *Plutarchus ex ſorore*, ſed *Livius*, *Florus* aliique, *ex filia.* ANNA.

2 *Aventinum & Janiculum.*] V. C. Metelli & Mediolanenſis addit, *& Murcium*, quamvis alter per *t* ſcripſerit. Agrippinenſis corrupte, *& Curſium*: quare addendum exiſtimo, auctore *Livio.* Suſpicari tamen ſubit ſcripſiſſe Auctorem *Murcium & Janiculum*, ut *Aventinum* collem intelligat, qui a Veneris Murciae ſacello nomen accepit. Quam conjecturam meam a *Sexto Pompejo* lib. XI. de Verborum Significatione comprobari, poſt magna voluptate legi. SCHOTT. Tres MSS. *Aventinum & Murtium*, quae lectio ſtare nequit, ſi verum eſt, quod *Feſtus Pompejus* tradit, *Aventinum* montem olim appellatum fuiſſe *Murcium*, & *Murciae* Deae ſacellum ſub Aventino. SYLB. *Aventinum & Murtium* legit Cod. *Grammii* & Franeq. *Aventinum & Marcium* ſeu *Martium* reliqui & Ant. Editio. Aliquid vitii latere ex varietate Librorum certum eſt, ſed quid, divinare non poſſum, niſi illud ipſum, quod jam occupavit *Schottus.* Interim Vulgata, quam profitentur editi, ex aliis etiam ſcriptoribus defenditur. *Eutropius* lib. I. cap. V. *Aventinum montem Civitati adjecit & Janiculum.* Plura *Nardinus* in Roma Vet. lib. I. cap. V. tom. IV. Theſ. *Graev.* ARNTZ.

Urbi.] In Pariſino vetuſtiſſimo Codice amplius eſt, *Romanae.* SCHOTT.

Nova moenia oppido.] Urbi nimirum quadratae a Romulo in Palatio exſtructae. *Ennius* apud *Feſtum.*

Et quis exſtiterat Romae regnare quadratae.

SCHOTT. Fruſtra equidem. Ancus Marcius muros,

vas ad uſum navium publicavit. Salinarum vectigal inſtituit. Carcerem primus aedificavit. Oſtiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit. 3 Jus Feciale, quo legati ad res repetendas uterentur, ab Aequiculis tranſtulit, quod primus fertur Rheſus excogitaſſe. 4 His rebus intra paucos dies confectis, 5 in-

muros, quos Romulus aratro deſignaverat, urbi circumduxit. ANNA.

Silvas.] Ut Meſiam, quam Vejentibus ademit. MACH.

Publicavit.] In *publicum* redegit, confiſcavit. ANNA.

Salina.] Taberna eſt ſalis. Salinator exigens vectigal ſalis, unde Livio cognomentum, ut mox dicetur: hinc Salaria via, ac ipſum Salarium. MACH. *Salinarium Vaſcoſanus* excudit. Vide *Plinium* libro XXXI. cap. VII. Sed hoc vectigal exactis Regibus ſublatum, auctor *Livius* lib. II. ab U. C. Plura infra cap. L. in *Selinatore*. SCHOTT. V. Cl. *Burmannum* de Vectig. cap. VI.

Carcerem.] *Carcer ad terrorem increſcentis audaciae media urbe, imminens foro, aedificatur. Livius.* ANNA.

3 *Oſtiam.*] Scribo absque ſpiritu. *Livius* enim: *Et in ore Tiberis Oſtia urbs condita*; & *Dionyſius* lib. III. dictam eſſe ait quaſi θύρην & mox veteres aliquot Libri. *In Oſtia Tiberis eduxit. Oſtiam Strabo* libro quinto Geographiae urbis Romae navale appellat, quo Tiberis erumpit eam praeterlabens. Ejus autem ſitum & Tiberis curſum ab urbe Roma usque in mare eleganter deſcribit *Procopius* lib. I. de Bello Gothico. SCHOTT. Cum adſpiratione tamen quinque Codd. & ſic editur in plerisque, etiam noviſſimis, *Juſtini* Editionibus lib. XXXIV. cap. III. §. 8. Sed vide *Dausq.* de Orthogr. part. II. pag. 224. Confer *Joan. Fred. Gron.* ad *Livium* lib. IX. cap. XIX. *Jac. Gron.* ad *Melam* lib. II. cap. IV. p. m. 179. & Cel. *Duker.* ad *Flor.* lib. I. cap. IV. in fine.

Coloniam.] Id eſt, novos habitatores in eam colendam miſit. MACH.

In oſtia.] *In oſtio* quinque Codd. uti in quibusdam Libris eſſe monet *Sylburg.* Solus vero *Grammii* Scriptus *eduxit*, quod etiam in aliis ſe reperiſſe teſtatur *Schottus*, qui tamen recte vulgatam praetulit. *Livius* lib. IV. cap. XI. *Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati*, & c. XLVII. *Cenſuit frequens coloniam Lavicos deducendam.* lib. VIII. cap. XXII. *Praeterquam quod Fregellas colonia deducta.* lib. X. cap. I. *Soram atque Albam coloniae deductae.* lib. XXXIV. cap. XLIV. *Coloniae Civium Romanorum eo anno deductae ſunt.* & lib. XXXIX. cap. XLIV. *Eodem anno coloniae duae deductae ſunt. Vell. Paterc.* lib. I. cap. XIV. *Deducta eſt colonia juſſu Senatus.* Supra Orig. Gent. Rom. cap. XVII. §. 6. & alibi. Eodem modo hae voces apud alios confunduntur. *Lipſius* ad *Tacit.* lib. IV. Hiſt. cap. LXV. *Gron.* ad *Livium* lib. XXXII. cap. XI. & ad *Quintil.* Decl. CCCXLVIII. p. 735. ARNTZ.

4 *Jus Feciale.*] De rebus repetundis belloque indicendo: ad Numam refert *Plutarchus* Camillo. SCHOTT. *Not. Min. Jus Feciale*, quo *Feciales* utebantur ad res repetundas & bellum indicendum. Cum enim bellum indicere volebant Romani, *Fecialis* ad fines eorum, unde res repetebantur, ibat, & inde res repetebat: quod ſi non dederentur, poſt tertium & trigeſimum diem, bellum indicebat & haſtam ferratam aut ſanguineam in fines eorum emittebat. Vide *Liv.* lib. I. cap. XXXII. ANNA.

Repetendas.] *Repetundas* audacter ſcripſi MSP. Librorum fidem conſenſumque ſequutus. SCHOTTUS. Sed Noſter non adeo antiquitatis ſtudioſus, & repugnant omnes Scripti.

Aequiculis.] Etiam audacter ſcripſi eorundem MSS. Librorum fidem ſequutus. SCHOTT. Quidam Libri, *Aequiculis*, more antiquo. Apud *Plinium Aequiculani* ſunt, apud alios *Aequi*, *Aequani*, & *Aecani*. Apud Graecos duplex tantum eſt diverſitas. *Diodoro* enim & *Ptolemaeo* ſunt Αἰκουλοί, *Dionyſio Hal.* Αἰκανοί. SY[illegible] *Aequiculi* in Latio, qui *Aequi* etiam dicti ſunt. *Antiquam gentem* vocat *Livius*. ANNA.

Tranſtulit.] Uſitatiſſima res Romanis, aliorum bona imitari. unde de eis *Polybius* libro VI. cap. XXIII. f. Ἀγαθοὶ γὰρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μιμηταὶ βοῦν ἴδιοι, καὶ ζηλωταὶ τὸ βέλτιον Ῥωμαῖοι. de quo more non pauca nobis dicta ad illa Claudii Imp. apud *Tacitum* lib. XI. cap. XXIV. *Majores mei bortantur, ut paribus conſiliis Rempublicam capeſſam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit.* GRUT.

Primus.] *Prius* tres Codices. *primo* Ant. Ed. perperam. *Val. Max.* Epit. de Nom. Rat. p. 876. *Qui primus jus Feciale inſtituit.*

Rheſus.] *Rheſum* ex *Metelli* archetypo appello,

inmatura morte praereptus, non potuit praestare, qualem promiserat Regem.

quem vulgati *Hesum*. *Titius Probus*, vel potius *Julius Paris* in Epitoma *Valerii* de Praenominibus *Sertorem Resium* nuncupat. Periculosa imprimis in peregrinis nominibus conjectura, quia incerta: idcirco MSS. Codices nostros sequor, dum certiora adservantur. Nec enim me fugit, quo in numero Auctor ille esse debeat. SCHOTT. *Rhesus* temporibus trojanis. Sed nescio unde haec Noster. *Rhesus* Strymonis fluvii & Terpsichorae Musae filius fuit. Vulgati habent *Hesus*. ANNA. *Hessus* Cod. G. & F. *Hesus* B. & Lugd. sec. *Hexus* H. *Bessus* Leid. 1. Sed quis in tantis Antiquitatis tenebris verum eruet? Vulnus agnovit, sed Medicinam non adtulit *Pighius* tom. 1. Ann. p. 30. neque ego ullam medendi rationem perspicio, nisi quod hoc mihi certum sit, non respicere Nostrum tempora Trojanorum, is enim Rhesus ad Trojam periit, neque illi quidquam negotii cum Aequicolis fuit. Laret sine dubio nomen Principis seu Regis illius Gentis, a qua haec jura esse translata prodit quoque *Servius* ad *Virg*. lib. x. Aen. vers. 14. ARNTZ.

5 *Paucos dies*.] *Annos* potius. *Ennius*:

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.

Idem 11. Annal. de Ostia colonia, apud *Festum* in *Quaeso*. SCHOTT.

Praereptus.] *Peremtus* est in *Boend*. *praeceptus* in Lugd. sec. quod monuit etiam Erud. *Oudend*. ad *Lucanum* lib. 11. vers. 106. *Curtius* lib. 1x. cap. v1. §. 26. *Si me praeceperit fatum, vos mandasse mementote*. Sed a consensu reliquorum Codicum & Editt. non recedo. *Rapere* siquidem & *praeripere* recte dicitur mors. *Val. Flaccus*. lib. v1. vers. 570.

Inmeritur primaevus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta Patri) brevibus praereptus in annis.

Orosius lib. v. cap. x1x. prope fin. *In exordio Consularis Imperii sera tandem morte praereptus est*. *Martial*. lib. v1. Epigr. L11.

Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis.

Et lib. x. Epig. L111. *Seneca* in Oedipo vers. 125.

Labimur saevo rapiente fato.

Vell. Paterc. lib. 11. cap. CV11. §. 3. *Fatorum iniquitas Consulem agentem annum tricesimum rapuit*. *Plinius* lib. 1x. Epist. 1x. *Illam, qua est raptus, aetatem posse restitui*. *Suet*. Calig. cap. v11. *Infantes adhuc rapti*. *Justinus* lib. v11. cap. 11. §. 5. *Qui inmatura morte raptus*. Catal. *Pithoei*. p. 114.

Florus ego hic jaceo, raptus bigarius infans.

Similiter *Horatius* lib. 11. Od. x111. vers. 20. & Od. xv11. vers. 5. *Augustin*. lib. 1. de Civ. Dei cap. xxv111. & *Cerda* ad *Virg*. lib. v1. Aen. vers. 428. *Lactant*. lib. 111. Div. Inst. cap. xv11. *Alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi*. Quam facile autem *praereptus* & *praeceptus* confundantur patet ex notis *Heinsi*. & *Burm*. ad *Val*. *Flacc*. lib. 111. vers. 543. *Davisii* ad *Caesar*. lib. 111. B. Civ. 1. fine. *Heinsi*. ad *Sil. Ital*. lib. 1v. vers. 804. Cl. *Dukeri* ad *Flor*. lib. 1v. cap. x11. §. 50. & Cel. *Burm*. ad *Ovid*. lib. 1. Am. El. 11. vers. 7. & lib. 1v. Fast. vers. 940. ARNTZ.

Praestare Regem.] Parisinus, nisi mendosus Codex est, *patrare* habet, quod an recte habeat, aliorum esto judicium. SCHOTT.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

In Etruriam commigrat, Romam petit, regnum, quod aquila portenderat, intercipit, Patres legit, equitum centurias duplicat, bello Latinos domat, circum aedificat, ludos instituit, de Sabinis & Latinis triumphat, Urbi murum circumdat, filium praetexta & bulla donat, ab Anci liberis interficitur Lucius Tarquinius Priscus quintus Romanorum Rex.

1 Lucius Tarquinius Priscus, Damarati Corinthii filius, ejus, qui
2 Cypseli tyrannidem fugiens, in Etruriam commigravit. Ipse Lu-

Lucumo dictus, urbe Tarquiniis profectus Romam petiit. Adveni-3
enti aquila pileum ſuſtulit, &, cum alte ſubvolaſſet, repoſuit. Ta-4
naquil conjux, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit.
Tar-

1 *Lucius Tarquinius.*] Tarquinius profugus ſuaſu uxoris primo Romam migravit. MACH.

Graeci Damarati filius, Corinthi tyrannidem fugiens.] Haec ea lectio, quam *Colinaeus* & *Aldus* ipſe in vulgus ediderunt. *Vaſcoſanus* melius, *Demarathi Corinthii filius tyrannidem fugiens.* Nondum vere tamen. MSS. nos ad germanam lectionem manu duxerunt, *Demarati Corinthii filius ejus qui Cypſeli tyrannidem fugiens.* A quibus Pariſinus nihil evariat, niſi quod *Damarati* rectius ſcribat. Mediolanenſis non admodum diverſus abit: *Demarati filius qui Corintho tyrannidem fugiens.* Labor igitur ut *Lucumo*, & *Graeci* ex ora in contextum importune irrepſiſſe certe credam. nam mox ait Lucumonem dictum: & ſi Corinthii filius, ergo & Graeci: niſi forte in Africam terrae motu Corinthus tralata eſt: *Livius* nobiſcum facit: *Damarati*, inquit, *Corinthii filius erat, qui ob ſeditiones domo profugus*, &c. Et *Plinius* lib. XXXV. cap. III. unde quidam falſo *Nepotem Cornelium* hujus libelli auctorem facere conantur, ut alibi admonui. *Cleophantum*, inquit, *Corinthium tradit Cornelius Nepos ſequutum in Italiam Damaratum Tarquinii Romani Regis patrem, fugientem a Corintho injurias Cypſeli tyranni.* Vulgata ſane lectio ferri non poteſt, tum quia mutilum, tum quia falſum ſenſum habet: *Damaratum* enim Lacedaemoniorum ducem etiam ſignificare videtur, qui Athenis exſulans in patriam impius fuit. *Herodotus* lib. V. *Paullus Oroſius* lib. II. cap. IX. SCHOTT. Lugdun. primus: *Priſcus Lucinio Greci Demorati filius, qui Corynthi tyr.* Lugdun. ſecundus: *Lucumo Graeci Demarathi filius qui Corinthi. Boenderm.*: *Lucumo Graeci Demarathi filius qui Corinthi cipſelli.* Franeq. *Lucumo Graeci Demarati filius qui cipli.* in margine *cipri. Gramm.* Codex: *Lucumo Graeci Demarati filius. Qui Cypſeli.* Hauniens. *Lucunio Graeci Demarti filius, qui Corinthi.* Eodem plane modo variant etiam Editi, quae tamen omnia pro parte receptam a *Schotto* lectionem confirmant. Adde Doct. Interpr. ad l. 2. §. 2. ff. de O. J. & praeſertim Ampl. *Bynkersh.* in Praeterm. p. 17.

Cypſelus.] A κυψέλῃ dictus: in ciſtula enim, cum de ejus morte ageretur, delituit. Vide *Pauſaniam* in Corinthiacis, *Lucianum* in Lexiphane & *Suidam.* Eundem, niſi fallor, *Euſebius* in Chronicis Byzantium condidiſſe ait, Olympiadis XXX. anno quarto, poſt Romam conditam 96. SCHOTT.

Tyrannidem.] Hanc invaſit Cypſelus, circa Olympiadem 32. id eſt, ante Chriſtum natum 653. Damaratus autem Corintho abiit anno ante Chriſtum natum 630. ANNA.

2 *Lucumo.*] De hujus notione nominis *e Feſto Pompejo Turn.* lib. II. Adverſ. cap. XXIII. & *Auſoniarum* Lectionum lib. II. cap. XII. *Joſ. Scaliger.* SCHOTT.

Tarquiniis.] Urbe Tuſciae ad Laertem fluvium juxta Aruntes Veteres. Vide *Juſtinum.* ANNA.

Profectus.] MSS. noſtri ſummo conſenſu, quod placet; de filio enim, non de patre Demarato ſermo. *Valer.* lib. III. cap. VI. legendus, qui a *Stephano Pighio* eſt emendatus. Vulgati male *profugus*, vel, ut *Grypbius*, *profugit*, praeter hiſtoriae veritatem: nam in malam fere partem accipitur. SCHOTT. *Profectus* omnes Scripti. De cujus lectionis veritate dubitari non debet. *Corn. Nepos* in *Milt.* cap. II. §. 4. *Cum vento borea domo profectus eo perveniſſet.* & cap. I. §. 5. Vide Erud. *Cortium* ad *Salluſt.* Jug. cap. CII. §. 1. Ceterum *Tarquinis* pro *Tarquiniis* eſt in Haun. male. ARNTZ.

3 *Aquila.*] De *aquila* Regina avium augurium faciente plura apud *Plinium* libro X. invenies. MACH. Simile de *aquila* prodigium refert *Aelius Lampridius* in vita Antonini Diadumeni cap. IV. & V. SCHOTT. Atque ita *Aquilae* futuri imperii omen fuerunt Clodio Albino apud *Capitol.* in ejus Vita cap. V. quare in Sacris Litt. *aquila* Regem deſignat, ut *Ezech.* cap. XVII. verſ. 3. *Sidon. Apollin.* carm. II. verſ. 127.

Multos cinxerunt aquilae, ſubitumque per orbem
Luſit venturas famulatrix penna coronas.

Ubi alia doct. *Savaro.* Βασιλικὸν σημεῖον *aquilam* appellat *Xenophon* lib. I. Exp. Cyri p. 160. Ed. *Steph.* Inde Sceptris Regum *aquilae* ſuperinpoſitae erant, ſignum Majeſtatis & ſummi Imperii. Confer Illuſt. *Spanhemium* de Praeſt. & Uſu Num. diſſ. IV. p. 171. ARNTZEN.

Suſtulit.] In *ſuſtulit* varia ſcriptura in veteribus Libris. Pariſinus *ſubtulit.* Mediolanenſis & Colonienſis *ſubſtulit.* SCHOTT. *Boend.* etiam *ſubtulit.*

4 *Conjux.*] *Colinaeus* excudit, non male: ſic & lapides frequenter, nam *conjugis* obliqui habent. SCHOTT.

Auguriorum perita.] Ut vulgo Etruſci. *Livius*

5 Tarquinius pecunia & induſtria dignitatem, atque etiam Anci Regis familiaritatem conſequutus eſt. A quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita adminiſtravit, quaſi jure adeptus fuiſſet. 6 Centum Patres in Curiam legit, qui Minorum Gentium ſunt appel- 7 lati. Equitum centurias numero duplicavit, nomina mutare non po-

Etruſca enim erat Tanaquil. ANNA. Teſtatur hoc *Arnobius* adv. Gentes lib. v. p. 169. *Quem cum Tanaquil dimoveret Etruriae diſciplinarum perita.*

5 *Pecunia & induſtria.*] *Eum enim*, ait *Livius*, *Romanis conſpicuum novitas divitiaeque faciebant, & ipſe quoque fortunam benigno alloquio, comitate invitandi, beneficiisque, quos poterat, ſibi conciliando adjuvabat*, &c. *Notitiamque eam brevi apud Regem, liberaliter dextreque obeundo officia, in familiaris amicitiae adduxerat jura.* ANNA.

Conſecutus eſt.] Poſteriorem vocem non agnoſcunt quinque Scripti. Unus etiam perpetua ſerie legit: *conſecutus tutor liberis relictus, regnum intercepit.*

Regnum intercepit.] Imo eum ingenti conſenſu populus Romanus regnare juſſit. ANNA. Mox *miniſtravit* habet *Boend.*

Jure.] Sic de Servio Tullio *L. Annaeus Florus*, ſive is *Seneca* eſt. Atqui Priſcus populi juſſu, & Patrum auctoritate, & auſpicato Rex creatus eſt; nec erat regnum Romanum haereditarium, quamvis *Dionyſius* ſic ſaepe vocet. SCHOTT. Ita de Servio Tullio *Florus* lib. I. cap. VI. *Subſtitutus in locum Regis quaſi ad tempus, regnum dolo partum ſic egit induſtrie, ut jure adeptus videretur.* Neuter autem *jure* adeptus regnum, quamvis uterque demum juſſu populi, Patrumque voluntate regnaverit; quod alter clam irrepſerit in regnum; & Patres eum non tam ultro videri queant elegiſſe, quam coacti: prior vero & ambitioſe regnum petiit, & ab eo fraudulenter excluſit liberos Anci, pupillos ſuos; qui certe Tarquinio praeferri debebant (etiamſi regnum Romanum minime erat haereditarium) ob merita parentis ſui M. Anci; quemadmodum & ipſe Ancus Tullo Regi ſucceſſit, non tam meritis propriis ſpectatus, quam ſubnixus memoria avi ſui Numae. Egregie *Seneca* lib. IV. de Benef. c. XXX. *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat*, &c. Verum nos de hac praerogativa non protrita ad *Taciti* lib. III. Hiſtor. cap. LXXXVI. *L. Vitellius conſulatum, ſacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla ſua induſtria, ſed cuncta patris claritudine adeptus.* GRUT.

Fuiſſet.] Mediolanenſis *foret.* SCHOTT. *Foret* etiam Editio *Mach.*

6 *Centum Patres.*] *Livius* lib. I. cap. XXXV. *Priſcus centum in Patres legit, qui deinde Minorum Gentium ſunt appellati. Deinde*, id eſt, a L. Bruto, ex *Tacito* libro XI. *P. Pithoeus* lib. II. Subſeciv. Lect. cap. VII. SCHOTT. Sic trecentos Senatores Roma habuit. ANNA. Scilicet ſi verum eſt quod ſcribit *Plutarchus* in Rom. p. 30. Recepto in Urbem Tito Tatio centum novos Senatores ex Sabinis fuiſſe adlectos. Sed de hac ſecunda lectione tacent reliqui Scriptores, immo aperte contrariatur *Livius* lib. I. cap. XVII. ubi poſt mortem Romuli tantum *centum Senatores* memorat. Vide *Servium* ad *Virg.* lib. VIII. verſ. 105.

Minorum Gentium.] A Bruto quoque hoc nomine appellatos, & adlectos ferunt, ut *Tacitus* lib. XI. Annalium, niſi mutilum locum cum *Ludovico Vive* dicamus, apud *G. Canterum* lib. II. c. XXIV. Novarum. Vide *Pet. Pithoei* Subſ. lib. II. cap. VII. & *Val. Max.* lib. III. cap. IV. *Onuphrius Panvinus* in Roma ſua, patreis iſtos Dialecticorum ſpeciei ſubalternae ſeu intermediae comparare videtur, quem adi Commentariis in Faſtos. SCHOTT. Nam ducentos priores Majorum Gentium Romulus appellavit. ANNA. Unde *Minorum Gentium* mentio jam occurrit ſub Servio Tullio apud *Livium* lib. I. cap. XLVII. Cujus ſententiam ſequi malim, quam *Tacitum* lib. XI. Ann. cap. XXV. quamvis dubium non ſit, quin & hic ſuos habuerit Auctores, quorum auctoritate hanc de Patriciis Minorum Gentium ſententiam protulerit. Supplet tamen eum hoc modo *Vives: Quas Romulus Majorum Gentium, L. Tarquinius Minorum, Brutus Conſcriptorum appellaverant.* Sed ſi eo modo in Veterum ſcriptis omnia pro ingenii ſententia fingere licuerit, nihil brevi tempore ſupererit, de quo poſſit dubitari. Obſcurius, ita ut facile intelligas aquam Viro Litteratiſſimo haeſiſſe, hanc rem proponit *Auguſtinus* de Legibus cap. VII. Quidquid ſit, hoc ſaltem conſtat, eos, qui in Patricium ordinem recepti ſunt ſub Conſulibus, fuiſſe *Minorum Gentium*, quod confirmat *Cicero* lib. IX. ad Fam. Ep. XXI. *Fuerunt enim Patricii Minorum Gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Conſul cum L. Sempronio Atratino fuit.* ARNTZ.

7 *Equitum.*] Perturbata haec, quae ſic e *Livio* con-

potuit, Attii Navii auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis
suae novacula & cote firmavit. Latinos bello domuit. Circum ma- 8
ximum aedificavit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & Priscis Lati-
nis triumphavit. Murum lapideum urbi circumdedit. Filium XIII. an- 9
norum,

concinnanda. *Latinos bello domuit. Circum maximum aedificavit. Ludos magnos instituit. Muro lapideo urbem circumdare paranti bellum Sabinum intervenit. Equitum centurias*, &c. *de Sabinis & Priscis Latinis triumphavit. Filium* XIII. *annorum* &c. SCHOTT.

Numero duplicavit.] *Livius* lib. I. *Numero* (centuriarum) *alterum tantum adjecit, ut mille & octingenti equites in tribus centuriis essent. Posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt: quas nunc, quia geminatae sunt, sex vocant centurias.* Optime igitur Noster, *centurias numero duplicavit.* Ut & *Florus: centuriis tribus auxit.* Ibi enim *Florus* tribus vocat quas Noster centurias; quem locum minus bene olim sum interpretata, ut nunc tandem percipio ex notis, quas eruditissimus omnique politiori doctrina cumulatissimus *Joannes Georgius Graevius* in *Florum* edidit, mihi earum exemplar benigne transmisit. Notavit enim vir doctissimus *Florum* centuriis tribuum nomen dedisse; quia cum Romulus omnem populum descripsisset in tres tribus, & ex singula tribu selegisset centuriam equitum, sequenti tempestate nomina tribuum centuriis adhaesérunt, & Luceres, Ramnenses, Tatienses dictae sunt equitum centuriae. Cum autem dicit *Victor* Tarquinium Priscum centurias *numero duplicasse*, illud ita intelligendum non est, ut tribus illis centuriis a Romulo institutis tres alteras addiderit, illud enim tantum cogitavit; sed relicto trium veterum centuriarum *numero*, capita tantum duplicasse, ut singulae, quae trecentorum hominum essent, sexcentorum hominum fierent. Et ita pro nongentis, mille & octingenti equites in tribus centuriis essent. Ut supra *Livius*. ANNA.

Nomina mutare non potuit.] Centurias enim suas suo insignes *nomine* relinquere decreverat Tarquinius. ANNA.

Mutare.] *Duplicare* Parisinus. non improbo. SCHOTT. Atque ita Cod. *Grammii*, cujus Viri erga me humanitatem summo opere veneror.

Attii Navii.] Omnes paene Libri veteres hic evariant: Manuss. *Attii Nevii*. Excusi quidam *Accii Nevii*, alii *Actii Naevii*. *Plinius* lib. XXXIV. cap. V. Nat. Hist. *Accium Navium* vocat. *Val. Max.* lib. I. cap. IV. *Decium Accium Navum.* Quare legendum *Atium Navum. Dionysius* vero libro III. *Naevium Accium* appellat, ut illud nomen, hoc cognomen sit. SCHOTT. Sic de vera scriptura in varias partes abeunt & Codicum & Virorum Eruditorum sententiae. *Gramm.* Haun. & Leid. 2. *Accii Nevii*. Atque ita Editi. Leid. 1. *Atii Nevii*. Fran. & *Boend. Attii*. Quae scriptura hodie hominibus Elegantioribus probatur. Inspice, quae notantur ad *Valer. Max.* lib. I. c. IV. ex. I. & *Elmenh.* ad *Apulej.* de Deo Socr. p. 48. ARNTZ.

Novacula.] Quia interrogatus a Rege, *fieri-ne posset quod ipse mente conceperat; ille rem expertus augurio, posse respondit.* Cui Accius fortiter contradixit, hoc colore, quod cum omnia Romulus auspicato gesserit, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse. *Atqui hoc, inquit, agitabam an cotem illam secare novacula possem, tum ille, potes ergo, inquit, & secuit.* ANN.

8 *Circum maximum.*] Dictus est *circus*, quod in *circum* spectaculis aedificatus est, quod ibi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt in circum. *Horatius:*

- - - Metaque fervidis
Evitata rotis.

MACH. *Tunc primum Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est. Livius.* ANNA.

Ludos magnos.] *Magnos* in Parisiensi male desideratur. SCHOTT. Sunt & *Romani* dicti. *Livius: Ludicrum fuit, equi pugilesque ex Etruria maxime acciti, sollennes deinde annui mansere ludi, Romani magnique varie appellati. Magni* autem, quod *magnis* Diis Jovi, Junoni, & Minervae fierent. ANNA. Aliter *Asconius* apud *La Cerdam* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. vers. 636. & *Donatum* de Urbe Rom. lib. III. cap. XIV. init.

Priscis Latinis.] Nam triplex fuit Latium. *Prisci* autem *Latini* appellati, qui in colonias a Latino Silvio deducti sunt. ANNA.

Murum lapideum.] Cujus exordium bello Sabino turbatum fuerat, devictis Sabinis perfectus fuit. ANNA.

Urbi.] *Romanae*, plenius Parisinus, ut in Anco Marcio. SCHOTT. Sed simpliciter omnes Nostri *Urbi* scribunt, neque enim necesse est, & abhorret a brevitate Victoris vocem *Romanae* interponere. Quamvis sciam recte aeque dici *Urbs Romana*, quam *Urbs Roma*. Ut apud *Livium* lib. III. cap. VI. *Urbem Romanam subita Deorum ira morbo populari.* lib. XXIII. cap. XVIII. *Quod*

norum, quod in praelio hoſtem percuſſiſſet, praetexta bullaque donavit, unde haec ingenuorum puerorum inſignia eſſe coeperunt. Poſt ab Anci liberis, inmiſſis percuſſoribus, per dolum regno exutus & interfectus eſt.

non ex Cannenſi acie protinus ad Urbem Romanam duxiſſet. Eod. lib. cap. XXIX. *Pro Italia atque Urbe Romana eos pugnare.* lib. XXVII. cap. IX. *Ad prodendam Annibali Urbem Romanam.* & lib. XXXVIII. cap. LIX. *Quam Urbi Romanae fore erubeſcendum. Juſtinus* lib. XLIII. cap. III. §. 1. *Urbs Romana ab Adoleſcentibus conditur. Corn. Nepos* Att. cap. XX. *Non ſolum Urbis Romanae ſed orbis terrarum eſſe cuperet.* Ubi tamen in Codice Lugd. habetur *Urbis Romae.* Qualis etiam varietas eſt apud *Val. Max.* lib. V. cap. III. ex. 2. & *Vell. Paterc.* lib. II. cap. CXI. §. 1. monentibus id Viris Doctis. & Erud. *Cortio* ad *Sall.* Catil. cap. XVIII. §. 8. ARNTZ.

In praelio.] Recedunt a Grammaticorum regulis *Boend.* Fran. & Leid. 1. ſubſtituentes *in praelium*, quod, quamvis veram *Victoris* manum eſſe certo adfirmare non audeam, multo tamen minus rejicere omnino ſuſtineo, cum priſcos ſaepe ita loqui norunt omnes. Conferant Juniores praeter *Voſſium* lib. VII. de Arte Gramm. cap. LXV. *Scheff.* ad *Juſtinum* lib. III. cap. IV. §. 3. *Muncker.* ad *Hygin.* fab. XLI. Comment. ad *Petron.* Sat. cap. XV. pag. 53. *Coler.* ad *Val. Maxim.* lib. VII. cap. VII. ex. 3. &, qui alios indicabit, *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XIX. §. 3. ARNTZ.

Praetexta.] Toga erat, quae limbo purpureo praetexebatur puerorum. *Juvenalis*,

Et praetextatos referunt Artaxata mores.

Etſi etiam magiſtratuum eſſet. MACH.

Bullaque.] Inſigne erat impendens rotundum, ad ſimilitudinem ejus *bullae*, quae ſpiritu in aqua excitatur: Graeci ἀλεξίφαρμον nominant, Latine *amuletum:* nam ferebatur ad amoliendas artes magicas: quale tempeſtate noſtra euangelium & coralium dicunt. Notum eſt verum illud adagium, *Homo bulla eſt.* MACH. Sic repoſui pro *& bulla* praecuntibus & Scriptis & quibusdam Editis.

10 *Inmiſſis percuſſoribus.*] Pariſienſis pro *percuſſoribus* legit *percuſſionibus.* SCHOTT. Duobus paſtoribus, qui in regiae veſtibulo, ſpecie rixae, & ad Regem introducti, dum intentus Rex in alterum audiendum ſe totus averteret, alter elatam ſecurim in capite dejecit, moribundumque Regem reliquit. ANNA.

Regno exutus & interfectus eſt.] Haec lectio non ab Auctore profecta, ſed primum a correctore, ſi Dis placet, cuſa, deinde excuſa, veteri occuparione locum tenuit. Tu corrige ex fide MSS. *Regia excitus & interfectus eſt*, neque enim prius regno exutus, quam interfectus eſt: nec duo paſtores regno exuere potuerunt: excire aula jurgiis ſuis & pugna potuerunt. Credo igitur ad dirimendam litem forte exiiſſe: quamquam aliter nonnihil *Livius.* SCHOTT. Omnes Scripti & Editi agnoſcunt id, quod exprimi curavimus, niſi quod in Haun. ſit *regno exactus.* Neque enim ſequimur *Schottum*, cum ex *Livio* lib. I. cap. XL. pateat, in ipſa regia vulneratum eſſe Tarquinium. Quis praeterea non videt a Majeſtate Regia alienum fore ipſum Regem ex regia proripere ſe ad dirimendam pugnam inter duos paſtores, vilioris conditionis, de plebe homines. Neque illud *exutus* referendum ad *percuſſores*, ſed ad *Anci Liberos. Interfectus* autem *eſt* expone, per effecerunt, ut interficeretur, juſſu eorum interfectus eſt. Saepe enim quis ipſe aliquid facere dicitur, quod tantum juſſu ſuo fit. Videatur Erud. *Alberti*, Vir, qui nuper Theologiae Studioſos exemplo ſuo docuit, quid ſit ſapere ſupra vulgus, ad Acta Apoſt. cap. XVI. §. 22. *Juſtinus* lib. XXXIX. cap. III. §. 12. *Tryphaenam, quae paullo ante ſororem interfecerat.* Atqui non ipſam, ſed ejus juſſu id milites feciſſe patet ex §. 10. praec. Noſt. inf. Epit. cap. XLI. §. 2. *Publica jumenta, quaqua iter ageret, interficiens.* ARNTZ.

CA-

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

In Tarquinii domo educatur, imperium, quod ei flammae ſpecies caput ejus amplexa portenderat, recte adminiſtrat, Etruſcos domat, colles - - - urbi addit, aggerem foſſasque facit, populum in tribus, plebi annonam diſtribuit, menſuras - - - conſtituit, Dianae Epheſiae aedem aedificat Servius Tullius ſextus Romanorum Rex, & bovem immolat quidam Latinus.

Servius Tullius Publii Corniculani, & Ocreſiae captivae filius, cum 1
in domo Tarquinii Priſci educaretur, flammae ſpecies caput ejus

1 *Servius Tullius.*] Quaſi *ſerviens* eum peperit. MACH. MSS. *Tullus* perpetuo ſcribunt, ſed corrupte: fuit enim tertii Regis praenomen, & *Dionyſius* lib. IV. hoc nomen a patre tuliſſe Servium auctor eſt. SCHOTT. *Tullus* ſolus Lugd. prim.

Publii Corniculani.] Omnes paene, quis uſus ſum, Libri mire variant; pro *Publii* Mediolanenſis praefert *Tullii*. Nec deſunt qui *T.*, hoc eſt, *Titi*, ſcribendum putarint. Scripta vero lectio *Spuri Cornicularii*. SCHOTT. *Corniculani* ab urbe *Corniculo*, in qua princeps fuit. ANNA. Nugantur mire in his vocibus Librarii: Leid. pr. *Spurii Cornicularii*. Alter. *Puri Commencularii*. Fran. & *Gramm. Puri Cornicularii*. *Boend. Publii Cornicularii*. Haun. *Spurius Corniculavii ac Retiae c. filius*. Certe *Spurium* fuiſſe jam quidam apud Veteres crediderunt, ut patet ex *Feſto* in voce *Nothum*: *Quod Ser. Tullius, qui Romae regnavit, natus eſt ex concubina ſpurius Tulli tributis* (malim *Tribuni*) *niſi forte maluimus credere Oclaſia Corniculana captiva eum ſuſceptum matre ſervante*. Attamen hoc loco *ſpurius* recipi non debet, ne confundat Auctor duas ſententias, vel ex concubina, vel ex Ocreſia natum fuiſſe. Scripſi igitur ex veſtigiis Codicum & *Boend.* diſerto teſtimonio *Publii*, quamvis libentius viderem, *Tullii* agnoſcere Noſtros, quomodo ediderat *Machaeus*, neſcio an ex MSS. an auctoritate ductus *Livii* lib. I. cap. XXXIX. *Corniculani* vero contra eos, quos vidi, Codices deſendunt omnes Editi, & Priſci Scriptores, qui parentes, vel matrem certe Servii Corniculo capta Romam transductos prodiderunt, unde *Ocreſia* etiam *Corticulana* dicta apud *Ovidium* lib. VI. Faſt. verſ. 627.

Namque Pater Tulli Vulcanus, Ocreſia Mater,
Praeſignis facie, Corniculana fuit.

Et *Feſtum* loc. laud. Atque ita lege apud *Arnob.* lib. V. adv. Gent. p. 169. *Corniculanae inde imperaviſſe captivae.* & *Servium* ad *Virg.* lib. II. Aen. verſ. 683. *Nam quum Tarquinius Priſcus cepiſſet Ocriculanam civitatem ex captiva quadam in domo ejus natus eſt Servius Tullius.* Si veritatem ducem ſequamur, ibi erit legendum, *Corniculanam civitatem*, quae capta eſt a Tarquinio Priſco. *Livius* lib. I. cap. XXXVIII. *Ocriculum* demum a Tarquinio Superbo. *Florus* lib. I. c. VII. ARNTZEN.

Ocreſiae.] Scripta lectio *Ocreatiae*, a quo Pariſinus nihil evariat, niſi quod *Ocretiae* ſcribat, ut & Mediolanenſis. Verum Lugdunenſis *Ocreſiae*, & Inſcriptio vetus, quae illic viſitur; *Occriſiae* Colonienſis. Vidi qui & *Ocratiae* ſcriberent. Sed hanc a Librariis pro arbitratu cujusque factam mutationem minime mirandum, praeſertim in nomine aliunde in urbem advecto, & ſervae mulieris, unde Rex nomen acceperit. *Feſtus* etiam in *Nothum*, *Oclaſiam Corniculanam captivam* vocat. ad quem locum conſulendi docti interpretes. Exſtat hodieque Lugduni tabula aerea, cujus exemplum amiciſſimus *Lipſius* mecum communicavit: quamobrem, quod illuſtrandae rei ſit, non pigebit adſcribere.

SERVIUS. TULLIUS. SI. NOSTROS. SEQUIMUR. CAPTIVA. NATUS. OCRESIA. SI. TUSCOS. CAELI. QUONDAM. VIVENNAE. SODALIS. FIDELISSIMUS. OMNIS. Q. EJUS. CASUS. COMES. POSTQUAM. VARIA. FORTUNA. EXACTUS. CUM. OMNIBUS. RELIQUIS. CAELIANI. EXERCITUS. ETRURIA. EXCESSIT. MONTEM. CAELIUM. OCCUPAVIT. ET. A. DUCE. SUO. CAELIO. ITA. APPELLATUS. EST. MUTATO. Q. NOMINE. NAM. TUSCE. MASTARNA. EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATUS. EST. UT. DIXI.

SCHOTT.

2 jus amplexa est. Hoc visu Tanaquil summam dignitatem portendi
3 intellexit. Conjugi suasit ut ita eum, ut liberos suos, educaret.
4 Qui cum adoleviſſet, gener a Tarquinio adſumtus eſt. Et cum Rex occiſus eſſet, Tanaquil ex altiori loco ad populum deſpiciens, ait

SCHOTT. *Ocreſiae* Fran. *Ocreciae Boend. Et Retiae* Haun. *Ocretiae Gramm.* & nonnulli ex Editis. *Occentiae* Leid. pr. *Ac Retiae* Leid. poſt. Ex quibus, quamvis admodum corrupta ſint, hoc colligitur mediam ſyllabam per *e* non per *i* eſſe ſcribendam, cum omnes illam vocalem agnoſcant. Quare ita edidimus ex Oratione Claudii, quae hodie conſpicitur apud *Gruterum*. Inſcr. p. 1011. atque ita voluerat Nob. *Heinſius* ad *Ovid.* lib. VI. Faſt verſ. 627. ARNTZ.

Captivae.] *Servam* vocat etiam *Florus* cap. VI. Vide quae apud eum notavimus. ANNA.

Flammae.] Quae illo experrecto cum ſomno evanuit: Ita faſtigium vidit futurum oſtendens, ut ignis pyramidalis eſſe ſolet. MACH. Talia apud *Maronem* prodigia. De Julo II. Aen. verſ. 681.

Ecce levis ſummo de vertice viſus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

De Lavinia lib. VII. Aen. verſ. 73.

Viſa (neſas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremati;
Regalesque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis, &c.

SCHOTT. Vide quae apud *Florum* dicta ſunt cap. VI. ANNA.

2 *Viſo.*] *Viſu* Mediolanenſis. SCHOTT. Vet. Cod. *hoc viſu*. SYLB. *Viſu* ex Noſtris Leid. pr. & Fran. quorum lectionem amplector, quae a ſciolis fruſtra ſublata eſt. *Viſus* enim eſt quodcunque monſtrum, prodigium, omen & tale quid, quod futurum praemonſtrat. *Virgil.* lib. III. Aen. verſ. 36.

Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.

lib. V. verſ. 90.

Obſtupuit viſu Aeneas.

Confer lib. II. verſ. 212. *Apulej.* lib. XI. Metam. p. 266. *Nec fuit nox una vel quies aliqua, viſu Deae monituque jejuna.* Praeſertim tamen de nocturnis ſomniis, ut notum, & apparitionibus dicitur. *Tibull.* lib. III. El. IV. verſ. 3.

Ite procul, vanum falſumque avertite viſum.

Vell. Paterc. lib. II. cap. LVII. §. 2. *Uxor Calpurnia terriba nocturno viſu. Tacitus* lib. IV. Hiſt. cap. LXXXIII. *Sacerdotibus Aegyptiorum nocturnos viſus aperit. Juſtinus* lib. I. cap. VII. §. 1. *Quem juxta nocturnum viſum ergaſtulo liberaverat.* Adde lib. XV. cap. IV. §. 5. Cetera Cl. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* lib. I. verſ. 64. & *Vignoli* in Sel. Inſcr. Cl. I. pag. 188. Quod autem ante legebatur *ſummam ei dign.* pronomen delevimus, volentibus ita MSS. & praecedit *ejus* & ſequitur *eum*, ita ut ſine ullo damno vō *ei* carere liceat. ARNTZ.

Intellexit.] *Intelligit* Agrippinenſis Codex. SCHOTT.

3 *Ut liberos ſuos educaret.*] Id uno verbo Latine dicitur *liberaliter educare*. ANNA.

4 *Qui cum.*] Ita recepimus, cum in poſterioribus quibusdam Edit. haberetur *cumque*, contra auctoritatem Codicum & olim Editorum.

Gener a Tarquinio adſumtus.] Ob ejus virtutes bellicas. MACH.

Tanaquil.] Regiam claudi jubet, arbitros ejecit, ſimulat Regem vivere, interim generum adhortatur, ut capeſſat regnum. MACH.

Ex altiori loco.] Deſunt haec Pariſino & recte fortaſſe, nam *deſpicere* deorſum videre eſt, conſtatque e feneſtra apud concionem verba feciſſe; ubi quidam *reſpiciens* legit male. Non diſſimulabo MS. quendam *ex altiori* ſimpliciter legiſſe, & vox *Tarquinium* ex eodem ſuperat. SCHOTT. *Ex ſuperiore parte aedium per feneſtras in novam viam verſas (habitabat enim Rex ad Jovis Statoris) populum Tanaquil alloquitur. Livius.* ANNA. Delet haſce voces *ex altiori loco Gramm.* ſolus. contra *ex altiori* habet Leid. pr. *Boend.* & Fran. cum vetuſtis Editionibus, quare omnino hae voces delendae non ſunt. Et licet verum ſit *deſpicere* natura ſua notare deorſum videre, tamen hoc non inpedit, quo minus non adderetur *ex loco altiori* id fieri. Sic *Ovidius* lib. XI. Met. verſ. 503.

Et modo ſublimis, veluti de vertice montis
Deſpicere in valles.

lib. IV. Met. verſ. 622.

- - - Ex alto ſeductas Aethere longo
Deſpectat terras.

Silius Ital. lib. XIII. verſ. 281.

- - - Deſpectat ab alto
Sacra fides, agitatque Virum fallacia corda.

Seneca Herc. Oet. verſ. 1695.

Quaeſivit oculis, arce an ex aliqua Pater
Deſpiceret illum.

Apulejus lib. IV. Metam. p. 143. Edit. *Elmenh.*

Pro-

ait Priſcum gravi quidem, ſed non letali vulnere accepto, petere ut interim, dum convaleſcit, Servio Tullio dicto audientes eſſent. Ser- 5
vius Tullius quaſi precario regnare coepit, ſed recte imperium ad-
miniſtravit. Etruſcos ſaepe domuit. Collem Quirinalem & Vimi- 6
nalem & Eſquilias urbi addidit, aggerem, foſſasque fecit. Popu- 7
lum

Proſtratum & ſemianimem ex edito deſpexit. Confer Clar. *Bentlejum* ad *Phaedr.* lib. II. fab. V. verſ. 10. Quibus locis facile adducerer, ut ſimplex illud *ex altiori* praeferrem, niſi durius quid ſonaret. ARNTZ.

Priſcum Tarquinium.] Tarquinium delevi ſecutus *Schotti* Codices, quibus adſtipulantur Fran. *Boend.* & Lugd. ſec. cum Ant. Edit.

Servio Tullio.] Antiqua lectio *dicto audientes eſſent* auctior & verior. Alius MS. *dicto obaudientes eſſent.* In *T. Livio* lib. I. cap. XLI. corrupte eſt *Servii Tullii dicto audientes eſſent* pro *Servio Tullio*, ut & *B. Rhenanus* admonuit. SCHOTTUS. *Dicto*, id eſt, *imperio.* Inde *Dictator.* Et *Virgil.* Aeneid. VI.

Hic ego, namque tuas ſortes arcanaque fata
Dicta meae genti ponam.

Ubi *dicta* nihil aliud ſignificant quam ſummum imperium. ANNA. Male illud *dicto* non agnoſcunt unus & alter e Noſtris; Lugd. vero pr. *Servio Tullio dicto obedientes*, melius reliqui, ut excudi curavimus, quae lectio nullo modo mutari debuerat. Nec ſcio, quid moverit librarios, ut elegantiſſimam dictionem, neque raro obviam, & hic & apud alios ſaepe corruperint. *Caeſar* Bell. Gall. lib. I. cap. XXXIX. §. 7. *Caeſari renunciabant non fore dicto audientes milites.* & cap. XL. §. 12. *Livius* lib. V. cap. III. *Plebs nobis dicto audiens atque obediens ſit.* lib. XLI. cap. X. *Cum milites Conſulis imperio dicto audientes futuros ſeſe dicerent. Coelius* ad *Cicer.* lib. VIII. Fam. Ep. VIII. prope fin. *Caeſar Senatui dicto audiens futurus non eſſet. Hyginus* fab. CXX. *Rex Sacerdoti dicto audiens fuit.* & *Quintil.* lib. VII. Inſt. cap. I. p. 583. *Minus dicto audientem filium liceat abdicare.* Plura *Gron.* ad *Livium* lib. XXIX. cap. XX. *Gebhard.* ad *Corn. Nep.* in Lyſandro cap. I. *Lamb.* & alii ad Daramem cap. II. Quae *Lambini* emendatio latuit olim Magnum *Gronovium*, ut patet ex Epiſtola ejus ad Nob. *Heinſ.* in Syll. *Burm.* tom. IV. Ep. CXXI. quare monuit eum *Heinſ.* Ib. Ep. CXXIII. *Dicto obedientes* ferri poſſet, & ita loquitur *Dares Phryg.* de Exc. Trojae cap. II. *Et ſi non dicto obediſſent.* & cap. XIX. *Monet diligenter, ut dicto obedientes eſſent. Gron.* ad *Livium* lib. XXII. cap. XXV. ARNTZ.

5 *Servius.*] *Schottus* mavult in margine *Ita Servius Tullius.* SYLBURG.

Quaſi precario.] Nam alia ipſe decernebat, de aliquibus Regem conſulturum ſe fingebat. MACH.

Adminiſtravit.] Eodem modo, ut ſupra cap. praec. §. 5. *miniſtravit* repraeſentant *Boend.* Fran. & uterque Lugd. quo modo apud *Suet.* in Caeſ. cap. XVI. §. 1. exhibent excerpta *Voſſiana: Ab miniſtratione Reipublicae decreto Patrum ſubmoverentur.* Hoc quidem ſenſu *miniſterium* uſitatior vox eſt pro munere publico in Republica, praeſertim autem in rebus bellicis. *Vell. Paterc.* lib. II. cap. XXXVIII. §. 6. *Quippe S. C. miniſterio Catonis, Regis morte, quam ille conſcientia acciverat, facta provincia eſt. Valer. Max.* lib. IV. cap. III. ex. 9. *In publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam, praeter laudem bene adminiſtrati officii, accedere debere judicantes.* & lib. VIII. cap. XIII. ex. I. *Non ſolum ſpecioſiſſimis Reip. miniſteriis.* Adde *Popmam.* ad *Vell. Pat.* lib. II. cap. XLV. §. 4.

6 *Etruſcos.*] Rurſum perturbatus ordo, quem *Johannes Grejonius* ſic reponendum putavit, *Livii* auctoritatem ſequutus. *Etruſcos ſaepe domuit: populum in quatuor tribus diſtribuit, claſſes centuriaſque, menſuras, & pondera conſtituit. Collem Quirinalem & Viminalem, & Eſquilias urbi addidit. Aggerem foſſasque fecit, ac poſt plebi diſtribuit annonam. Latinorum populis*, &c. Nihil tamen muto fretus MSS. Libris. SCHOTT.

Collem.] *Livius* lib. I. cap. XLIV. *Addit duos colles, Quirinalem Viminalemque. Inde deinceps auget Eſquilias. Ibique ipſe, ut loco dignitas fieret, habitat.* Ubi legendum videtur. *Inde deinceps auget Eſquiliis*, id ratio & auctoritas ſuadent. *Addit*, inquit, *urbi collem Viminalem & Quirinalem, Inde deinceps* urbem *auget Eſquiliis.* ANNA.

Quirinalem.] *Varro. Collis Quirinalis, ubi Curi Quirini fanum, eſt a Quiritibus, qui cum Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi caſtra habuerunt. Hoc vocabulo cunctarum regionum nomen, ni fallor, obtinuit.* MACH.

Viminalem.] *Varro: Viminalis, a Jove Viminio, quod ibi arae ſunt, ubi vimina nata fuerunt.* MACH. *Et Viminalem* delet *Boend. Eutropius* tamen lib. I. cap. VII. *Montes tres Quirinalem, Viminalem, Eſquilinum urbi adjunxit. Livius* & alii.

Esquilias.] Quae ſunt dictae ab *excubiis*, quae

lum in quatuor tribus distribuit, ac post plebi distribuit annonam. 8 Mensuras, pondera, classes, centuriasque constituit. [Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incogni- 9 tus erat.] Latinorum populis persuasit, uti exemplo eorum, qui Dianae Ephesiae aedem fecissent, & ipsi aedem Dianae in Aventino aedi-

ibi fiebant. Constat post eum, (*Dionysio* teste) urbem non amplius auctam. MACH. Haec in Parisino aberant. Scribendum autem per s. tametsi ab *excubiis* vox ipsa defluxerit, quod melioris soni gratia x. in s. migraverit. Sic & Mediolanensis impresserat. SCHOTT. *Excubinus*, primum dictus postea mutata pronuntiatione *Exquilinus*: Et melioris soni gratia *Esquilinus*, & a Poëtis *Esquilius*. ANNA. Neque agnoscit has duas voces *& Esquilias Gramm.* Codex. Tres vero scribunt *Exquilias*. Vid. *Dausq.* de Orthogr. part. II. pag. 126.

Urbi.] Hunc ambitum Libri quidam varie legebant: MSC. unus: *& Esquilias urbi distribuit, annonam, mensuras, pondera*, &c. reliquis omissis: non placet. Agrippinensis nihil hic praetermittebat. SCHOTT.

Aggerem.] Mediolanensis legit: *aggeremque ac fossas*. SCHOTT. *Aggere & fossis & muro circumdat urbem, ita pomoerium profert. Livius.* ANNA.

7 *Tribus.*] A tributo solvendo. MACH. *Tribus* urbanas intellige: quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitabantur partes, *tribus* eas appellavit. Fuere autem *Palatina, Esquilina, Suburrana, Collina*. Idem etiam totum agrum divisit in partes viginti sex, quas & *tribus* rusticas appellavit, ita ut quatuor superioribus urbanis additis, omnes numerum triginta *tribuum* efficerent. ANNA.

Ac post.] *Ac primo* Haun. legit, ut velit fortasse, primum fuisse Servium, qui populo frumentum distribuerat, ut legeretur *primus*.

Plebi.] Agrippinensis *plebem*, non *plebi* legit, ut populum a *plebe* distinxisse videatur, ut apud *Agellium Capito* lib. x. cap. xx. *Populum in quatuor tribus distribuit ac post plebem. Annonam, mensuras* &c. Nihil tamen demuto, quod recepta scriptura sententiam idoneam habeat. SCHOTT.

Classes centuriasque.] Sex *classes* fuere, quibus continebantur *centuriae* centum nonaginta tres. Prima quidem *classe* conflata ex equitibus & peditibus, nonaginta octo *centuriae*: Secunda *classe* viginti & duae una cum opificibus. Tertia, viginti & duae *centuriae* adjunctis tubicinibus & cornicinibus: Quarta *classe* viginti *centuriae*; Quinta *classe* triginta *centuriae*: Sexta & ultima tota constante ex civibus egenis unica *centuria*. Vid. *Halicarnass.* lib. IV. cap. II. qui haec omnia distinctissime tradidit. Sic igitur singulas *classes* in *centurias* digessit. Hinc *centuriata* comitia, in quibus populus *centuriatim* conveniebat, & suffragia ferebat. ANNA.

8 *Primus omnium.*] Periodum hanc ex MSS. tribus adjeci; & vero omissus *Census* in vulgatis temere videbatur. *Censa* sunt autem civium capita millia LXXX. eorum, qui arma ferre poterant. *Fabius Pictor* apud *Livium*. SCHOTT. Hanc periodum *Schotti*, qui fere ubique largiores, quam Nostri sunt, proferunt Codices, sed rejiciunt & Inpressi & Scripti omnes. Reddenda est *Eutropio* lib. I. cap. VII. apud quem totidem verbis exstat. Sic infra integrum caput ex tribus etiam MSS. inseruit *Schottus* cap. XXXV. §. 12. de Pyrrho & Fabricio, quod desumtum est eodem modo ex *Eutropio* lib. II. cap. XIV. Scio aliter ibi sentire *Schottum*, sed pro me pugnant & *Eutropii* & *Victoris* Nostri Manuscripti, cum apud *Victorem* haec tanquam spuria rejiciant, apud *Eutropium* unanimi consensu ut genuina admittant, ut pateat invito Auctore ab aliis huc esse translata. ARNTZ.

9 *Latinorum populis.*] Qui duodecim fuere. ANNA.

Eorum qui.] Possumus etiam specialius legere, *exemplo Jonum* ex *Dionys. Hal.* 229. 36. SYLB. Asianorum. Nam *Dianae* templum communiter a civitatibus Asiae factum fuit. ANNA. Scripsi *uti exemplo* faventibus antiquis Editt. & MSS.

Ephesiae.] Quod, *Plinio* teste, constructum fuit in *Epheso* urbe. *Martialis:*

Nec triviae templo molles laudenter honores.

MACH. *Plinius* lib. VII. Natur. Histor. cap. XXXVII. *Laudatus est Ctesiphon Gnosius, aede Ephesiae Dianae admirabiliter fabricata*. Ubi *Cherfiphron* leg. ex *Strabonis* lib. XIV. ut & in *Vitruvio* lib. III. & VII. Vidit id *Ferd. Pincianus*, quem honoris caussa libens nomino; Cujus in omnes *Plinii* Libros Observationes jam pridem excusae in Eruditorum Hominum manus venerunt. SCHOTT.

Aventinus.] Vel ab *avibus*, vel ab *adventu* hominum, vel *Aventino* Rege dictus: varie enim dantur etymologiae. MACH.

aedificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino mirae magnitudinis 10
nata, & responsum somno datum, eum populum summam imperii
habiturum, cujus civis bovem illam inmolasset. Latinus bovem in 11
Aven-

10 *Effecto.*] Malim *facto*, ut MSS. omnes. SCHOTT. Et ego malim *effecto* cum MSS. Nostris omnibus (si a *Boend.* discesseris, in quo nulla varietas notatur) & Impressis. *Efficere* enim erit conficere, perficere, opus ad finem perducere, quo sensu apud *Caesar.* lib. IV. Bell. Gall. c. XVIII. §. 1. *Diebus X, quibus materia coepta erat comportari, omni opere effecto. Florus* lib. IV. cap. II. §. 85. *Congestis cadaveribus agger effectus est. Efficere urbem* pro condere apud *Cicer.* lib. II. de Divin. cap. XLVII. Hanc vocem egregie vindicavit Cl. *Burm.* ad *Quintil.* lib. V. Inst. cap. XII. p. 456. & *Colom.* lib. XII. cap. X. p. 1087. ARNTZ.

Cuidam.] MSS. *quaedam* praeferunt. *Livius* autem lib. I. & *Plutarchus* Problem. V: *Sabinum*, non *Latinum* faciunt: hic etiam *Antronem Curatium* ex *Varrone* & *Juba* Rege appellat: Ille vero antea *Latinos* semel iterumque nominat, qui templum exstruxerunt. Verum nihil haec pugnant, quod *Sabinos* inter *Latinos* numerent. SCHOTT. *Quaedam* etiam volunt quinque Codd. sed ab alia parte stant Editi.

Responsum somnio.] Fortasse Rectius: *Responsum domino datum.* SYLB. Sed a quo igitur responsum datum, quod addi oportuerat. Igitur nil muto, nisi quod sequor duorum Codicum scripturam *responsum somno. Somnus* namque idem saepe est, quod *somnium. Livius* lib. VIII. cap. VI. *Si extis eadem, quae somno visa fuerant. Virgil.* lib. I. Aen. 353. & *Serv.* ad lib. II. vers. 794. & lib. VI. vers. 894. *Ovid.* Rem. Am. vers. 555.

- - - Dubito, verusne Cupido
An somnus fuerit, sed puto somnus erat.

Et vers. 575.

- - - Placidum puerilis imago
Destituit somnum, si modo somnus erat.

Sic Epist. XIII. Her. vers. 107. *Gruter.* Insc. p. LXII. num. 9. *Justin.* lib. I. cap. IV. §. 2. *Hic per somnum vidit. Valer. Max.* lib. I. cap. VIII. init. *Perinde ac tenebrarum somnique nube involuta.* Ita ibi aliquot Scripti, quo modo & apud *Plinium* invenimus lib. I. Epist. XVIII. *Scribis te perterritum somno*, pro quo hodie non multo melius editur *somnio.* Ceterum recte *somnium* dicitur *respondere*, ex cujus interpretatione aliquid futurum conjicitur. *Ovid.* lib. IV. Fast. vers. 651.

Ille dabat tacitis animo responsa quietо
Noctibus.

Et quae collegit Erud. *Munck.* ad *Lact. Placidi* Narr. Fab. p. 208. ARNTZ.

Summam imperii.] Hoc est, penes eum populum summam fore potestatem, eum populum in reliquos imperium habiturum. Nulla igitur hic fides habenda Codicibus illis, qui *summum imperii* agnoscunt. Aliter loquebantur Latini. *Caesar* lib. II. Bell. Gall. cap. XXIII. §. 4. *Duce Boguegnato, qui summam imperii tenebat.* lib. III. cap. XVII. §. 7. *Praesertim eo absente, qui summam imperii teneret.* eod. lib. cap. XXII. init. lib. V. cap. XI. §. 9. lib. VII. cap. XX. §. 9. *Summam imperii se consulto nulli discedentem tradidisse.* adde eod. lib. cap. LVII. §. 3. & cap. LXIII. §. 5. *Livius* lib. XXII. cap. XV. *Penes quem summa equestris imperii erat. Vell. Paterc.* lib. I. cap. VI. §. 6. *Summa imperii ad Populum Romanum pervenit. Suet.* Claud. cap. III. *Delatam sibi summam imperii.* Vid. *Brant.* ad *Caesar.* lib. I. Civ. cap. XXXVI. *Cortium* ad *Cicer.* lib. XIII. ad Fam. Ep. LXVIII. & ceteros. Ferri potuisset, si fuisset scriptum *summum imperium*, ut ap. *Corn. Nepot.* Phoc. cap. II. *Apud eum summum esset imperium Populi.* In Eumene cap. VII. & Agesil. cap. II. Quo pacto legi ex Scriptis posset apud *Suet.* in Ner. cap. XLII. *Qui summum imperium vivus amitteret.* Vulgo *suum* circumfertur. ARNTZ.

Cujus civis.] *Qui prius* vulgati omnes: sed magis est ut *cujus civis* legatur, cum ex MSS. auctoritate, tum quod *Livius*, quem Noster religiose transcribit, iisdem his verbis usus sit, sitque sensus integrior & castior. Corrumpendi loci ansam dedere *cujus* & *civis* inter se linearum ductu affines voces. SCHOTT.

Bovem illam.] Ratio & auctoritas probant legendum *bovem illam Dianae immolasset.* Audi *Livium: Et cecinere vates, cujus civitatis eam (bovem) civis Dianae immolasset, ibi fore imperium.* ANNA. *Bovem illam Dianae* Leid. pr. Non videtur recte posse abesse, cum sententia requirat. Atque ita hanc fuisse oraculi mentem, ut *Dianae* inmolaretur, scribit etiam *Val. Max.* lib. VII. c. III. ex. I. *Ut quisquis eam Aventinienfi Dianae immolasset.* Haec est, quae *Diana Aventina* dicitur *Martial.* lib. VI. Epigr. LXIV.

Laudat Aventinae vicinus Sura Dianae.

Et *Propert.* lib. IV. El. VIII. vers. 29.

Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae.

12 Aventinum egit, & cauſſam ſacerdoti Romano expoſuit. Ille calli-
13 dus, dixit prius eum vivo flumine manus abluere debere. Latinus
14 dum ad Tiberim deſcendit, ſacerdos bovem inmolavit. Ita imperium civibus, ſibi gloriam facto conſilioque quaeſivit.

11 *Cauſſam.*] MSS. *omnia* legunt. SCHOTT.

12 *Callidus.*] Aſtutus, a callo. MACH. MSS. legunt: *Ille callide dixit, prius vivo eum flumine.* SCHOTT.

13 *Latinus dum.*] MSS. Libri *Dum Latinus.* SCHOTT. Et ſic Leid. pr.

14 *Quaeſivit.*] *Vindicavit Aldinus* & melioris notae Codices: alii *vendicavit.* MSS. vero diverſe legunt, *quaeſivit*, adduntque *Regnavit annis* XLIV. Deinde novum caput Tulliis inſcribunt. Miror tamen MSS. Extremo Tarquinio Superbo adſcribere: *imperavit annis* XXXIV, cum *Livius*, *Dionyſius*, alii XXV. duntaxat numerent. Forte librariorum familiari audacia addendi detruncandi accidit. Fateor *Euſebium* & *Caſſiodorum* XXXIV. illi tribuere, verum iidem decem annos *Servio Tullio* ademerant, quod Noſter nec hic nec alibi feciſſe videtur. In Romulo autem adſcripſerat: *imperavit annis* XXXVIII. In Tarquinio Priſco: *Regnavit annis* XXXVII. In aliis vero Regibus, Numa, Hoſtilio, & Anco nulli regnorum numeri comparent. SCHOTT. Cum dicatur exſtare in membranaceis, *conſilioque quaeſivit*, non debebat ſane excludi vox genuina; ejecta ab eis, a quibus minus intelligeretur. ſic ſane etiam legitur in MSS. Palatino uno, nam alter ſcribit, *petivit.* GRUT. *Boend.* Fran. & *Gramm. Quaeſivit.* Uterque Leid. vero *petivit.* Prius conſenſu Codicum placet pro *adquiſivit*, quo modo frequenter *quaerere imperium*, *quaerere gloriam.* Jungit pari ratione haec duo *Juſtinus* lib. I. cap. I. §. 7. *Nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quaerebant.* lib. VI. cap. III. §. 8. *Tot bellis ac ſeculis quaeſitum imperium.* & lib. VIII. cap. II. §. 11. *Tantum imperium terra marique quaeſierant. Salluſt.* Bell. Jug. cap. LXXXVII. §. 2. *Gloriam atque divitias quaeri.* & *Ovidius* lib. II. ex Ponto Ep. VII. verſ. 47.

Artibus ingenuis quaeſita eſt gloria multis.

Adde *Bernecc.* ad *Juſt.* lib. II. cap. III. §. 1. *Acidal.* ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. XVIII. §. 5. & Erud. *Cortium* ad *Sall.* Jug. cap. IV. §. 3. Cui *vindicavit* placet, poſſet & id ſuis rationibus defendere, ſed melius me facturum judicavi, ſi MSS. ſequerer. ARNTZ.

ARGUMENTUM.

Tarquinii Priſci filiis filias ſuas in matrimonium dat, Superbo regnum paternum repetente interficitur Servius Tullius. In forum properat, conjugem Regem ſalutat, ſuper patris corpus carpentum agit, & cum conjuge in exſilium agitur Tullia.

15 Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquinii filios pari animo videret, ut omnium mentes morum diver-

15 *Tarquinii.*] *Priſci*, non *Superbi.* MACH. Monſtrum hoc a *Dominico Machaneo* olim & *Conrado Lycoſthene* expugnatum, mirum eſt in Libris repullulare potuiſſe. Monuerunt enim *Priſci* legendum, ut hiſtoriae veritas conſtaret; certe in antiquis duobus, nec in MSS. reperi nomen *Superbi.* Eos nepotes Priſci fuiſſe magis adducor, ut credam, *Dionyſio* potius, quam *Livio* accedens. Sed *Laurentii Vallae* longa de hac re diſputatio ad Alphonſum Regem exſtat, quae ab *Halicarnaſſeo* ſumpta, an ab ingenio ſit, pronuntiare non auſim. SCHOTT. Nos auctoritate quinque Codicum neque *Priſci* neque *Superbi* agnovimus, hoc per ſe falſum erat, nec ullo colore poterat defendi. Nam dicere *Tarquinium Superbum* ſaepe pro *Priſco* poni, ut fecerunt nonnulli JCti ad l. 2. §. 2. ff. de O. J. nihil eſt; illud vero neceſſarium non erat, cur enim *Priſcus* diceretur Tarquinius ante, quam Junior ille ſeu *Superbus* exſtiterat. Hoc enim cognomen poſterioribus demum temporibus

diversitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites, seu forte, seu fraude perierunt, feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius Superbus a Tullia incitatus, advocato Senatu regnum paternum repetere coepit. Qua re audita Servius, dum ad Curiam properat, jussu Tarquinii gradibus dejectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia statim in forum properavit, & prima conjugem Regem salutavit, a quo

tribus illi fuit tributum, ut ab altero, cui e factis nomen *Superbi* fuit inditum, distingueretur. Vid. *Sigonium* ad *Livium* lib. 1. cap. XXXIV. ARNTZ.

Filiōr.] Legendum est *Nepotes* ex auctoritate historici *Halicarnassei*: non enim potuerunt esse *filii* rationibus ab eo copiose adductis. MACH. *Livius* tamen *pluribus auctoribus filios* vocavit. ANNA. Sed hic agnoscendus est inter ipsos Veteres dissensus. Vide Comment. ad *Florum* lib. 1. cap. VII. §. 2. *Strabonem* lib. V. p. 353. qui *Superbum* quoque *Prisci* filium facit, Interpr. ad l. 2. §. 2. ff. de O. J. & prae ceteris Ampl. *Bynkershoekium*. Neque *filium* hic per *Nepotem* exponimus, cui enim inponi posset, plures Scriptores eadem voce, insolita significatione, uti saepius in eadem historia. Aliud exigit stilus historicus, qui nomina significatione propria adhibet. Et tamen fuerunt, qui hoc crederent. Confer *Rupertum* Ench. Juris p. 63. & *Noldii* Hist. Idum. p. 104. & 217. ARNTZ.

Pari animo.] Eodem *animo*, quo filiae Servii scilicet, mitis alter, alter ferox. ANNA.

Ferocem miti.] *Ferocem morum simplici* MSS. quidam, forte quod ejusdem vocis repetitionem odiosam fore putarent scribae illi semidocti, & belle operam ponentes. SCHOTT. MSS. pro *miti* habent *morum simplici*. Eo scilicet loquendi genere, quo apud *Horatium*: *integer vitae, felix animi* & similia, more graeco. SYLB.

In matrimonium dedit.] *Platonis* hoc praeceptum, ut morum ingeniorumque fervor alterius modestia temperetur. Memini illud in *Apulejo* extremo Libro de Dogmate *Platonis* legere, sed quoniam neque *Plato*, neque Asini Aurei Scriptor ad manum est, verba describere non potui. Legendus & *Sextus Aurelius Victor* in Juliano Imperatore de Plotina uxore Trajani. SCHOTT.

16 *Forte.*] *Forte* legendum a nominativo *fors*. Vox in optimis quibusque auctoribus corrupta, qua de in Cloelia. *Dionysius* veneno sublatos putat: miror igitur dubitare quosdam. SCHOTT. Plerique tamen MSS. male *forte* retinent. Melius apud *Livium* lib. XXII. cap. XLIX. *Seu forte seu consilio nulli fugientium infestus agmini*. Sed solennis hic est error librariorum, qui has voces inter se commutarunt. Inspice *Vossium* ad *Caesar.* lib. II. Bell. Gall. cap. XXI. §. 1. *Heinsium* ad *Claud.* Bell. Get. vers. 370. *Cortium* ad *Sallust.* Jug. cap. 1. init. & nos pluribus inf. ad cap. XIII. ARNTZ.

Feroces morum similitudo conjunxit.] Ita Rege secundas volente nuptias. MACH. Hujusmodi matrimonia Sacrae Literae prohibent per Johannem Baptistam *Matth.* XIV. & Imperatoriis constitutionibus cavetur eam, quae in manum fratris convenit, etiam dissolutis, seu morte, seu repudio nuptiis, duci citra incesti crimen non posse. l. *Nemini* C. de Nupt. l. *Fratris*. C. de Incest. Nupt. SCHOTT. Confer *Heineccium* ad Leg. Jul. & Pap. lib. II. cap. XVII. p. 312.

17 *Paternum.*] Libri veteres *patrium*. In Mediolanensi abest: mox *repente cepit* habet *G. Cassandri* Editio pro *repetere coepit*. SCHOTT. Quod *Victor paternum regnum*, *L. Florus avitum* vocat lib. 1. cap. VII. SCHOTT. *In not. min. Patrium* Uterque Lugd. *Patris* Haun.

18 *Dum ad curiam properat.*] Inquit enim *Servius*: *quid hoc, Tarquini, rei est? qua tu audacia me vivo vocare ausus es Patres, aut in sede confidere mea?* unde a Tarquinio minaciter respondente interfectus est. MACH.

Jussu Tarquinii.] Imo ab ipso Tarquinio. ANNA.

Gradibus.] Codex antiquus calamo exaratus *in gradus*. Cujus auctoritatem secutus *statim*, ut superantem vocem stylo confodi, & hinc furcis expuli. SCHOTT. *Gradibus ejectus* praefert Lugd. sec. & Haun. *rejectus* Gramm. Neuter bene. *Dejicere* est de loco alto jacere. *Ovidius* lib. 1. Met. vers. 718.

- - - Saxoque cruentum
Dejicit, & maculat praeruptam sanguine cautem.

In sequentibus autem illud *statim* reperitur in omnibus MSS. & Editis, quare & huic voci etiam hic locum dedimus. Pro *in forum* tres MSS. praepositionem abjicientes simpliciter *forum* scribunt. ARNTZ.

quo jussa turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit, unde vicus ille Sceleratus dictus. Postea Tullia cum conjuge in exsilium acta est.

19 *A qua jussa turba recedere.*] Sic Excusi omnes. Libri scripti propius veritatem, *a quo jussa turba discedere.* Mediolanensis tamen *decedere. Livius* totidem paene verbis: *a quo facessere jussa ex tanto tumultu, cum se domum reciperet*, &c. unde in scripta lectione praepositionem deesse video, *e* vel, *a turba.* Neque enim turbam cedere, sed uxorem tumultum effugere jubet. SCHOTT. Unanimi tamen consensu omnes Scripti praepositionem illam non admittunt, & genuinam scripturam exhibent: *a quo jussa turba decedere.* Quibus verbis noluit Tarquinius, ut ipsa turba decederet, verum ut uxor ejus e publico abiret & domum se conferret. Eodem enim modo adhibent Latini hoc verbum cum vel sine praepositione. *Livius* lib. XXXI. cap. V. *Ne obsidionis quidem metu fide decessissent. Val. Flaccus* lib. II. Arg. vers. 297.

\- - - *Patria liceat decedere terra.*

Et lib. IV. vers. 522.

Nunc quoque Achenoreis idem decedere tectis
Imperat.

Vell. Paterculus lib. I. cap. I. §. 4. *Uter cum parte multitudinis patria decederet. Tacitus* lib. XIV. Ann. cap. XLIX. *Aut Thrasea decessit sententia. Curtius* lib. V. cap. XIII. §. 23. *Nullo regente decesserant militari via.* Quin etiam vitiose dici *decedere ab aliqua re*, cum scribendum esset *de aliqua re* recte monuit summus *Gronovius* ad *Livium* lib. XXVII. cap. X. ARNTZ.

Cum domum rediret.] Ita fere omnes Historici. *Florus* tamen ait Tulliam carpentum supra patrem egisse, cum virum suum Regem salutatum iret. Nisi potius, ut olim monui ibi, pro *salutaret*, rescribendum *salutarat.* neque enim adhuc ejus me poenitet. Sed de hoc pluribus apud *Eutropium.* ANNA.

Evitantem.] Nulla hic esse posset vitii suspicio, nisi alter Lugd. *cunctantem* pro *evitantem* ostenderet. Quam quidem ego lectionem non inelegantem judico. *Cunctari* dicuntur illi, qui ea, quae praecipiuntur, aut non libenter faciunt, aut facere omnino nolunt. *Tacitus* lib. III. Hist. cap. I. *Undecima legio sese adjunxerat initio cunctata.* Just. lib. I. cap. VI. §. 14. *Cunctantibus sublata veste obscoena corporis ostendunt.* lib. XXIV. cap. VIII. §. 7. *Proinde ne cunctarentur, Diis Antesignanis, hostem cedere.* lib. XXVI. cap. I. §. 9. & *Caesar* lib. I. Bell. Civ. cap. I. §. 4. Simile scelus narrat *Justinus* lib. XLI. cap. VI. §. 5. Pro *praecepit* habet *coëgit* Leid. pr. ARNTZ.

Sceleratus.] Antea *Cyprius* dictus: sed, quia filia aurigam cunctantem scabello percutiens jussit, coëgitque super cadaver paternum currum ducere, inde *Scelerato* nomen fuit. MACH. Nihil aliud est quam *infelix. Florus, Plautus, Terentius.* Ita inferius legas, *porta, qua profecti fuerant, Scelerata est appellata.* Sic *scelus* pro infelicitas apud *Terentium.* ANNA. Immo, aliam ob causam *porta* dicta est *Scelerata*, quia infelici successu exierant Fabii, aliam ob causam *vicus Sceleratus*, propter nefandum in Patrem scelus, neque enim hoc factum infelicitatis nomine excusari potest. Sic eas enumerans, quae inpiae erga Parentes fuerant, *Hyginus* fab. CCLV. scribit: *Tullia Romanorum supra Parentis corpus currum duxit, unde* vicus Sceleratus *est dictus. Valer. Maximus* lib. IX. cap. XI. ex. I. *Vicum cognomine sceleris commaculavit.* & Clar. *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. XII. §. 2. Videtur etiam diversas has origines confundere *Salvagn.* ad *Ovidium* in Ibide vers. 365. ARNTZ.

Cum conjuge.] Arunte, inquit *Poncherius*, male: alioqui non incuriosus interpres. Oblitus forte Tarquinium Superbum maritum Tulliae junioris secundis nuptiis factum, &, quod aliquot versibus anteceſſit, ab ea instigatum ad regnum capessendum, Regemque ab ea primo consalutatum. *Livium* enim Noster auctorem, non *Dionysium* sequitur. De hoc Tulliae facto sic *Varro* lib. IV. de L. L. *Prope hunc vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore, quod ibi, cum jaceret Pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit.* SCHOTT. Auctoribus MSS. & priscis Editis verbum *est* post *dictus* delevimus, & in finem capitis rejecimus. Haun. legit: *Postea cum conjuge Tullia in exsilium actus est*, ut ad Tarquinium referatur.

CA-

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Cognomen moribus meretur, regno occupato Latinos & Sabinos domat, Sueſſam Pometiam rapit, Gabios in poteſtatem redigit, ferias Latinas inſtituit, in Circo foros, & cloacam facit, cum filio Lucretiae ſtuprum inferente in exſilium agitur, & Cumis reliquum vitae tempus exigit Tarquinius Superbus ſeptimus Romanorum Rex.

Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit. Occiſo Servio Tullio regnum ſceleſte occupavit. Tamen bello ſtrenuus, Latinos Sabinosque domuit, Sueſſam Pometiam Volſcis eripuit, Gabios per

1 *Superbus.*] Quia ſocerum gener ſepultura prohibuit. MACH. Verba ſunt *Livii* lib. 1. cap. XLIX. Attamen ob multa alia hoc nomen meruiſſe conſtat ex iis, quae attulerunt Viri docti ad *Florum* lib. 1. cap. VII. §. 1. *Propertius* lib. III. El. IX. verſ. 47.

Quid nunc Tarquinii fractas juvat eſſe ſecures,
Nomine quem ſimili vita ſuperba notat.

Et *Servius* ad *Virg.* lib. VI. Aen. verſ. 819. *Superbus* ſolet eſſe Epitheton illorum Regum, qui inpotenti dominatione in ſuos ſaeviunt, & conceſſa ſibi poteſtate abutuntur. *Livius* lib. IV. cap. XV. *Capite multatos ob ſuperbiam regiam.* lib. XXIII. cap. VII. *Phyrrhi ſuperbam dominationem, miſerabilemque Tarentinorum ſervitutem, exempla referens.* lib. XXIV. cap. V. & XXVIII. c. XLII. *Salluſtius* Bell. Catil. cap. VI. §. 7. *Apulejus* lib. IX. Met. p. 234. *Fruſtra eum ſuis opibus confiſum Tyrannica ſuperbia comminari. Juſtinus* lib. XXXIX. cap. 1. §. 5. *Nec Syris quemlibet Regem adſperantibus, ne Demetrii paterentur ſuperbiam.* lib. etiam XXXV. cap. II. §. 3. *Lactantius* lib. VII. Div. Inſt. cap. XV. prope fin. *Sulpitius Severus* lib. 1. Hiſt. Sacrae cap. XXXII. §. 5. *Dominationem Regiam & ſuperba imperia exponere.* & *Dict. Cretenſis* lib. IV. de Bell. Troj. cap. XXII. *Ceterum Priamum cuncta jura affinitatis proculcantem magis in ſuos ſuperbiam atque odium exercuiſſe.* Conſer Celeb. *Burmannum* ad *Petronium* in Sat. cap. XVIII. *Cognomine* legit Leid. ſec. ARNTZ.

Moribus.] MSS. *ex moribus* legunt, alii, *a moribus.* SCHOTT. *Florus: Cui cognomen Superbo ex moribus datum.* ANNA.

2 *Regnum ſceleſte.*] Nam per amicos peſſimos in capitales cauſas plures illuſtres viros adduxit. Primum quidem nuntios, qui Tullium regno excipere voluiſſent, deinde etiam ex caeteris, unde nihil aliud, quam praedam ſperare poſſet. MACH. *Sceleſte* regnum occupat, qui ſublato legitimo Rege vel regni herede, ſummam poteſtatem invadit. *Livius* lib. XL. cap. LVII. *Oppreſſit igitur nec opinantes, & regnum ſcelere partum invaſit.*

Latinos.] Facile eos ſibi conciliavit auctore Mamilio, ac Turno Herdonio feroci eorum duce e medio ſublato. MACH.

Sueſſam.] Pariſinus *Sceam Pom.* MSS. *Deam Pom.* Neſcio quid velint. Et pro *Etruſcis* Mediolanenſis *Volſcis*, cui emendatum jam locum referre acceptum convenit: non enim in *Etruria*, ſed in *Volſcis* urbs ea fuit, auctor *Plinius* lib. III. c. V. *Livius* quoque lib. 1. cap. LIII. *Is primus Volſcis bellum in ducentos amplius poſt ſuam aetatem annos movit, Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit.* Et *Strabo* lib. V. Σουεσσα (ita enim Graeci nominant) *Volſcarum* urbium matrem fuiſſe memorat. *Lycoſthenes* etiam ſic legendum cenſet: textus tamen nullam varietatem praefert. SCHOTT. Vulgati Libri *Pometiam Hetruſcis eripuit*, ſed *Volſcis* cum veteribus Libris probat etiam *Corvinus* ſup. 378, 26. & *Livius* lib. 1. SYLB. *Sceam* Haun. *Gramm.* & Lugd. ſec. *Sueſam Boend.* Male de Noſtro ſunt meriti, qui has voces diſtinctione a ſe ſeparārunt *Sueſſam*, *Pometiam*, cum conjuncte legendae eſſent. Vide *Gruterum* ad *Florum* lib. 1. cap. VII. & *Cellarium* in Geogr. Ant. lib. II. c. IX. Ceterum *Etruſcis* recipiunt ſine ulla varietate omnes Noſtri. Fortaſſe *Victor* hanc Sueſſae deſcriptionem hauſit ex antiquiori Scriptore, qui Volſcos & per conſequens Sueſſam inter Etruſcos numerabat, cum Volſcos olim ſubjectos fuiſſe imperio

per Sextum filium, ſimulato transfugio, in poteſtatem redegit, & 3 ferias Latinas primus inſtituit. Foros in Circo, & cloacam maximam fecit, ubi totius populi viribus uſus eſt. unde illae foſſae, Quiriti-

perio Etruſcorum ſcribit *Servius* ad *Virgilium* lib. XI. Aen. verſ. 567. Sed cum jam ante *Schottum Volſcis* ſine dubio ex MSS. in contextum receperit *Machaneus*, malui eos ſequi, quod poſteriores etiam fecerant Editores. ARNTZ.

Gabior.] A ſiniſtro Latinae viae latere, inter eam & Valeriam ſunt *Gabii* in via Praeneſtina. Ea urbs latomias habet, quae Romanis uſu ceteris praeſtant: diſtat aequali a Roma & Praeneſte intervallo. *Strab.* lib. V. ANNA.

Simulato transfugio.] Nam filius conſilio cum patre communicato *transfugit* ſaucius, verberatuſque virgis, ſanguine plenus, *ſimulavit* ſe a patre verberatum: benigne acceptus demum dux belli legitur. duxerat autem multos equites Romanos exſules tyrannidem fugere ſimulans, tandem re Gabinia in poteſtate habita nuntium ſecreto cum literis miſit, cui nihil pater reſpondit, ſed cacumina papaverum diſjecit: quo ſigno intellexit capita primorum civium truncanda. MACH.

Ferias Latinas.] Has *Dionyſius Halicarnaſſeus* lib. IV. omnium optime explicavit. *Tarquinius*, inquit, *propoſuit deſignare commune ſanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volſcorum, quo ad mercatum convenientes quotannis una epularentur, fruerenturque ſacris communibus. Locus conventui praeſtitutus eſt in meditullio fere harum gentium mons altus Albanis imminens, ubi ſingulis annis feriae celebrarentur, & eo temporis ſpatio propter loci religionem legemque de hoc latam ab omni vi temperarent omnes: Sacraque communiter Jovi Latiali facerent, & vacarent epulis, conſtituto prius, quantum quisque populus in ea ſacra praebere, quantamve portionem recipere debeat. Earum feriarum atque ſacrificii participes fuerunt tribus minus quinquaginta populi, quas noſtra quoque aetate Romani agitant, Latinas vocatas: conferuntque in eas populi ſacrorum participes quidam agnos, quidam caſeos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima eſt taurus unus communis omnium, de cujus viſceribus cuique populo ſua certa portio tribuitur, ſacrificatur autem pro omnibus, & Romani praeſunt ſacrificio.* ANNA.

3 *Locos.*] Emendatio haec a Mediolanenſi Libro eſt: locus enim ſoede ab Emendatoribus contaminatus circumferebatur, cum praeter rei veritatem *lacus* legerent Vulg. Libri omnes. Melius MSS. *Ludos*. *Locos* autem puto appellaſſe, quos *Livius* ipſe *foros*, id eſt, loca ſpectandis ludis fabricata. *Lacus* in circo fuerunt quidem alter major, alter minor; ſed longo poſt tempore effoſſi. *Dionyſ.* lib. III. SCHOTT. Pro *Locos* vulgati Libri habent *Lacus*. Duo Manuſcripti *Ludos*. Ad *locos* magis accedit, quod *Dionyſius Hal.* 246, 24. ſcribit Tarquinium τὸν ἱππόδρομον παχέσιν ὑποστέγοις περιλαβεῖν, id eſt, *circumtectis porticibus circumplexum eſſe*. SYLBURG. Nec Noſtri conveniunt. *Lacum Boend. Latus* Fran. *Lacus* Leid. ſec. *Foros in Lacus circo* Leid. pr. Ex more Librariorum, qui ſaepe variantes lectiones ſolent geminare, & utramque adponere, ut habeat Lector eligendi copiam. Vide *Salmaſ.* ad *Florum* lib. I. cap. XIII. §. 2. & cap. XXII. §. 1. *Dukerum* ad lib. II. cap. XVI. §. 3. *Victor.* ad *Ciceronem* lib. III. ad Fam. Ep. VIII. & paſſim. Neque dubium erit, quid potiſſimum ex hiſce duobus eligendum, cum *foros* facile praeferet is, qui *Livium* lib. I. cap. LVI. unquam inſpexerit: *Foros*, dicit, *in Circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum Urbis ſub terram agendam. Feſtus* in *forum: Fori ſignificant Circenſia ſpectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus.* Adeundus *Chimentellus* de Honore Bis. cap. XX. p. 2104. ARNTZ.

Cloacam maximam.] *Livius, Foros in Circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum urbis ſub terram agendam: quibus duobus operibus vix nova hac magnificentia quidquam adaequare potuit.* Erat haec *cloaca* ad Jovis Statoris in tres ductus diviſa, quorum duo poſtmodum clauſi ſunt: tertius per lacum Curtium ſub foro Romano, per Palatini montis radices in Velabrum aqua limpidiſſima fluebat, & inde canali e ſaxis quadratis exſtructo in Tiberim effluebat. Aliae fuere item *cloacae* a Tarquinio Priſco ſtructae, in quibus naves grandiores ultro citroque libero curſu commeare poterant. Bene illas deſcripſit *Vigener.* ad *Livium*. ANNA. De *Cloaca Maxima Gronevius* ad *Senecam* Exc. Controv. lib. III. Praefat. p. 428. Ed. Maj.

Quiritium.] Ad ſimilitudinem foſſae illius *Quiritium*, quae Anci Regis opus fuit. ANNA. *Quiritum* eſt in tribus Codicibus, nempe utroque modo hic formatur genitivus, verum optimi paſſim MSS. *Quiritium* malunt, nec fallunt hac in parte Poëtae: *Horatius* lib. I. Od. I.

Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus.

ritium fuit dictae. Cum Capitolium inciperet, caput hominis in- 4
venit, unde cognitum eſt, eam urbem caput gentium futuram. Et 5
cum in obſidione Ardeae filius ejus Lucretiae ſtuprum intuliſſet, cum
eo in exſilium actus, ad Porſenam Etruriae Regem confugit, cu-
jus

Et alibi. Conferatur *Sigon.* ad *Livium* lib. 1. cap. XXXIII. Sic *jus Quiritium* notum praeſertim ex JCtorum libris. *Cicero* pro Caec. cap. XXXIII. *Qui enim poteſt jure Quiritium liber eſſe is, qui in numero Quiritium non eſt.* Plures laudat Celeb. *Schultingius* ad *Ulpian.* tit. III. §. 1. & aliis eodem in libro locis, cujus operis laudes, cum praedicatione noſtra non indigeat, ſeri etiam nobiſcum extollent Nepotes. ARNTZ.

4 *Cum Capitolium.*] Male Franeq. *dum.* ſequente enim ſubjunctivo *cum* retinere oportet. Patet id ex iis, quae attulit Magnus *Gronovius* ad *Livium* lib. II. cap. XLVII. Clar. *Burmannus* ad *Phaedr.* lib. III. fab. X. verſ. 13. Eodem modo cap. praec. §. 19. peccarat idem Codex ſcribens: *dum domum rediret.* Hanc ob cauſſam faveo clariſſimis Viris *Ryckio* & *Dukero* apud *Florum* lib. III. cap. XII. §. 10. reſtituentibus: *dum ſpectaculis indulget.* Sed haec leviora videbuntur illis, qui aberrare, quam minutias tales obſervare malunt. ARNTZ.

Caput hominis.] Idem *Livius* ac *Dionyſius* aſſerunt. Recens videbatur *integra facie*, ac e conſulto Haruſpicum, Etruſcorumque reſponſum ibi caput mundi fore. MACH. *Toli* nomine: unde *Capitolium* dici coepit, quod ab *Arnobio* tantum proditum memini. ridicule ſane. eſt enim vocis productio *tolium*, ut *mentum* in teſtamento, teſte *Cicerone*. De Capitolii autem origine *Tacitus* lib. III. Hiſtor. Aug. extr. qui ad Tarquinium Priſcum refert. SCHOTT.

5 *Obſidio.*] Vulgo *obſidione*. Ego de MSS. omnibus repoſui *obſidio*. Sic enim ſine litura ſcripſerant auferendi caſu, ab *obſidium* generis neutrius. quo veteres Scriptores uſos frequenter *Feſtum* & *Nonium* teſtes habeo: quorum ille *Salluſtium* I. Hiſtoriarum laudat auctorem: *Magnis operibus perfectis* (ſic enim legendum) *obſidium cepit per L. Catilinam legatum.* Et *C. Laelium* in Orat. pro ſe ad populum. *Ut nobis terra marique ſimul obſidium facerent.* Hic vero *Ennium*:

Cum ſaevo obſidio magnus Titana premebat.

Sed de his vide, quae in Quinctium Cincinnatum notavimus copioſius. SCHOTT. Nec aliter *Plautus* in Bacchid. Act. IV. Sc. IX. verſ. 24.

Is Helenam abduxit, cuja cauſſa nunc facio
obſidium Ilio.

Florus lib. II. cap. VI. §. 5. *Itaque ad auditum ſociae Civitatis obſidium.* Notarunt alia *Keuchen.* ad *Frontinum* lib. III. Strat. cap. V. ex. 2. *Ryckius* ad *Tacitum* lib. XIII. Ann. cap. XLI. Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 21. Et Erud. *Cortius* ad *Salluſt.* Fragm. lib. IV. p. 986. Ita & hoc loco in prima Editione textum mutaverat *Schottus & Sylburgius*, quem ſequitur *Gaesbekiana* & illa *Pitiſci.* in poſteriore autem *Schotti* eſt *obſidione*, quod tuentur Editi olim & omnes Scripti, quamobrem nihil mutavimus. ARNTZ.

Ardeae.] Urbs Etruriae fuit ab augurio avis *ardeae* dicta, ſi credimus *Virgilio* in VII. Aeneid. ſcribenti.

- - - Quam dicitur urbem
Acriſioneis Danaë fundaſſe colonis,
Praecipiti delata noto: locus Ardea quondam
Dictus avis, & nunc magnum tenet Ardea nomen.

Refert autem Turnum in ea regnaſſe. Inde Ardeliones dicti, multa incipientes, nihil perficientes, & volantes in ſcientiarum apices, ignotis principiis. *Martialis*:

Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio.

MACH.

Lucretiae ſtuprum.] De hac narratione nonnullam inter *Dionyſium* ac *Livium*, & talem quidem obſervavimus differentiam. Graecus auctor ſentit Lucretiam acerbiſſime caſum ſuum ferentem, quam celerrime aſcendentem vehicula, Romam veniſſe, ubi ſe interfecit. Latinus pudiciſſimae matronae internecionem Collatiae factam ſcribit. De modo quoque aliquid intereſſe, ſolers conſiderabit Lector. *Ovidius* graphice II. Faſtorum deſcribit:

Cingitur interea Romanis Ardea ſignis,
Et patitur lentas obſidione moras.
Dum vacat, & metuunt hoſtes committere pugnam,
Luditur in caſtris, otia miles agit.
Tarquinius juvenes ſocios dapibusque meroque
Accipit: ex illis Rege creatus ait. & reliqua.

MACH.

Ad Porſennam.] Scriptura eſt MSS. omnium. *Silius*, *Martialis*, caeterique Poëtae corripiunt metri fortaſſis cauſſa.

Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Virgil. VIII. Aeneid. produxit: ubi *Servius* uno

6jus ope regnum retinere tentavit. Pulsus, Cumas concessit, ubi per summam ignominiam reliquum vitae tempus exegit.

n. *Porsenam* semper dictum ait. SCHOTT. Ex Nostris tamen multi *Porsenam*, & sic solere optimos Codices scribere dudum monuerunt Viri docti. *Pierius* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. vers. 646. *Vorstius* ad *Val. Max.* lib. III. cap. III. exemp. 1. & Cel. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. X. §. 1. Exempla ex Poëtis, ubi media corripitur, habet *Dausquius* de Orthogr. part. II. p. 246. Hoc loco quoque *Porsenam* ediderat *Machaneus*, *Aldus*, *Gryphius* & ceteri. ARNTZ.

Retinere.] Melius Libri veteres *recuperare*. SCHOTT. *Obtinere Boend.*

6 *Cumae.*] *Strabo:* sunt vetustissimum Calcidensium, & Cumaeorum aedificium. antiquitate enim cunctas, & Siciliae & Italiae, urbes antecellit. MACH. *Livius* de eo, *Mortuus est Cumis, quo se post fractas opes Latinorum ad Aristodemum Tyrannum contulerat.* ANNA.

Per summam ignominiam.] Vetus Codex non male *cum summa ignominia*. SCHOTT. Et sic ediderat *Machaneus*, quod facile admitti posset, cum eleganter ita loquantur *Sallustius* Jug. cap. XIV. §. 15. *Clausi in tenebris cum moerore & luctu morte graviorem vitam exigunt. Justinus* lib. XVI. cap. II. §. 7. *Cum magna rerum gestarum gloria moritur.* Adde, quae ad *Sall.* notavit Cel. *Cortius.* Attamen mutare nihil nolui, cum Scripti non mutent (de Nostris loquor) nec locutio haec alteri elegantia cedat, vel eodem illo *Sallustio* teste in Jug. cap. II. §. 4. *Per luxum atque ignaviam aetatem agunt.* ARNTZ.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Regiis nuribus in convivio & luxu deprehensis in lanificio offenditur, a Tarquinio Sexto corrumpitur, seipsam occidit, & vindicatur Lucretia L. Tarquinii Collatini uxor.

1Tarquinius Collatinus sorore Tarquinii Superbi genitus, in contubernio juvenum regiorum Ardeae erat; ubi cum forte in liberiore convivio conjugem suam unusquisque laudaret, placuit experiri.

1 *Tarquinius.*] Hoc & aliis locis, ubi haec vox occurrit, satis constanter Lugd. 1. nonnunquam etiam sec. & alii *Tarquinus* scribunt. Vitiose. Confer, quae attulit *Pierius* ad *Virgilium* lib. VI. Aen. vers. 818. & lib. VIII. vers. 646. *Dausq.* Orthogr. part. II. pag. 308. Sed id verbo monuisse sufficiat.

Sorore.] MSS. *ex sorore.* Hic *Livio* repugnat, qui Egerii filium facit Tarquinium Collatinum, & nepotem tantum Tarquinii Prisci ex fratre. Vide *Alex. Neapol.* lib. V. cap. XXVII. Genialium Dierum. SCHOTT.

Contubernium.] Nomen est militare, *Vegetio* auctore scribente. *contubernium autem manipulum vocabatur ab eo, quod conjunctis manibus pariter dimicabant.* Inde ad pacem translatum, quasi sub iisdem *tabernis* ac domibus comessales vivere soleant. MACH.

Ubi cum forte.] Parisinus & Agrippinensis. *Unde cum forte liberiore convivio.* SCHOTT. *In* non reperitur in Codice *Grammii* & Edit. *Annae.*

Conjugem suam.] *Ovidius.*

Quisque suam laudant: studiis certamina crescunt.

MACH. Non potuerat eo tempore consulere *Nasonem*, qui tutius praecepisset lib. I. Art. vers. 741.

Hei mihi non tutum est, quod ames, *laudare sodali,*
Cum tibi laudanti credidit, ipse subit.

Exem-

ri. Itaque equis Romam petunt. Regias nurus in convivio & luxu 2
deprehendunt, & inde Collatiam petunt. Lucretiam inter ancillas
in lanificio offendunt, itaque ea pudiciſſima judicatur. Ad quam cor- 3
rumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit, & jure pro-
pinquitatis in domum Collatini venit, & cubiculum Lucretiae ir-
rupit,

Exempla enumerare non eſt mei inſtituti. Notiſſimus eſt *Juſtini* locus lib. 1. cap. VII.

2 *In convivio.*] *Ovid.* II. Faſtorum.

Ecce nurum Regis fuſis per colla coronis
Inveniunt poſito pervigilare mero.

ANNA.

Et luxu.] Corrupti hic erant & interpolati Libri ſcripti, niſi quod *vel luſu comprehendunt* legiſſe videntur. SCHOTT. *Vel luſu* Fran. & *Gramm.* Non incommode ſane haec vox *luſu* retineri poſſet, quomodo & apud *Livium* lib. 1. cap. LVII. (unde haec videntur petita) conjecit magnus ejus Emendator *Gronovius: In convivio luſuque cum aequalibus viderant.* cum hodie habeatur *luxuque.* ſimiliter *Hyginus* fab. CVIII. *Ipſi noctu luſu atque vino laſſi obdormiſſent.* Nec ideo tamen *luxu* rejiciendum erit. Recte etenim *luxus* adhibetur de hilarioribus conviviis, in quibus ultra modum Baccho & Genio indulgetur, de conviviis, quae immodicis ſumtibus inſtructa ſunt. *Tacitus* lib. XV. Ann. cap. XXXVII. *Celeberrimae luxu famaque epulae fuere. Claudianus* Bell. Get. verſ. 367.

Nuncius in luxum falſo rumore reſolvit
Dum marcent epulis, atque inter vina choroſque
Perſultat vacuis effrena licentia tectis.

Sulpitius Severus Hiſt. Sacr. lib. II. cap. VI. §. 3. *Cum bis per luxum & licentiam regalis convivii promiſcue uxores concubinaeque uterentur. Suetonius* Tito cap. VII. init. *Suſpectu in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem etiam comeſſationes extenderet. Claudian.* Rapt. Proſ. lib. II. verſ. 326.

- - - *Gentesque ſepultae*
Luxuriant, epulisque vacant genialibus umbrae.

Cum *menſis luxum* jungit etiam *Lucanus* lib. 1. verſ. 162.

Praedaque & boſtiles luxum ſuaſere rapinae,
Non auro tectisque modus, menſasque priores
Adſpernata fames.

Quo loco pro *tectis* malim legere *textis*, ut de inſtrumentis aureis ſtratisque tricliniorum loquatur, adeoque de conviviis, quae omni genere luxus abundabant, quo vitio maxime laborabant poſteriora Reip. Romanae tempora. Sic *luxum, aurum & texta* ſeu ſtrata triclinii jungit *Virgilius* lib. 1. Aen. 641.

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratae veſtes, oſtroque ſuperbo,
Ingens argentum menſis.

Et lib. VI. Aen. verſ. 603.

- - - *Lucent genialibus altis*
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu.

Claudianus lib. 1. in Ruf. verſ. 206. & ſeqq. Sed ne aberremus. pari ſignificatione apud Graecos occurrit τρυφή. *Aelianus* lib. 1. Var. Hiſt. cap. XIX. *Herodianus* lib. 1. cap. VIII. §. 2. lib. II. cap. VII. init. & cap. XI. §. 3. Porro non novum eſt, voces *luſus* & *luxus* inter ſe confundi. Exempla vide apud *Gronov.* ad *Senecam* Hipp. verſ. 449. & ad *Livium* lib. 1. cap. V. *Colerum* ad *Valer. Max.* lib. VI. cap. IX. §. 5. ARNTZ.

Collatiam.] *Conlatiam* & *Conlatini* perpetuo MSS. habebant: Pariſinus & Colonienſis *Collatium.* SCHOTT. *Collatiam* Latii oppidum in via Tiburtina. ANNA. *Collatium* Fran. & *Boend. Collatina* Lugd. ſec. *Et inde* pro *exinde* ſcripſimus, volentibus ita omnibus Exaratis manu.

In lanificio.] Quod caſtae matronae argumentum. *Varro* de vita P. R. lib. 1. *Cum interea in lucubrando faceret juxta ancillas lanam. Terent.* in Andria.

Primum haec pudice vitam parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans.

SCHOTT. De Lucretia inter ancillas lanam faciente ſic *Enn.* lib. III.

Deducunt habiles radios filo gracilento.

ANNA.

3 *Collatiam.*] Simulavit negotium habere miſſitare. MACH. Pro *rediit, petit* habet Lugd. pr. *petiit* Lugd. ſec. & Hiun.

Et in cubiculum.] Sic vulgati, & Mediolanenſis, praeterquam quod praepoſitionem tolleret. Brevius MSS. omnes *& pudicitiam cubiculi expugnavit.* SCHOTT. Gemmam orationis abjecerunt inepti Librarii, admiſſo ſcabro lapide. Monuit enim *Schottus* noſter pro his omnibus haerere tantum in MSS. ſuis: *& pudicitiam cubiculi expugnavit*, qua ſcriptura nihil excogitari queat venuſtius. *Impudicum* quidem deinde eſſe coepit *cubicu-*

4 rupit, pudicitiam expugnavit. Illa poſtero die advocatis patre & conjuge, rem expoſuit, & ſe cultro, quem veſte texerat, occidit. 5 Illi in exitium Regum conjurarunt, eorumque exſilio necem Lucretiae vindicaverunt.

lum Lucretiae; ipſa vero neutiquam. Haec tam elegans lectio adeo ineptiit oculis *Sylburgianis*, ut vulgariſſima alioquin variantis ſcripturae diſcrimina annotare ſolitus, ne hujus quidem verbulo meminerit. GRUT. Receptam tuentur Noſtri, niſi quod quinque & Ed. *Mach.* particulam deleant. Sic ſcilicet optimo ſeculo Poëtae, & poſt etiam Proſae ſcriptores conſtruebant *irrumpere* cum quarto caſu ſine praepoſitione. *Ovidius* lib. XV. Met. verſ. 598.

Ille quidem potuit portas irrumpere apertas.

Cl. *Drakenborchius* ad *Silium* lib. II. verſ. 378. *Lucanus* lib. II. verſ. 327.

Pulſatae ſonuere fores, quas ſancta relicto
Hortenſi moerens irrupit Marcia buſto.

Tacitus lib. I. Hiſt. cap. LXXXIII. *Imperatoris ſui tentorium irrumpet.* Apud quem nihil eſt frequentius. Similia vide apud Nob. *Heinſium* ad *Claud.* Praef. lib. I. Rapt. Proſ. verſ. II. Cl. *Burmannum* ad *Valer. Flaccum* lib. II. verſ. 211. & *Torren.* ad *Valer. Maximum* lib. III. cap. II. §. 8. ſupra *jure propinquitatis domum* omiſſo *in* legit Lugd. prim. ARNTZ.

Pudicitiam expugnavit.] Poſtquam nec precario, nec pretio obtinuit, dixit, te occidam, famulumque unum mactans ponam ſimul corpora veſtra, dicam quod indecenter te in complexu deprehendens ſervi ſupplicio vos affecerim, injuriam cognati perſequens. Ita ut turpem finem probrique plenum ſubeas, nec honore ſepulturae corpus tuum dignetur. *Ovidius*,

Interimam famulum, cum quo deprenſa fereris,
Succubuit famae victa puella metu.

MACH.

4 *Rem expoſuit.*] His fere verbis, quae e Bruto *Caſſii* (vel ut *Scaliger* emendat *Attii*) *Varro* profert lib. VI. de L. L.

Nocte intempeſta noſtram devenit domum.

SCHOTT. *Convocato* Leid. pr.

Texerat.] *Geſſerat* MSS. noſter. Nihil muto. *Virgilius*,

Aperit ramum quem veſte tegebat.

SCHOTT. *Texerat* conſtanter retinent Scripti, & ita oportebat. Certe *Valerius Maximus* hanc hiſtoriam referens ſcribit lib. VI. cap. I. exemp. I. *Ferro ſe, quod veſte tectum adtulerat, interemit. Livius* lib. XXVI. cap. XV. *Atque ita gladio, quem veſte texerat, per adverſum pectus transfixus. Apulejus* lib. II. Met. p. 129. *Statim denique gladium, quem veſte mea contectum ad hos uſus extuleram. Arnobius* lib. V. adv. Gentes p. 166. *Priusquam veſte velaret & tegeret. Virgilius* Ciri verſ. 280.

- - - *Aperit ferrum, quod veſte latebat.*

Pro ſcripta tamen lectione ſtat *Juſtinus* lib. VII. cap. III. §. 6. *Ferro, quod ſub veſte gerebant, compeſcere jubet.* & lib. XXXVIII. cap. I. §. 9. *Cum ferrum occultatum inter faſcias gereret.* ARNTZEN.

5 *Illi in exitium Regum.*] Brutus Collatinus & Lucretius. MACH. *Reges* hic ſunt Rex cum filiis. Notum enim eſt *Rex* vel *Regina* dici de Regis filiis, uti *Ovidius* Ep. XII. Her. verſ. 1.

At tibi Colchorum, memini, Regina vacavi.

Livius lib. XLII. cap. XXIV. in fine de Guluſſa filio Maſiniſſae: *Ita Regulus Carthaginienſesque dimiſſi. Virg.* lib. I. Aen. verſ. 273. *Servius* ad *Virg.* Ecl. III. verſ. 106. Erud. *Abrahamus Gronovius* ad *Juſtinum* lib. VI. cap. I. §. 5. Cl. *Burm.* ad *Val. Flacc.* lib. I. verſ. 174. & lib. VI. verſ. 657. ARNTZ.

Vindicaverunt.] Vindictam fecerunt. nam *vindicare* ad ſe trahere ſignificat. MACH.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Stultitiam fingit, terram matrem oſculatur, in Regum exitium conjurat, ſuos fratresque

trisque filios securi percutit, cum Arunte congressus cadit, laudatur, & lugetur L. Junius Brutus Romanorum consul primus.

L. Junius Brutus sorore Tarquinii Superbi genitus, cum eandem 1
fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divitias & prudentiam fuerat ab avunculo occisus, stultitiam finxit, unde Brutus dictus. Juvenibus regiis Delphos euntibus deridiculi gratia 2
comes

1 *L. Junius.*] Vulgati Libri, *Junius Brutus*, sine praenomine. SYLB. Atque ita *Boend.* & Leid. uterque.

Brutus.] Quasi *brutorum* vitam imitans: *Ovidius*,

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.

Unde a Graecis *Elithius* dictus, id est, stultus. MACH. Nihil aliud est quam tardus, seu gravis, *qui a l'esprit pesant, lourd*, Graece βραδὺς, *Terentius*: *Hoi tardus es. Horatius*: *Bruta tellus.* ANNA.

Sorore.] Rursus *ex sorore* quidam legunt: sequiturque suo more *Livium*. *Dionysius* enim amitam Superbi Tarquiniam facit, unde Brutum natu grandiorem, cum Tarquiniis, liberis regiis Delphos profectum colligi potest. Non me fugit, incertam esse & multis retro saeculis controversam genealogiam Regum Romanorum. *Livius* enim Superbum Prisci filium facit, *Dionysius* ex filio nepotem fuisse argumentis, ac temporum ratione astruit, quem plerique omnes sunt sequuti. *Laurentii* tamen *Vallae* longam pro *Dionysii* sententia adversus Patavinum Scriptorem disputationem *Andreas Alciatus* J. C. insignis oppugnat lib. Παρεργῶν cap. VIII. Nam *Pomponii* D. l. 2. de Origine Juris, Tarquinium Superbum Damarati Corinthii filium affirmantis jampridem explosa sententia est, cum nepos tantum fuerit, si *Livium* sequimur: sin *Dionysium*, abnepos. Quidam igitur sic legerunt: *illis temporibus, quibus Tarquinius Damarati Corinthii filius.* quam ego, nisi a MSS. est, non temere recipio. vulgatam tueor parva immutatione facta: *quibus Superbus Damarati Corinthii filii F.* Sic enim unica litera filium MSS. fere repraesentant, quod cum Librarius ignoraret, audaciter omisit. *Zazii* enim, aliorumque nimis coacta purgatio est. Filii verbo hic nepotem contineri, quod ll. permittunt. l. *Filii* appell. & l. *Justa.* D. de Verb. Signific. Nam historica hic narratio est, quae vocum proprietatem sibi vindicat, non alio vi quadam detorta verba. Vide *Erici Glareani* viri optime de historia Romana meriti tabulam familiae hujus regiae in *T. Livio.* SCHOTT. Paullo post, *cum fortunam timeret, quam frater*, habet Fran. & *Boend.*

Prudentiam.] *De imprudentia* constanter in MSS. SCHOTT.

2 *Delphos euntibus.*] Causa potissima eundi fuit, quia anguis e lignea columna lapsus adeo Regem terruerat, ut legatos miserit *Delphos* ad oraculum Apollineum consulendum, quibuscum Brutus ludibrii causa profectus est. *Delphi* urbs est in radicibus Parnassi, ubi pendebat umbilicus, signum eam urbem in medio conditam Graeciae, auctore *Strabone* nono Cosmographiae suae. MACH.

Deridiculi.] In MSS. est, ubi vulgo *ridiculi*. *Deridiculi gratia* uti *Plautus* loquitur in Amphitrione:

Quid obsecro tu me deridiculi gratia sic salutas?

Ibidem etiam *ridiculi causa* dixit. Et in Pseudolo, *verba per deridiculum dare.* SCHOTT. *Ridiculi Boend.* Lugd. pr. Haun. & *Gramm.* & cum his vetustae Editiones. *deridiculis* Leid. sec. Porro pro *comes adscitus* Leid. sec. legit *omnis accius.* Leid. pr. *Boend.* & Haun. *comes accitus.* Fran. *Actitus.* unde fortasse refingendum *comes additus.* Hic enim sequitur *Livium* lib. 1. cap. LVI. *Comes his additus L. Junius Brutus. Claudianus* lib. 1. de Rapt. Pros. vers. 229.

Pallas & inflexo quae terret Maenala cornu
Addunt se comites.

Virgilius lib. 11. Aen. vers. 339.

comes adſcitus, baculo ſambuceo aurum infuſum Deo donum tulit. 3 Ubi reſponſum eſt, eum Romae ſummam poteſtatem habiturum, qui 4 primus matrem oſcularetur; ipſe terram oſculatus eſt. Deinde propter Lucretiae ſtuprum, cum Tricipitino & Collatino in exitium 5 Regum conjuravit. Quibus in exſilium actis, primus Conſul creatus, filios ſuos, quod cum Aquiliis & Vitelliis ad recipiendum in urbem

Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus armis
Aepytus.

Seneca Herc. Oet. verſ. 952.

- - - Adde me comitem tuis,
Threicia Conjux, ſceleribus.

Quamvis & vulgata defendi poſſit, ut *Apulejus* lib. VI. Met. p. 184. *Comitibus adſcitis, qui vulnerati remanſerant, actutum recurrunt.* Et hoc jam malim, quam quidquam mutare. Vide eodem modo in hac voce variantes Librarios apud *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XLVII. §. 1. & *Schefferum* ad *Juſtinum* lib. XXII. cap. 1. §. 6. *Eumenii* Paneg. in Nat. Urbis Trevir. cap. XV. §. 6. *Qui ab illo fuerat frater adſcitus.* & *Auſonius* Paneg. cap. III. *Inſtar filii ad imperium frater adſcitus.* pro *infuſum* legit Hiun. *infixum.* Vtiose. Confer *Stephanium* ad *Saxonem Grammaticum* Hiſt. Dan. lib. III. in fine. *Quod poſtmodum igni liquatum clam cavatis baculis infundendum curavit. Incluſum* dixit *Valer. Max.* lib. VII. cap. III. ex. 2. ARNTZ.

Sambuceo.] Aliter *Livius. Aureum baculum incluſum corneo cavato ad id baculo tuliſſe donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii.* ANN.

Deo.] Apollini. ANNA.

Donum tulit.] Sic impreſſi. MSS. vero *dono intulit.* & infra *dignitatem*, alii *poteſtatem* praeferunt. SCHOTT. Alios longe Codices vidit & ad partes ſaepe vocat *Schottus*, quam Noſtri ſunt. unanimi enim conſenſu omnes: *donum tulit*, & *ſummam poteſtatem*, quod etiam praefero, licet non multum interſit. Haec eadem oraculi verba referens *Val. Max.* lib. VII. cap. III. exemp. 2. *Penes eum ſummam urbis noſtrae poteſtatem futuram. Livius* lib. XXXVI. cap. XI. *Penes quem tum ſumma poteſtas erat, in ſuam ſententiam adduxerat.* & ſaepius alibi.

3 *Ipſe terram oſculatus.*] Ut communem omnium Parentem. *Virg.* XI. Aen. initio:

Non jam mater alit tellus.

Homerus & *Pindarus* ſaepius γῆ μήτηρ. *Suet.* Caeſare cap. VII. *Quando Mater, quam ſubjectam ſibi vidiſſet, non alia eſſet, quam terra, quae omnium parens haberetur.* & Tiberio LXXV. *Pars terram matrem Deosque Manes orarent.* Vide *Plinium* lib. II. cap. LXIII. Sed quam terram audito oracu'o oſculatus ſit, quaeri video. Delphicam *Plinius* ait lib. XV. cap. ult. Italicam *Livius* lib. I. & *Dion. Halicarnaſſ.* lib. IV. & *Ovidius* lib. II. Faſt. Plerique non explicant. SCHOTT. De Italia, id quod rei etiam convenientius eſſe videtur, intellexit hoc *Servius* quoque ad *Virg.* lib. III. Aen. verſ. 96. cum ſcribit: *qui primus matrem reverſus oſcularetur.* Utique hoc intelligendum eſt, cum iterum Italiam perveniſſent. Et nota ſunt, quae paſſim de *Terra Matre* tradidere Veteres. Ex multis evolve *Dict. Cretenſem* lib. V. de Bell. Troj. cap. X. *Servium* ad *Virg.* lib. II. Georg. verſ. II. & lib. IV. Aen. verſ. 178. & Comment. ad *Petronium* Sat. c. XXXIX. ARNTZ.

5 *Filios ſuos, fratrisque.*] Vox *fratrisque* non ſolum in MSS. ſed & in Pariſino afuit, pro quo illi, *eo quod*, legebant. SCHOTT. Cum non agnoſcatur vox *fratrisque* a *Schotto* tribus Codicibus calamo exaratis, neque ejus ullum ſit veſtigium in Palatinis, injurie nimis adhuc retinetur. Eat ergo deinceps Morboniam. falſa enim eſt, nedum ſupervacanea. GRUT. Cum Erud. *Gruterus* quatuor Codicum teſtimonio *Fratrisque* relegare non dubitaverit, potiori & ego jure in eandem ei ſententiam ire poſſum, cum ſex Scripti, quibus uſi ſumus, quatuor iſtis accedant. Neque *filios* fratris ab eo eſſe interfectos apud alios proditur, qui Bruti liberorum tantum meminerunt. *Servius* ad *Virgilium* lib. VI. Aen. verſ. 819. & quos laudat *Cameri* ad *Florum* lib. I. cap. IX. §. 5. Si retinenda fuiſſet haec vox, non *fratrisque*, ſed *fratresque* ſcribendum fuiſſet. Id enim etiam alii teſtantur, non ſolum filios ſuos, ſed duos praeterea uxoris ſuae fratres juſſu ejus eſſe necatos. *Auguſtinus* lib. III. de Civ. Dei c. XVI. *Occiſis a ſe ipſo primitus filiis ſuis, & uxoris ſuae fratribus.* Ubi adeundus *Leon. Coqueus.* Sed neque *Fratresque* ferendum, quum illi fratres erant ii ipſi, qui ſtatim ſequuntur, *Vitellii.* Confer *Livium* lib. II. cap. IV. ARNTZ.

Aquiliis.] *Aquilii* erant filii ſororis Collatini collegae. MACH.

Vitelliis.] *Vitellii* ſororii erant Bruti. MACH.

Ad recipiendum.] E bona illa veteri latinitate. ANNA.

urbem Tarquinios conjuraverant, virgis caesos securi percussit. De- 6
inde in praelio, quod adversus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinii congressus se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Cujus corpus in foro positum, a collega laudatum, ma- 7
tronae anno luxerunt.

ANNA. *Recipiendos* habet Lugd. pr. haud dubie a Librario, cui durior haec videbatur constructio. Mira enim saepe Librarios invasit libido mutandi, detruncandi ea omnia, quae a vulgaribus Grammaticorum regulis paullulum recedebant. Sed sic optimos quosque locutos esse Scriptores, innumera exhibent exempla. *Manilius* lib. I. vers. 10.

Das animum viresque facis ad tanta canendum.

Cicero Orat. III. in Catil. cap. VIII. *Neque res ulla, quae ad placandum Deos pertineret, praetermissa est. Livius* lib. VII. cap. V. *Nullis domi militiaeque ad conciliandum gratiam meritis.* & lib. XXVI. cap. XLIII. *Ad urbem unam oppugnandum si quis vos adductos credit. Caesar* lib. I. Bell. Civ. cap. XXXIV. §. 2. *Profectum item Domitium ad occupandum Massiliam. Seneca* lib. I. de Benef. cap. 2. *Quin non opus est ad liberandum fidem facultatibus. Suetonius* in Galba cap. XVIII. §. 5. *Ad ornandum fortunam suam Tusculanam.* Ubi non sequor Excerpta *Vossiana*, quae *ornandam* praeferunt, praeterquam quod sonum auribus ingratiorem efficiant. *Frontinus* lib. IV. Strateg. cap. V. ex. XXI. *Cohortati ad patiendum fortiter mortem.* Ubi eodem errore MSS. *patiendam* nobis obtrudunt. Adde *Fabrum* ad *Justinum* lib. XII. cap. II. §. 3. *Stephan.* ad *Saxonem Gramm.* Hist. Dan. lib. V. p. 116. & Erud. Comment. ad *Florum* lib. I. cap. IX. §. 4. *in urbe* uterque Lugdunensis, quod non negligendum fortasse. ARNTZ.

Conjuraverunt.] Ut altius intelligatur hoc facinus: coenati forte apud Vitellios *conspirati* fuerant, ut *Livius*, sed, ut *Dionysius*, apud Aquilios. Interim vero servorum quidam vini praebitor ex urbe Caenina captivus, cujus nomen erat *Vindex*, suspicatus hos viros aliquid moliri pravi ob ministrorum ablegationem, solus foris restitit ad ostium, Sermonesque eorum percipiens, & literas ab omnibus scriptas vidit, ad compaginem quandam ostii perspicuam visum adhibens, ac egressus rem detulit ad consules, ut Patavinus Scriptor ait: ut *Halicarnassaeus*, ad Valerium, qui postea Poplicola dictus: quo facto; & per magistratus, maxime a Bruto sumpto de reis supplicio, tandem ejecti legati Tarquinii, Collatinusque in exsilium missus, atque Regibus penitus amplius redeundi desperatio facta. MACH. Sequenti paragrapho *Aronte* Leid. sec. *Boend.* & Haun.

6 *Se ambo.*] Lego: *congressus est, ubi ambo mutuis vulneribus ceciderunt.* Levis in speciem emendatio, quae Libris antiquis debetur, lucem & venustatem addens orationi, cum antea legeretur: *se ambo mutuis vulneribus occiderunt.* Ceterum de Origine funebrium laudationum *Plutarchus* disserit in Poplicola, & nuper summae Vir accurationis *Jo. Kirchmannus* lib. II. de Funeribus Rom. cap. XVIII. SCHOTT. Et hoc loco a *Schotto* discessimus, cum expressam lectionem defendant omnes Scripti & Editi, cum *Eutropio* lib. I. cap. X. *In prima pugna Brutus & Aruns Tarquinii filius invicem se occiderunt.* & *Floro* lib. I. cap. X. *Donec Aruntem filium Regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere exspiravit.*

7 *A collega laudatum.*] Constat apud Romanos hanc primam orationem funebrem recitatam, inde exordium fuit orationem post mortem clarissimorum virorum factam in exsequiis praedicare, etsi prius Athenienses laudem funeream legi praeposuerant his, qui novissime pugnando in Artemisio, Salamine, Marathone, Plateis pro patria occubuerant. MACH.

Luxerunt.] Pullis ac atris vestibus indutae fuerunt. MACH. Non recte *anno* desideratur in Lugd. pr. quod adesse debet. *Eutropius* lib. I. c. X. *Quasi communem Patrem per annum luxerunt.* & cap. XI. *Quem Matronae, sicut Brutum, annum luxerunt.* Adde *Grang.* ad *Juven.* Sat. VIII. vers. 267. *Livium*, alios.

CA-

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Porſena Tarquinios reſtituere tentante pro ponte ſublicio ſtat, eumque illo interrupto in Tiberim decidit, ad ſuos tranſnat, & ſtatua poſita donatur Horatius Cocles.

1 Porſena Rex Etruſcorum, cum Tarquinios in urbem reſtituere tentaret, & primo impetu Janiculum cepiſſet, Horatius Cocles [illo cognomine, quod in alio praelio oculum amiſerat] pro ponte ſublicio ſtetit, & aciem hoſtium ſolus ſuſtinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit, & armatus ad ſuos

1 *Porſena.*] Poſt bellum a Romana libertate geſtum contra Vejentes ac Tarquinienſes arma Regibus reſtituendis capeſſentes. In quo haud dubie Romani ſuperiores exſtitere, potentiſſimus Etruriae Rex defenſionem atque proelium pro Tarquiniis ſuſcepit, & illico infeſto exercitu Romam accelerat, non impetratis a ſenatu Romano per legatos quae volebat. MACH.

Janiculum.] A *Jano* dictum, ut Janualis porta, de qua ita Janus primo Faſtorum:

Arx mea collis erat, quam vulgus nomine noſtro
Nuncupat; haec aetas Janiculumque vocat.

MACH.

Cocles.] De *Coclitis* nomine vide *Plinium* lib. XI. cap. XXXVII. *Varro* lib. VI. de LL. *Ab oculo Cocles, quaſi Ocles dictus, qui unum haberet oculum. Scaliger* tamen a κύκλωψ ſic dictum putat. SCHOTT.

Pro.] Id eſt, ante. MACH. Uti *pro roſtris, pro tribunali* & alia. Confer. Cl. *Gronov.* ad *Juſtinum* lib. III. cap. V. §. 9. Nobil. *Heinſius* ad *Albin.* Eleg. de Morte Druſi verſ. 288. Cel. *Burmannus* ad *Val. Flaccum* lib. IV. verſ. 110. & Erud. *Cortius* ad *Salluſtium* Catil. cap. XVIII. §. 8.

Ponte.] *Pons* pedes 600. a Palatino diſtans. Omnium Tiberinorum *pontium* primus, quippe ab Anco exſtructus, hodie nullus. ANNA.

Sublicio.] MSS. hic variant. unus *Sulpitio* habebat, & ſupra adſcriptum *ſubſilicio Tiberis:* alter *Sublicio.* Dicitur autem a *ſublicibus*, id eſt, trabibus magnis inter ſe connexis. *Licio* enim antiquis connectere ſignificabat. & *ſublicas* trabes illas dixerunt quae invicem colligantur. Graeci Romanarum rerum ſcriptores ξυλίνην γέφυραν, id eſt, ligneum pontem appellant. SCHOTT.

Solus.] Ita pleniores Libri veteres. SCHOTT. Imo cum Spurio Lartio ac Tito Herminio: ſed *eos* Horatius *poſt primam periculi procellam exigua pontis parte relicta, in tutum cedere coegit.* ANN. Ut inutilem tamen hanc vocem rejecerant aliquot Noſtri. Addit *Horat.* lib. II. Ep. I. verſ. 1.

Cum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus.

Servius ad *Virgilium* lib. VIII. Aen. verſ. 646. *Solus Cocles hoſtilem impetum ſuſtinuit. Florus* lib. I. c. X. §. 4.

Suſtinuit.] Mediolanenſis *ſubſtinuit*, ut fere in Tarquinio Priſco. Iidem mox illud *ſtatim* adjiciunt. SCHOTT. *Subſtinuit* uterque Leid. & *Boend.*

Cum quo ſtatim.] *Tum quo Gronov.* illud *ſta-*

tim

fuos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum, quantum 2 uno die arari potuiſſet. Statua quoque ei in Vulcanali poſita.

tim nullus agnoſcit, quare neque nos recepimus. At nemo, quod ſciam, e Veteribus tradidit, eum in Tiberim *decidiſſe*, verum omnes in fluvium *defiluiſſe* reliquerunt, quare mallem: *Tum in Tiberim defiluit*, vel, *tum ſe in Tiberim dejecit*. Illud potuit habere a *Livio* lib. II. cap. X. *Ita ſic armatus in Tiberim defiluit*. Hac vero ratione *Frontinus* lib. III. Strat. cap. XIII. ex. 5. *Audito deinde fragore pontis abrupti, dejecit ſe in alveum. Se in Tiberim miſit* dixit *Valerius Maximus* lib. III. c. II. exem. I. Tuetur tamen ſe vulgata hoc *Sidonii Apoll.* loco carm. V. verſ. 72.

\- - - *Nec ponte ſoluto*
Cum caderet, cecidit.

ARNTZ.

Transnavit.] Scribo auctoribus libris Scriptis, cujus praepoſitionis elegantiam Librarii multis in locis corruperunt. Non longe abiero: In *Suetonii* Caeſare cap. XX. in antiquis libris *transduxit* reperi, & in Octavio cap. II. Apud *Caeſarem* I. Bell. Gall. *Multitudinem Germanorum in Galliam transducat*. Ibidem & *transdidiſſet*, *transdere* ſaepe pro tradere. Sed exemplis congerendis ſupersedeo. Apud *Plinium* Nat. Hiſt. lib. VIII. cap. XXXII. quod propius ad rem facit, in MSS. de cervis, *maria transnatant, gregatim natantes*, ubi vulgati *tranant*. SCHOTT. Aliter tamen ſentit *Pierius* ad *Virg.* lib. IV. Aen. verſ. 245. *Tranavit* hoc loco uterque Leid. *Transmeavit* Fran. *Transnatavit* Haun. Eodem modo & in hac & in aliis vocibus diſſentiunt Codices, ut tutius credam utrumque admittere. *Guntherus Ligur.* de Geſt. Barbar. lib. II. verſ. 431.

Non tam flumineas tranſit, quam transnatat undas.

Vide *Gronovium* ad *Livium* lib. XXVII. cap. XXIX. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. IV. verſ. 489. & *Torren.* ad *Valerium Max.* lib. I. cap. VIII. exem. 2. ARNTZ.

2 *Ob hoc ei.*] *Grata erga tantam virtutem civitas fuit: ſtatua in comitio poſita; agri quantum uno die circumaravit, datum. Livius* lib. II. ubi obiter dicam pro *circumaravit* legendum *circumararet*. ANNA.

Circumarari.] *Ambire* MSS. omnes: Pariſinus & Agrippinenſis *arari*. SCHOTT. *Arari* Leid. 2. *Boend.* Haun. & *Gramm. arare vel arata* Fran. *circum arari* Leid. pr. Vicit apud me plurimorum Codicum conſenſus. Ceterum poſt *datum* delevimus verbum ſubſtantivum *eſt* faventibus Scriptis & *Machanei* Editione. ARNTZ.

Vulcanali.] Videlicet, teſte *Livio*, in Comitio. *Vulcanalia Varro a Vulcano, quod ei tum feriae, & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit*. MACH.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Purpuratum pro Rege, cujus necem repromiſerat, deceptus occidit, dexteram aris imponit, pratis & ſtatua donatur C. Mutius Scaevola.

Cum Porſena Rex urbem obſideret, Mutius Cordus, vir Roma- 1
nae conſtantiae, Senatum adiit, & veniam transfugiendi petiit, necem

1 *Obſideret.*] Fran. *poſſideret*, quomodo *Mamertinus* Paneg. Julian. cap. IV. §. I. *Antiquiſſimasque urbes barbari poſſidebant. Claudianus* lib. III. Conſ. Honor. verſ. 66.

Barbarus Heſperias exſul poſſederat urbes.

Lucanus lib. VII. verſ. 710.

Adſpice poſſeſſas urbes.

Caeſar lib. I. Bell. Gall. cap. XXXIV. §. 3. *Livius* lib. XXXI. cap. XXXI. *Urbem, ad quam defendendam miſſa erat, per ſcelus poſſedit*. Sed tamen nondum Porſena urbem occupaverat, ſed ejus tantum faucibus inminebat, niſi *poſſideret* ſumas pro ita clauſam tenebat, ut poſſidere videretur, cum nulla fere in armis ſpes ſupereſſet. Sed nihil erit

2 necem Regis repromittens. Accepta poteſtate, in caſtra Porſenae
3 venit, ibique purpuratum pro Rege deceptus occidit. Apprehenſus, & ad Regem pertractus, dextram aris inpoſuit, hoc ſupplicii
4 a rea exigens, quod in caede peccaſſet. Unde cum miſericordia Regis abſtraheretur, quaſi beneficium referens, ait, trecentos adver-
5 ſus eum ſimiles conjuraſſe. Qua re ille territus, bellum acceptis ob-
6 ſidibus depoſuit. Mutio prata trans Tiberim data, ab eo Mutia ap-
7 pellata. Statua quoque ei honoris gratia conſtituta eſt.

innovandum. In praecedentibus poſt *Porſena* vocem *Rex* delevimus cum omnibus Scriptis. Editi legunt *Porſena Rex cum*. ARNTZ.

Mutius Cordus.] Poſt uſtam enim manum dictus eſt *Scaevola*, quaſi a *ſcaeva*, id eſt, ſiniſtra, & *vola*, id eſt, concavitate: nam dextra inhabilis erat. *Scaevi* enim, *Ulpiano* Juriſconſulto auctore, *dicuntur, qui ſiniſtra manu pro dextra utuntur*. MACH. *Scaevola* vel, ut lapides Capitolini, *Scaevula*, in Libris antiquis non comparet. Poſt enim *Scaevula* appellatus ἀπὸ τῦ σκαιῦ, id eſt, ſiniſtro & laevo. Qui hic *Codrus* fecerunt (*rumpantur ut ilia Codro*) imperite & audacter, ſomniarunt ducem Athenienſem: qui ſe quoque pro patria devovit. SCHOTT. *Scaevola* occurrit tantum in Haun. quinque autem pro *Cordus corde*, ut ſit ablativus pro animo. Male. *Cordus* non inauditum eſt in Rep. Romana nomen. *Voſſius* in Etym. hac voce. *Harduinus* Numm. Popul. p. 532. & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. VIII. verſ. 715. *A. Cremutius Cordus* e *Seneca* eſt hodie notiſſimus. Facit ejus mentionem in Conſol. ad Marc. cap. I. cap. XXII. & alibi eodem in libello. *Valerius Cordus* apud *Lampridium* Alex. Sev. cap. III. *Cordes* edidit *Machaneus*. *Codrus Aldina* Editio, quod monuit etiam loco laudato *Voſſius*. Sic Editiones variant apud *Martial.* lib. V. Epigr. XXIV.

Aut meus ante omnes Cordus haberet Equum.

Alii *Codrus*, quod ibi etiam rectius videtur ex lib. II. Ep. LVII. & lib. V. Epigr. XXVII. Nec tamen omnes eadem ſentiunt inter ipſos Antiquos de variis nominibus noſtri *Scaevolae*. Vide *Plutarchum* in Poplic. p. 106. ARNTZ.

Senatum adiit.] *Metuens, ne ſi conſulum injuſſu & ignaris omnibus iret, forte deprehenſus a cuſtodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortuna tum urbis crimen affirmante, Senatum adiit. Livius.* ANNA.

Repromittens.] Pro ſimplici *promittens*: vel potius valet, *pro impetrata venia promittens*. EAD.

2 *Purpuratum.*] Scribam, qui eum Rege pari ornatu ſedebat. EAD.

3 *Aris.*] Nam *aeae* in principiis caſtrorum, ubi Aquilae, &c. EAD.

Ab ea.] Repone, *a rea*, quae germana lectio eſt: manum enim puniendam, quod erraſſet, cenſuit, quo ſorte pertinet illud *Martialis:*

Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Plura *Seneca* Epiſt. XXIV. *Lactantius* Inſtitut. lib. V. cap. XIII. SCHOTT. Vulgati Libri *ab ea*, ſed MSS. rectius *a rea*, id eſt, culpae obnoxia. SYLB. *Ab ea* vulgo Editi, melius *Machaneus* & Scripti, ut volebat *Schottus*, non paullo elegantius, quare verſu ſequenti ad hanc rem reſpiciens, dicitur *peccaſſe* manus, propter quod ipſe *ſupplicium exigeret*. *Sidonius Apollinaris* Carm. V. verſ. 76.

\- - - *Nam corde gelato*
Scaevola, & oppoſito dextram damnaverat *igni*
Plus felix peccante *manu.*

Seneca de Provid. cap. III. *Dextra ignes hoſtium premit, & ipſe a ſe* exigit *erroris ſui* poenas. Et Epiſt. XXIV. Poenas *a ſe irriti conatus* exigentem *ſpectator diſtillantis in hoſtili foculo dextrae ſtetit.* Solus Haun. apud *Victorem* alio ſenſu, ſed tamen corrupte legebat: *hoc ſupplicii exigens ara*. ARNTZEN.

4 *Abſtraheretur.*] Quidam libri, *diſtraheretur*. SYLB. Et ita editio *Machanei*, male.

Trecentos - - - conjuraſſe.] Quod falſum erat, ſed ad incutiendum terrorem talia dicebat. MACH.

Acceptis obſidibus.] Primo *Halicarnaſſeus* adfirmat eum conſultaſſe, quomodo inſidias vitaret, Aruntemque ejus filium juſſiſſe, ut amicos pro hoſtibus ſibi Romanos faceret. MACH.

Mutio prata.] *Patres C. Mutio virtutis cauſa trans Tiberim agrum dono dedere, quae poſtea ſunt Mutia prata appellata. Livius.* ANNA. *Prata omnia ſunt illi* Codex Haun. *Mucio Proca trans* Leid. ſec. Porro Mutium propter errorem de ſe poenas inperterrito vultu ſumentem vide apud *Auguſtinum* in Gemmis Ant. part I. Gemm. 156.

CA-

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Porſenae caſtris obſes egreditur, equum arripit, Tiberim trajicit, a Porſena repetita redditur, cum virginibus puerisque in patriam dimiſſa redit, & ſtatua poſita ornatur virgo Cloelia.

Porſena Cloeliam virginem nobilem inter obſides accepit, quae deceptis cuſtodibus, noctu caſtris ejus egreſſa, equum, quem fors dede-

1 *Cloeliam.*] *Coeliam* Veteres quidam ſcribunt, quomodo & *Nonius* in dictione *Nare. Virg.* lib. VIII. Aen.

Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.

SCHOTT. *Coeliam* etiam Leid. ſec. & *Aldus. Clodiam* Fran. *Cocliam Boend.* & *Gramm.* Verum hodie de veritate ſcripturae non dubitatur, cum omnes norint *Cloeliam* eſſe ſcribendum.

Inter obſides.] Abſurdum, & a pudore virgineo alienum videri queat, *obſides* puellas datas, niſi *Cornelius Tacitus* idem ſcriberet libro de Germaniae Populis, efficacius obligari animos civitatum, quibus inter *obſides* puellae quoque nobiles imperantur. SCHOTT. Sequiorem etiam ſexum oppignerari ſolitum, conſtat ex *Athenaei* libro XII. Deipnoſoph. *Polybii* Hiſtor. lib. X. *Diodori* libro XX. Bibliothecae, *Taciti* Germania cap. XX. aliisque; quorum auctoritates produxi ad illa *Livii* libro. XXVI. cap. XLIX. *Inter haec, e media turba obſidum mulier magno natu Mandonii uxor*, &c. GRUT.

Equum.] Hinc *Florus* lib. I. cap. X. *Cloelia per patrium flumen equitabat.* ANNA. Aliter *Silius*, qui natando ſine equo tranſiſſe refert lib. X. verſ. 498. Ubi conferendus Cel. *Drakenborchius. Egreſſa eſt* habet Haun. & uterque Leid.

Quem fors dederat.] Inſedit hic error Libris plurimis, ut *fors* ſcribant pro *fors. Virg.* VII. Aen.

Quae fors prima dedit, ſanguis novus imbuit arma.

Vulgo *fors*, male. *Terent.* Phormione.

Quod fors ferat, feremus aequo animo.

Idem Hecyra.

Quia illis fors obtulerat, &c.

Sed hanc vocem in antiquis auctoribus, *Lucretio, Cicerone, Salluſtio, Livio*, aliisque ab antiquariis nunc reponi, video. SCHOTT. Vulgati Libri *fors.* minus apte. SYLB. Hoc vitio laborant omnes noſtri qua Scripti, qua Editi, ſupina Librariorum negligentia, niſi potius Monachorum inſcitiae tribuendum, qui vocem *fors* ignorabant. Idem hic error apud *Dict. Cretenſem* lib. III. cap. XLVI. *Uti quidque fors dederat, praeripiunt.* Sic enim ibi lego, ut eod. lib. cap. LII. *Pluresve, uti fors evenerat.* lib. VI. cap. I. *Paſſim uti fors tulerat.* Quibus omnibus locis hodie male *fors* exprimitur. Alia hujus Scriptoris loca, in quibus eodem modo peccarant ſcribae, emendavit Cel. *Perizonius* in Diſſert. de *Dictys Cret.* §. 39. ad lib. II. cap. XLVI. *Gunsherus Ligur.* lib. I. de Geſt. Barb. verſ. 722.

Quas jam fors dederat, ſed quas praeſaga futuri
Spondebant mens alta Viro.

Sic & ibi reponendum loco *fors*, quod eſt in Editis. Latina enim loquendi ratio, *fors dedit, fors tulit.* &c. *Livius* lib. XXV. cap. XXIX. *Quoſque fors obtuſt.* lib. XXXVI. cap. IX. *Quidquid fors belli tuliſſet, paterentur. Quinctilianus* Decl. III. cap. II. *Si fors ita tulerit.* Ubi eodem modo peccato Librarii in MS. *fors* reperi. *Spartianus* in Anton. Geta fin. *Inimicos occideret, quos fors obtuliſſet. Hirtius* Bell. Alex. cap. XXII. *quandocunque fors obtulerat.* Male ibi aliae Editiones *fors. Celſus* de Vita Caeſ. p. 214. *In ſe idem, ſi fors tuliſſet, auſurum.* Ex noſtra conjectura, in Editione *Davifii fors* legitur. *Ammianus Marcell.* lib. XXV. cap. III. p. 454. *Mori, ſi tuliſſet fors, obſtinatus.* Neque aliter hanc vocem a mala manu ablatam eſſe ſemper duxi apud *Senecam* in Phoen. verſ. 239. ubi malim:

- - - Cuncta fors mihi infeſta abſtulit,
Lacrymae ſupererant, has quoque eripui mihi.

Sors enim nihil ipſa poteſt auferre, ſed quidem *Fortuna* ſive aliquis alius Deus, qui fata inter homines ſorte dividit. Sed ne nimii ſimus, de his locutionibus conferatur ſummus *Gronovius* ad *Livium* lib. I. cap. IX. *Cerda* & *Taubm.* ad *Virgilium*

2 dederat, arripuit, & Tiberim trajecit. A Porſena per legatos re-
3 petita, reddita eſt. Cujus ille virtutem admiratus, cum quibus o-
4 ptaſſet in patriam redire, permiſit. Illa virgines puerosque elegit,
5 quorum aetatem injuriae obnoxiam ſciebat. Huic ſtatua equeſtris in foro poſita.

tium lib. II. Aen. verſ. 94. *Lambinus* ad *Lucretium* lib. III. verſ. 996. *Davisius* ad *Caeſar.* lib. VII. Bell. Gall. cap. LXXXVII. §. 5. & *Voſſius* ad lib. VIII. cap. XIX. §. 7. Nobil. *Heinſius* ad *Ovidium* lib. I. Met. verſ. 297. Cel. *Graevius* ad *Juſtinum* lib. V. cap. XI. §. 8. & Var. Lect. Cl. *Burm.* ad Ejusdem lib. XXXV. cap. II. §. 1. Doct. *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. II. cap. IV. exem. 5. & quos collegit indefeſſa Cl. *Drakenborchii* diligentia ad *Silium* lib. XV. verſ. 105. ARNTZ.

3 *Admiratus.*] Eſt *admirans* in Pariſienſi & Colonienſi. SCHOTT. *Admirans Gramm.* & *Boend.* paullo ſupra ante *reddita* neque Scripti neque olim Editi conjunctivam vocem & admittebant, quare cum Libris edidimus *repetita, reddita eſt*, poſtea *ad patriam* ſcribit *Boend.*

4 *Illa Virgines puerosque.*] *Productis omnibus elegiſſe impuberes dicitur: quod & virginitati decorum, & conſenſu obſidium ipſorum probabile erat, eam aetatem potiſſimum liberari ab hoſte, quae maxime opportuna injuriae eſſet. Livius.* ANNA.

Elegit.] MSS. *delegit.* SYLB.

Injuriae obnoxiam.] Male in quibusdam deletur *injuriae*, indecoro Librariorum lapſu, ſed vindicat veritatis lectionem *Servius* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 646. ubi hanc hiſtoriam tantum non iisdem verbis profert: *Illa elegit Virgines, quae injuriae poterant eſſe obnoxiae. Seneca* de Conſt. Sap. cap. III. *Hujusmodi igitur ſapientem nulli eſſe injuriae obnoxium. Livius* lib. XLV. cap. XIX. *Ambo infirmos diſtractis viribus & omnibus injuriis obnoxios fore. Suetonius* in Claudio cap. VIII. *Livius* lib. IX. cap. XVIII. *Gronov.* ad *Senecam* lib. III. de Ira cap. VIII. & Doct. Comment. ad *Florum* lib. IV. cap. IV. §. 2. Neque aptiorem vocem adhibere potuerat Noſter, cum *injuria* proprie dicatur de Virginibus & Mulieribus, quibus ab hominibus libidinoſis vis infertur. *Livius* lib. III. cap. XLIV. *Quod Pater puellae abeſſet, locum injuriae eſſe ratus.* lib. XXVI. cap. XLIX. *Ipſa jam extra periculum injuriae muliebris ſum.* lib. XXIX. cap. XVII. lib. XXXVIII. cap. XXIV. *Deinde ad leniendam indignitatem injuriae ſpem reditus ad ſuos mulieri facit. Quinctilianus* Decl. III. cap. IX. *Neget tamen & ultionem injuriae ſuae differet. Calpurn.* Decl. V. *Injuriam, inquit, faciebant mancipiis meis. Plautus* Ciſtell. Act. I. Sc. III. verſ. 32.

- - - Ejus ſe ex injuria
Peperiſſe gnatam.

Petronius Sat. cap. CIX. *Juſtinus* lib. IX. cap. VI. §. 5. Noſter inf. cap. LV. §. 2. *A quo vi ſtuprata, de injuria tacuit.* & ceteri. ARNTZ.

5 *Statua equeſtris.*] Donaverat autem Porſenna eam *equo* bellico decentibus phaleris armato. MACH. *Aldus Manutius* hos apud *Cic.* Offic. lib. I. verſus ſtatuae equeſtri inſculptos fuiſſe putat:

Vos etenim juvenes, animum geritis muliebrem,
Illa virago viri.

Idque colligit ex his *Senecae* Libro de Conſolat. ad Marciam verbis: *Equeſtri inſidens ſtatuae in Sacra via celeberrimo loco Cloelia exprobat juvenibus noſtris pulvinum aſcendentibus in ea illos urbe fic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* SCHOTT. *Pace redintegrata, Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, ſtatua equeſtri, donavere. In ſumma Sacra via fuit poſita virgo inſidens equo. Livius.* ANNA. *Lipſius* ad *Senec.* Conſol. ad Marc. cap. XVI.

In foro.] *Forum* Romanum intellige, quod juxta ſummam Sacram viam fuit. ANNA.

CA-

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Vejentes sibi hostes deposcunt, victores saepe existunt, in insidias delapsi ad unum occiduntur trecenti Fabii.

Romani cum adversum Vejentes bellarent, eos sibi hostes fami- 1
lia Fabiorum privato nomine deposcit, & profecti trecenti sex, duce Fabio Consule, fuerunt. Cum saepe victores exstitissent, apud 2
Cremeram fluvium castra posuerunt. Vejentes ad dolos conversi, 3
pecora ex diverso in conspectu eorum protulerunt, ad quae progressi

1 *Vejentes.*] In Tuscia ad laevum latus Tiberis. ANNA.

Fabiorum.] *Ovidius* in Fastis:

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.

MACH.

Privato nomine.] Ac expensa *privata*, ut *Livius* refert. MACH.

Deposcit.] *Depoposcit*, Colinaeus. Alii *deposcit*. SCHOTT. *Deposcit* tamen Nostri omnes, *Machaneus*, & Editi, nisi quod Haun. *eosque sibi H. F. F. P. N. deposcret*. Prius retinui, neque quidquam notius, quam particulas copulativas non ubique eadem tempora connectere.

Fabio Consule.] *Fabio* Caesone cum Tito Virginio. ANNA.

Fuerunt] *Fuerunt* afuit in MSS. SCHOTT. Pro eo Franeq. *exiverunt*, quae mihi lectio non displicet, immo elegantior videtur, cum saepe Latini participia verbis junxerint, quae ejusdem essent notionis, ut *delapsa cecidit* apud *Petronium* Sat. cap. XVI. *Senecam* in Phoen. vers. 430

\- - - *Aut qualis cadit*
Delapsa coelo stella.

Virgilium lib. II. Aen. vers. 397.

Multaque per caecam congressi praelia noctem
Conserimus.

Propius ad hunc locum accedit *Sallustius* Bell. Jug. cap. CII. §. 1. *Pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat.* Ubi operae pretium Doct. *Cortium* consulere. Pari modo hoc loco conjungi posset *profecti exiverunt*, cum utraque vox de exercitu vel belli duce dicatur, qui in hostem tendunt. *Livius* lib. IV. cap. LV. *Aequos praedatum extra fines exisse.* & lib. XLII. c. XXI. *Consules ad id tempus in provincias non exierant. Seneca* Herc. Fur. vers. 210.

\- - - *Antequam laetam domum*
Contingat, aliud jussus ad bellum exeat.

Sic Codices, quos ego vidi, & quos alii, Cel. *Gronovius* ex Etrusco praetulit *meat*, nimium saepe illi libro tribuens. *Valer. Maximus* lib. II. cap. VII. ex. ext. 2. *Quae exitures eos ad praelium monebant.* Eadem significatione *profecti* est apud *Livium* lib. II. cap. XVI. *Consules infesto exercitu in agrum Sabinum profecti. Quinctilianus* decl. XI. cap. III. *Neque ego rem melioris ducis facere potui, quam quod sine liberis meis profectus sum. Justinus* lib. I. cap. VI. §. 14. *Contractis undique auxiliis ipse in Persas proficiscitur.* Pessime igitur pro *profecti* substituunt *praefecit* Codex *Gramm. Perfecit Boend.* & Fran. *profecit* uterque Lugd. ARNTZ.

2 *Cremeram.*] Soranos a Vejentibus disterminat. ANNA.

Pecora ex adverso.] Adscribam Librorum Veterum scripturam: *Pecora ex diverso in conspectum eorum protulerunt, atque progressi Fabii in insidias del. & occisi ad unum perierunt.* Nonnulli Codices *occidione* habebant. SCHOTT. Olim excudebatur: *Pecora ex adverso in conspectu illorum posuerunt.* Sed ridiculum hoc loco est consensui Codicum repugnare. Nam pro *ex adverso* cum *Schotto* Fran. *Boen.* & Uterque Leid. habent *ex diverso*, fortasse & ita reliqui duo, sed nulla varietas adnotatur. Idem erit, sed ultimum cum scripserit *Victor*, in prius mutarunt Librarii, quia non ita notum. *Justinus* lib. XXX. cap. IV. §. 6. *Cum in aciem exercitum instructis e diverso hostibus produxisset. Tacitus* lib. IV. Hist. cap. XVI. *Directa ex diverso acies.* Deinde loco *in conspectu illorum posuerunt* habet Lugd. pr. Fran. & *Boend*: *In conspectu eorum protulerunt.* Lugd. sec. Haun. & *Macha-*

4 ſi Fabii, in inſidias delapſi, ad unum occidione perierunt. Dies,
5 quo id factum eſt, inter nefaſtos relatus. Porta, qua profecti erant,
6 Scelerata eſt appellata. Unus ex ea gente propter inpuberem aetatem

Macheneus: in conſpectum eorum protulerunt. Priorem lectionem libenter amplector, cum doctior ſit, quam ut ab inepto Librario potuerit proficiſci. Et amare Veteres hanc loquendi rationem paſſim a deſcriptoribus corruptam docuit nuper unicus *Phaedri* Vindex *Burmannus* ad lib. v. fab. i. verſ. 15.

Quinam Cinaedus ille in conſpectu meo
Audet venire.

Contra quartum caſum habent, ubi quies deſignatur. *Oroſius* lib. iv. cap. vi. *Velut a ſingulis membris poena exigeretur, in conſpectum populi necatus eſt.* Ut in MS. reperi, cum *in conſpectu* ſit in Editis. Adde Cl. *Gron.* ad *Livium.* lib. ix. cap. xxvii. ubi tamen nihil muto. *Poſuerunt* hic intrudebatur ex praecedentibus *caſtra poſuerunt*, in quod verbum oculos conjecerant, vel quod recenti memoriae obveniebat, error ſcribis frequentiſſimus. ARNTZ.

Ad unum.] Ut *ad verbum*, neque eſt dicendum de *uno ad unum*, neque de verbo ad verbum obſervatione auctorum de his. MACH. Hoc, etiamſi ab aliis omnibus ſaepius poſitum fuerit, falſum eſt tamen. ANNA. Epitome *Liviana* ii. in fine: *Qui ad Cremeram ad unum ab Hoſtibus caeſi ſunt.*

Occidione.] Quidam legunt *occidione perierunt.* SYLB. Ex praecedenti nota *Schotti* conſtat veteres Libros praeferre: *occiſi ad unum perierunt.* Nonnullos tamen *occidione*, quae etiam vera eſt lectio, quamvis paullo aliter Noſtri, ex quibus potiſſima pars *occiſione*, Lugd. pr. *occiſſione*, unde ego feci cum *Schotti* Codicibus *occidione.* Scio quidem Viros Eruditos exiſtimare eodem modo recte dici *occiſione* quam *occidione occidere*, tamen cum illud auctoritate ſcriptorum non confirmetur, hoc retinui, donec meliora ſim doctus. Neque tamen *occiſionem* latine dici negem, verum aliquam agnoſco differentiam. Ut *occiſio* dicatur de caede quacunque extra bellum, *occidio* autem, cum hoſtiles copiae interficiuntur, ipſique graviſſima clade afficiuntur. Ita prior vox de vi publice illata apud *Ciceronem* pro Caecina cap. xiv. de caede inter latrones *Apulejus* lib. vi. Metam. p. 184. init. Edit. *Elmenh.* qua ſoleo uti. De nece unius hominis *Quinctilianus* decl. vi. cap. x. *Vera clementia occiſione contenta eſt*; ut recte ibi reſtituit Cl. *Burmannus*, & confirmatur alio, quem inſpexi, codice. de ſervo interfecto JCtus in l. 23. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. Alia res eſt in *occidione occidere* cum ſemper haec vox per litteram *d*, ſit efferenda. *Livius.* lib. iii. cap. x. Occidione *prope* occiſos *Volſcos.* lib. iv. cap. lviii. *Modo duo praeſidia* occidione occiſa lib. ix. cap. xxxviii. *Palatis per agros nemo obvius fuit, quum* occidione occidi *poſſent.* lib. xxii. cap. liv. *Sed* occidione occiſos *cum duobus exercitibus Conſules.* & lib. xxviii. cap. xliii. *Quum duo exercitus eorum prope* occidione occiſi *eſſent. Juſtinus* lib. xxviii. cap. ii. §. 1. *a quibus tot bellis* occidione caeſi *ſunt.* Plura talia collegerunt ad eum Scriptorem lib. ii. c. xiv. §. 8. docti Commentatores. Neque fugit me aliter hodie edi apud *Ciceronem* Orat. xiv. Phil. cap. xiv. *Ejusque copias* occiſione occiderit, *ſuo exercitu ita incolumi.* Verum ita Editi, cum *occidione* retineant Scripti, quomodo & ibi edendum fuerat, vel ipſo *Cicerone* auctore lib. xv. ad Famil. Epiſt. iv. *Magnumque eorum equitatum* occidione occiſum. ARNTZ.

4 *Dies.*] A. d. xv. Kalend. Auguſti, quo *die* & Allienſis pugna pugnata. *Plutarchus* Camillo. *Livius* libro ſexto. Porta autem *Carmentalis* eſt *Dionyſio Halicarnaſſeo* & *Ovidio* ſecundo Faſtorum. SCHOTT.

Inter nefaſtos relatus] De quibus *Ovidius*:

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.

Quando ſcilicet juſtitia tacet. MACH. *Delatus* in MSS. non probo. Fuit, cum male habere locum credidi, legendumque *in faſtos*: ſicque opinionem confirmabam meam, quod *Verrius Flaccus* apud *Agellium* lib. v. cap. xvii. *Atros dies* appellandos iſtos cenſuerit, non *nefaſtos*: ſed nunc ſententiam muto, quod omneis paene auctores ita loqui obſervarim: & Noſtrum, de Allienſi die in Camillo. SCHOTT. *Elmenh.* ad *Minucium* c. vii.

5 *Profecti erant.*] *Fuerant* abfuit in MSS. SCHOTTUS. Nos ex omnibus Codicibus *erant* praetulimus.

Scelerata.] *Malheureuſe*; Vide ſupra in Tullia. ANNA.

6 *Ex ea gente.*] Sic oportuit ſcribere, non *familia*, quod factum in *Eutropio* in hac ipſa hiſtoria, & ab aliis quoque. ANNA. Sed haec permiſceri norunt doctiores. Vide Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. iv. cap. i. §. 8.

Impuberem aetatem.] *Impuberes* appellantur, qui nondum primam barbam emiſere, nec adhuc hirquitalli dicuntur. A pube (lanuginem hic illa circum pudibunda ſignificat) naſcenti maribus decimo quarto anno; feminis duodecimo. ſubſtantivum *pubis* facit adjectivum *puberis.* MACH.

Genus

tatem domi relictus, genus propagavit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, Cunctator ab obtrectatoribus dictus.

Genus propagavit.] Ducta uxore filia Numerii Otacilii Maleventani, ea lege, ut quem primum filium sustulisset, ei *Numerii* praenomen daret, & obtemperavit. *Probus* de praenominibus Romanorum. SCHOTT.

Ad Q. Fabium.] MSS. conspirant, leguntque: *At Q. Fabius qui Annibalem morans fregit.* nihil mutandum puto. SCHOTT. Constantiores in hac scriptura Nostri, qui ita ad unum omnes. *Hannibalem* mox exprimi curavimus secuti optimos passim Codices. Confer doct. *Bosium* ad *Cornelium Nepotem* in Hann. cap. 1. init. & Clar. *Drakenborchium* ad *Silium* lib. 1. vers. 39. Cujus auctoritatem merito secuti sunt Viri Erud. *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. v. §. 4. & *Oudend.* ad *Lucanum* lib. 1. vers. 305. *Hanibal* inveni in Scripto *Orosii* lib. IV. cap. VII.

Cunctator.] quia *cunctando*, id est, mora Poenum delassavit ducem: *Virgilius* sexto Aeneidos:

Unus qui nobis cunctando restituit rem.

MACH.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

De Vejentibus & Sabinis triumphat, in regni affectati suspicionem venit, de eo apud populum queritur, diem obit, publice sepelitur, & annuo luctu honoratur L. Valerius Poplicola.

Lucius Valerius, Volesi filius, primum de Vejentibus, iterum de 1
Sabinis, tertio de utrisque gentibus triumphavit. Hic, quia in 2
locum

1 *L. Valerius Volesi Filius.*] *Lucii* etiam praenomen ei tribuit *Plinius* lib. XXXVI. cap. XV. In *Livio*, *Dionysio*, & fragmentis Capitolinorum Fastorum praenomen *Publii* est, & in eisdem marmoribus aereisque nummis *Volusi filius* scribitur. Est tamen Romae lapis hac inscriptione:

P. VALESIUS VOLESI
F. POPLICOLA.

Quare libera cuique per me esto sententia: utrum malit praeferat. Porro *Valesius* antique pro *Valerius*, & *Fusius* pro *Furius*, & *Papisius* pro *Papirius*, teste *Livio* lib. III. U. C. *Cic.* IX. epistol. ad Papirium. *Varr.* VI. de L. L. & *Quintiliano*. Additur in Libris scriptis, *ille Bruti collega* ἐμφατικῶς. SCHOTT. Cognomen etiam *Publii* ei tribuit *Plutarchus* initio vitae ejus, Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. vers. 8. Sed quinque hic Scripti & olim Editi *Lucium* defendunt, quod faciunt alii quoque, ut agnoscendus sit dissensus auctorum. Nec aliter est in multis Codicibus apud *Eutropium* lib. 1. cap. IX. *Et loco ipsius factus est Lucius Valerius Poplicola Consul.* Quamvis *Publii* verum esse praenomen, ego facile crediderim, cum hic Valerius patrem & avum habuerit *Publium*, ut est in Fast. Triump. apud *Gruterum* Insc. p. CCXCVI. Confer *Pighium* tom. 1. Annal. p. 69. Nec minor est difficultas in sequentibus vocibus *Volesi Filius*, uti constanter quinque Scripti (solus Haun. *Volsci*) & olim Editi, pro quo *Volusi* nobis dedit *Schottus*, & qui eum sequuntur religiose non minus quam secure, posteriores Editores. Fateor, non adeo in proclivi est hanc litem dirimere, cum gravissimi auctores utramque sententiam tueantur. Si tamen dicendum sit, quod sentiam, hic admitto temporum distinctionem, ut primis temporibus *Volesus* dictus fuerit Poplicolae pater, sed sequentibus seculis, cum hoc praenomen vel si mavis cognomen (nam utroque modo occurrit) in familia Valeriorum permanserit, mutato *e* in *u* in *Volusum* transiisse. Hoc ut credam, inducor, quod in prima Rep. semper *Volesos* reperiam. *Asconius Ped.* ad *Cicer.* contra Pis. p. m. 164. *P. Valerio Volesi filio Publicolae.* *Juvenalis* Sat. VIII. vers. 181.

Et

locum Tricipitini collegae Conſulem non ſubrogaverat, & domum in

- - - *Et quae*
Turpia Cerdoni, Voleſos Brutumque decebunt.
Ibi reſpicit ad Poplicolam Brutumque primos Coſſ. *Ovidius* lib. III. ex Pont. Ep. 11. verſ. 105.

Quos Voleſus patrii cognoſcat nominis auctor.
Nec me ab hac ſententia abducunt antiqui lapides, qui patrem Poplicolae *Voluſum* faciunt. Hi enim ſecuti ſunt morem ſuorum temporum, cum non amplius *Voleſum* ſed *Voluſum* dicerent homines. Recte enim (licet non raro indocti fuerint ſculptores) ex lapidibus judicari poteſt de ſcriptura illius temporis, quo talis lapis ſit ſculptus, non autem ſi agatur de ſeculis longe praecedentibus. Vide tales inſcriptiones apud Cl. *Drak.* ad *Silium* loc. laud. & de *Voleſo Peviz.* ad *Val. Maximum* Frag. de Nomin. p. 876. Sed jam, ſi ad poſteriora tempora veniamus, certior eſt ſcribendi ratio, cum in gente Valeria *Voluſi* nomen reperiatur. Vide Nobil. *Heinſium* ad *Ovid.* loc. dict. Illuſt. *Spanhemium* de Numiſm. Diſſ. x. p. 35. & *Dauſquium* de Orthogr. part. II. p. 336. Tamen *Voleſus* eſt apud *Senecam* lib. II. de Ira cap. v. Ubi nihil etiam de varietate ſcripturae monuerunt Editores. Inſpice *Ryckium ad Tacitum* lib. III. Ann. cap. LXVIII. Ad hoc autem nomen non pertinebit locus *Virgilii* lib. XI. Aen. verſ. 463.

Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis.
Ita conſtanter omnes, niſi quod in uno *Voloſe* repererim, ſed, ut dixi, hic locus ad noſtrum nil pertinet, cum ibi de Volſcis agatur, & Valerii pater originem e Sabinis duxerit, teſte *Plutarcho* in Popl. init. Potius reſpexit *Virgilius* ad antiquum nomen Volſcorum. confer *La Cerdam.* ARNTZ.

Primum de Vejentibus.] Celare lectorem non debeo, *Livium* hic & *Dionyſium* ſequutum me numerare annum U. C. CCXLV. Non enim ignorabam antecedere anno uno Capitolinos Faſtos nuper effoſſos: qui triumphaſſe Poplicolam de *Vejentibus* & *Tarquinienſibus* notant A. U. C. CCXLIV. Iterum de *Sabinis* & *Vejentibus* CCXLIX. *Sigonius* enim & in Annalibus Magiſtratuum *Steph. Pighius Livium*, *Dionyſium*, & Capitolinos Lapides auctores laudans, bis tantum triumphaſſe arbitratur. Impoſuit forte Auctori noſtro, quod M. Valerium Poplicolam fratrem ejus iidem Faſti anno poſt Romam conditam CCXLVIII. triumphaſſe de *Sabinis* ſignent, affirmetque *Plinius* lib. XXXVI. cap. XV. Conjecturam meam attuli tantum. Tentabam itaque ex hiſtoriae fide Librariorum flagitium ſic corrigere, *primum de Vejentibus, iterum de Sabinis, ac de iisdem gentibus.* Vel ſic, *iterum de Sabinis ac Vejentibus*, ſequutus extremae dictionis utriuſque veſtigia, & vox *tertio* ex numeris nata apparet. SCHOTT. Errare Auctorem noſtrum, ex nominum ſimilitudine, & praenominibus corruptis, egregie oſtendit in Faſtis ſuis *Pighius* noſter, anno CCXLIX. GRUT.

Triumphavit.] *Plutarchus* collegam illius T. Lucretium iterum Conſulem bonam operam navaſſe in eo bello ſcribit: ſolum tamen Poplicolam IV. Coſ. *triumphaſſe*. SCHOTT.

Conſulem ſubrogaverat] MSS. *Conſ. alium ſubrogabat.* Verum hiſtoriae repugnat utraque lectio, quod hoc populus voluiſſe videtur, binos quotannis hunc magiſtratum gerere, ut alter alterum in officio contineret, nec veriſimile eſſet duos contra R. P. facturos, quin id palam fieret. Niſi forte ita explices, ideo in ſuſpicionem regni affectati veniſſe Poplicolam, quod ipſe, iniuſſu plebis, collegam creaſſet. Verum confecta res eſt, quod antiquiſſ. ille Pariſinus codex *conſ. non ſubrogaverat* aperte praeferat, & *Bruti* non *Tricipitini.* Qua ratione cum *Livio* gemina dicit: ſic enim ait; *Regnum eum affectare fama ferebat, quia nec collegam ſubrogaverat in locum Bruti & aedificabat in ſumma Velia.* Noſter vero ait, *domum habuiſſe in Velia* &c. Cum haec ſcripſiſſem, comperi & *Lycoſthenem* ita emendaſſe: gaudeo itaque eadem in mentem illi veniſſe, noſtraque confirmari. Reddit ille rationem, quod plures, anno CCXLV. ab exactis regibus primo, Conſulatum geſſerunt, cur in vulg. hactenus inſederit mendum *Tricipitini* pro *Bruti*: ut non neceſſe habeam a capite arceſſere. SCHOTT. Suſpectum de mendo, vereor, ne legendum ſit: *in locum Bruti collegae.* Hujusmodi multa μνημονικὰ ἁμαρτήματα huic Auctori cum aliis Racemaratoribus communia. Non propterea tamen rejiciendus. SCHOTT. *not. min.* Vulgati libri. *In locum Tricipitini*, ſed *Bruti* legendum eſſe non *Tricipitini*, cum ex aliis manifeſtum eſt, tum ex *Sigonio* 15, 15. & mox duo MSS. *Conſulem alium ſubrogaverat*, perperam omiſſa negatione. SYLB. Sic omnes ut edi curavimus. Niſi quod in quinque Codicibus particula negativa deſideretur, quam tamen interpoſuimus fide *Schotti* & auctoritate Lugd. pr. Et neceſſario haec vocula requiritur, cum ea ſi abeſſet, vel ipſe Auctor idoneum ſenſum ex verbis ſuis elicere non potuiſſet. Nam exponere cum *Schotto* nihil eſt, ea enim non eſt vis vocis *ſubrogare*, quae adhibetur de Conſule in comitiis agente cum populo, non de eo, qui propria auctoritate aliquid conſtituit. *Valerius Maximus* lib. VI. cap. III. exemp. 2. *Cicero* Epiſt. ad Brutum. v. *Tacitus* lib. II. cap. LI. Hac eadem in Hiſtoria *Livius*

in Velia tutiſſimo loco habebat, in ſuſpicionem regni affectati venit. Quo cognito, apud populum queſtus, quod de ſe tale aliquid ti- 3
muiſſent, inmiſit, qui domum ſuam diruerent. Secures etiam fa- 4
ſcibus demſit, eosque in populi concione ſubmiſit. Legem de pro- 5
voca-

vius lib. II. cap. VII. *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. XXIX. fin. (ubi non invenuſte *ad rogandos magiſtratus*, ſi Dis placet, exponit *Minellius*, *ſcilicet an eorum conſenſu facta deditio eſſet confirmanda.* Quantum eſt bona ingenia corrumpere!) Hanc ob cauſſam negatio retinenda fuit. Sed *Tricipitini* non auſus ſum abjicere, quis enim ſtatuet, errare non potuiſſe *Victorem*. Si veritas ubique Scriptoribus vindicari deberet, *Tricipitini* hic certe locum habere non poſſet, cum ipſe Poplicola in locum Tricipitini adſumtus ſit Conſul. *Servius* ad *Virg.* lib. VI. Aen. verſ. 819. Sed errare Noſtro non eſt infrequens. ARNTZ.

Velia.] Dicta, *Varrone* teſtante, *quod ibi vellere lunam ſoliti ſunt paſtores*, antiquitus enim vellebant, non tondebant oves. MACH.

3 *Queſtus.*] Oratione a *Tito Livio* ſcripta. MACH.

Inmiſit qui domum ſuam.] *L. Higinius* libro priore de Viris Claris: *P. Valerio Voleſi filio Poplicolae aedes publicas ſub Velia, ubi nunc aedes victoriae eſt, populus ex lege, quam ipſe tulerat, conceſſit.* citat *Aſconius* in Piſoniana. SCHOTT.

4. *Secures etiam faſcibus.*] Inſtituit enim, ut Conſules, cum extra urbem eſſent, uterentur *ſecuribus*, intus vero tantum *faſcibus* ornarentur. MACH. *Securibus & faſcibus depoſitis.* Haun.

Concione] *Concionem* orationem, locum, & multitudinem dicimus, *Gellio* ſcribente, qualis a Graecis ἀγορὰ nominatur. MACH. *Summiſſis faſcibus in concionem aſcendit. Gratum id multitudini ſpectaculum fuit: ſummiſſa ſibi eſſe Imperii inſignia, confeſſionemque factam, populi quam Conſulis majeſtatem vimque majorem eſſe. Livius.* ANN. *In concionem.* Leid. pr.

Submiſit.] *Feſtus* conventionem *contionem* interpretatur, quaſi *coitio*, unde Veteres libri per Tau ſcribunt. Vulgati *Concio* a *concieo*. *Cicero* 1. de Republica apud *Nonium Marcellum: Tum inſtituti annui Conſules, tum demiſſi populi faſces.* Eſt autem faſceis *ſummittere* ſeu *demittere*, ea inſignia non erecta ſed *demiſſa* ferri jubere, ut patet ex *Plinii* exemplo lib. VII. cap. XXX. de Cn. Pompejo: licet *I. Alex. Braſſicanus* locum ſic interpretetur, ut lictores, dum concionaretur, abire juſſerit, in Proverbiorum Symmictis. *Conradus* vero hic, quaſi ſolos faſces abſque ſecuribus illi praetulerint, cui repugnat *Symmachus* Praefectus urbi Theod. Aug. *Summiſit Poplicola contioni civium Conſularem ſecurim: & honoris ſui culmen infregit, ut libertatem civibus erigeret: ergo moribus potius quam inſignibus aeſtimemur. Et Prudentius* (ut poëta quoque ſymbolam conferat) lib. I. contra Symmachum.

Martyris ante fores Bruti ſummittere faſceis
Ambit, & Auſoniam Chriſto inclinare ſecurim.

Nec mihi fraudi ſit ſacros poëtas citare, quod *Prudentius* apud me alter *Pindarus*, ut *Sidonio Apollinari*, ſit: & *Paullinus* quaſi *Propertius* alter ob ſingularem pietatem ametur, & in ſinu feratur. SCHOTT.

5 *De provocatione.*] Si magiſtratus aliquis Romanum quemquam interficere, verberibusve caedere, aut mulctare vellet pecuniis, licere utique privato illi a *magiſtratu ad populum provocare*, patique eum interim a magiſtratu nihil, donec populus ſuffragia de illo ferret. MACH. De provocatione & libertate. Capita illius apud *Livium* lib. II. *Dionyſ.* lib. IV. *Plutarchum* in Poplicola. *Valer.* cap. I. lib. IV. exſtant. Hinc Poplicolam dictum & hi & *Livius* lib. III. teſtes ſunt. *Dionyſio* etiam quaſi δημοκρατικὸς dictus. Idcirco *Poplicola* non *Publicola* ſcripſi aſſentientibus & MSS. idque eo fidentius, quod *Quinctilianus o* pro *u* pronuntiari ſolitum affirmet, & *p*, mutam tenuem, cum media, *b*, ſaepe commutari, ut *poblicus* dicerent & ſcriberent, &c. Hinc quidam *Poblicolam* edunt. *Livius* lib. II. *Latae deinde leges, quae regni ſuſpicione Conſulem abſolverent, ſed quae adeo in contrarium verterent ut populärem facerent: inde cognomen factum Poplicolae eſt.* Libro III. in eandem ſententiam. *Plutarchus* quaſi *publica edens*, non *populum colens* interpretatur. SCHOTT. *De provocatione & Magiſtratibus* Leid. ſec. *Publicola* vero agnoſcunt omnes & Scripti & Editi, niſi qui ex *Schotti* emendatione prodierunt, nec in vera hujus vocis ſcriptura ipſa ſibi conſtant antiqua Monumenta, quaedam *Poplicola*, quaedam *Poblicola* exhibent. Illud hodie ab Eruditis paſſim recipitur. *Dausquium* de Orthogr. parte II. p. 246. Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. verſ. 8. Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. IX. §. 4. Erud. *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. I. cap. IV. exem. 5. & ces. Ita editur apud *Ammian. Marcell.* lib. XIV. cap. VI. p. m. 27. *Ex collaticia ſtipe Valerius humatur ille Poplicola.* Et quidem, quod putant hanc vocem deducendam eſſe a *colendo populo*, non qui-

vocatione a magiſtratibus ad populum tulit. Hinc Poplicola dictus.
6 [Qui] cum [quater Conſul] diem obiiſſet, [adeo pauper exſtitit, ut collectis a populo nummis] publice ſepultus ſit, & annuo matronarum luctu honoratus.

dem, ut alii volunt, a *publico*. Quae ſententia & hinc confirmatur, quod eodem modo & *Plebicola* uſurpent Latini, non a *colendo plebejo* ſed a *colenda plebe*. unde eadem ratione *poplicola* vox a *populo* deducenda videtur. *Livius* lib. III. cap. XXXIII. *Favore* plebis, *adeoque novum ſibi ingenium induerat, ut* plebicola *repente, omnisque auras popularis captator evaderet*. Et cap. LXVIII. *Niſi forte aſſentatores publicos, plebicolas iſtos. Seneca* lib. V. de Benef. cap. XVI. *Et ille plebicola, ille popularis*. Porro lege hac de provocatione non videtur novum aliquid conſtituiſſe Valerius, ſed tantum illud, quod priorum Regum vel Tarquinii ſuperbia abrogatum erat, in uſum priſtinum revocaſſe, cum ſub Regibus ipſis conceſſa fuerit ad populum provocatio. *Livius* lib. I. cap. XXVI. *Sigonius* lib. I. de Jure Civ. Rom. cap. XX. *Rosinus* lib. I. Var. Lect. cap. VIII. & Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. IX. §. 4. Poſtea hanc legem tempore Decemvirum ſublatam, reduxerunt iterum L. Valerius & M. Horatius Coſſ. apud *Livium* lib. III. cap. LV. Renovata etiam eſt tertio ab alio Valerio apud Eundem lib. X. cap. IX. Adeo ut tres ex eadem fuerint familia, qui commoda Plebis hac in re auxerunt. ARNTZ.

6 *Qui cum quater Conſul.*] Ex MSS. noſtris ea explevimus, quae hic deſiderata hactenus fuere. *Conſul* enim fuit anno U. C. CCXLV. cum Bruto: iterum anno inſequenti cum T. Lucretio Tricipitino: tertium CCLVII. cum P. Lucretio, vel, ut alii, M. Horatio Pulvillo II. *Coſ.* quartum CCL. cum T. Lucretio II. *Val. Max.* lib. IV. *Plutarchus* in Poplicola *tertii* tantum *conſulatus* meminere. SCHOTT. Quae *Schottus* ſupplevit, nullus ex Noſtris agnoſcit, neque genuina eſſe facile mihi inponi pariat.

Ut collectis a populo nummis.] *Eutropius. Ut collatis a populo nummis ſumptum habuerit ſepulturae.* Hujusmodi exempla in veteribus hiſtoriis paene infinita ſunt, verum id non inopiae, ut omnes putant; ſed honoris cauſa factum fuiſſe arbitror, ut ſcilicet viri magni de publico tumularentur, quaſi patriae parentes. ANNA.

Publice.] Id eſt, Reipublicae ſumptu, collectis e *publico* quadrantibus. Conceſſum hoc amplius honoris ergo, quod antea nemini, ut in urbe ipſe poſterique ejus *ſepelirentur*. Itaque prope forum in Velia publico elatus funere eſt, teſte *Halicarnaſſeo*: & *ſepulcro*, in quod gens poſtea Valeria inferri conſuevit. Conditus fuit anno V. C. CCLI. Poſtumio Tuberto, Agrippa Menenio Coſſ. *Val. Max.* lib. IV. c. IV. *Cicero* Acad. lib. IV. *Livius* lib. II. ſic ait: *Moritur gloria ingenti, copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri ſumptus deeſſet: de publico eſt elatus. Luxere matronae ut Brutum.* Vide *Ammianum Marcellinum* lib. XIV. SCHOTT.

Sepultus.] Locum, in quo combuſtus, atque *ſepultus* fuit, ei ſoli uſque ad aetatem meam clarorum in urbe civium, propinquum foro aſſignavit ſenatus miſeratione ductus; hoc *Dionyſio Halicarnaſſei* Interpres tradit. MACH.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Apud Regilli lacum cum Latinis conſligit, illorumque aciem fundit & caſtra capit, Caſtorique & Polluci aedem dedicat A. Poſtumius Dictator.

1 Tarquinius ejectus, ad Mamilium Tuſculanum generum ſuum confugit, qui cum Latio concitato Romanos graviter urgueret, A. Poſtu-

1 *Ejectus.*] *Ejicimus* viliter. *Ovidius:*
Turpius ejicitur quam non admittitur hoſpes.
MACH.
Ad Mamilium.] Sic MSS. *Dionyſius* & *Annaeus Seno-*

Poſtumius Dictator dictus, apud Regilli lacum cum hoſtibus conflixit. Ubi cum victoria nutaret, Magiſter equitum equis frenos detrahi 2

Seneca ſcribunt: *Manilium Vaſcoſanus* recte excudit. *Livius Octavium Manilium* appellat. *Manilii* vero plebei Romae fuere. SCHOTT. Vulgati & potiſſima Scriptorum Codicum pars *Manilium*, in quos etiam libros incidit Erud. *Waſſeus* ad *Salluſtium* Bell. Jug. cap. XLIV. p. 346. Nec melius alii *Manlium*. Laudabili exemplo ſolus Franeq. *Mamilium*. Videndus *Vorſtius* ad *Valer. Maximum* lib. I. cap. VIII. exem. I. *Cortius* ad *Salluſtium* Jug. cap. XL. §. I. cap. LV. §. 5. & cap. LXXIII. §. 7. ARNTZ.

Tuſculanum.] A *Tuſculo* qui *Tuſculanus* dictus. ANNA.

Latio.] Concitavit populos contra imperium Romanum: unde bene *Latio* ait. MACH.

A. Poſtumius.] Scribo abſque aſpiratione, auctoribus libris MSS. Nummis aereis & Lapidibus. Huc accedit & analogia: a *Poſtea* enim *Poſtimus*, *Poſtimius*, inde *Poſtumius* derivatur: & antiqui *unus* ſine ſpiritu ſcribebant. SCHOTT. *Dausquius* Orthogr. part. II. p. 247. & Cel. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. XI. §. 2.

Dictator dictus.] Hunc primum reperio Romae *Dictatorem*, qui *dictus* eſt, quia a Conſule deberet *dici*, vel quod daret *dictata* populo. Fuit autem virtus *dictatoria* ſemeſtris, nonniſi in ſumma rerum neceſſitate conſtituta: qui eam obtinebat, merum & mixtum in omnes habebat imperium: Sylla eam perpetuam ſibi primus adrogavit. MACHANEUS.

Apud Regilli lacum.] *Colinaeus Rigilli* impreſſit. MSS. ſic: *apud Regillum*: nam & urbs ejus nominis fuit. Lacus in agro Tuſculano ſiti, ad quem pugna facta eſt, meminit *Livius* lib. II. *Dionyſius* lib. VI. *Plinius* lib. XXXIII. cap. II. Urbis vero in Sabinis ſitae idem *Halicarnaſſeus* lib. XI. non ita longe a principio, & *Stephanus* de Urbibus. SCHOTT. *Regilli lacus* eodem modo dictum, ut flumen Rheni, herba lapathi, flos roſae, &c. *Regillus lacus* Graecis Ῥηγίλλου λίμνη. ANNA. Unus Haun. *Regelli*, ceteri nil variant, quare hanc lectionem melius defendit, quam impugnat Cel. *Graevius* ad *Florum* lib. I. cap. XI. §. I. cum malebat *Regillum Lacum*, ut *Livius* lib. VIII. cap. V. & VII. atque alibi; ſed tamen quae vis adegit Noſtrum ubique ore *Livium* loqui, *Cicero* lib. I. Tuſc. Quaeſt. cap. XVI. dixit *Lacus Averni*, quod reliqui *Avernus lacus*. De ipſa Hiſtoria Cultiſſimus *Daviſius* ad *Cicer.* lib. II. de Nat. Deor. cap. II. qui tamen eo loco male cum *Lactantio* duas hiſtorias confundit, cum bello Latino ad *Regillum*, bello Macedonico ad *Juturnae lacum* apparuerint Caſtores. Vide *Florum* lib. II. cap. XII. §. 15. ARNTZ.

2 *Victoria nutaret.*] Pariſinus *mutaret*, forte antiqua forma pro *mutaretur*. Sic *Varro* de L. Lat. & VII. Divin. apud *Agellium* lib. XVIII. c. XII. Similiter *vertit*, *convertit*, *Salluſtio*, *Tacito*, caeteris. *Livius* in Tullo Hoſtilio: *Foſſa Cluilia ab nomine ducis per aliquot ſaecula appellata eſt: donec cum re nomen quoque vetuſtate abolevit*, pro, *vetuſtas abolevit*, forma neutra. MSC. Codex hic longe a vulgata lectione recedit, legitque *cum victoriam naviter peteret*. SCHOTT. Verus Cod. *cum Victoriam navjter peteret*. Falli autem hic Auctorem *Sigonius* oſtendit Emendationum lib. II. cap. XXII. & ſup. XXII. 18. SYLB. *Mutaret* etiam primus Leid., quod tamen colore aliquo non debuerat defendere Erud. *Schottus*, cum *nutaret* ſit in aliam partem inclinaret. *Tacitus* lib. III. Hiſt. cap. XVIII. *Nutantem aciem victor equitatus incurſat. Florus* lib. III. cap. X. §. 4. *Nutante in fugam exercitu.* ad quem locum conferendus Cl. *Dukerus*. *Dict. Cretenſis* de Bello Troj. lib. III. cap. VIII. *Et ubi acies nutaverat, praeſidiis accurrentibus.* Quare non audiendi ſtatim Librarii, cum nobis *mutare* pro *nutare* obtrudunt, quod illis familiare eſt. Nobil. *Heinſius* ad *Claudianum* Bell. Gildon. verſ. 281. *Bersm.* ad *Lucanum* lib. VIII. verſ. 47. Doct. *Waſſe* ad *Salluſtium* Jug. cap. XLII. fine. *Daviſius* ad *Minuc. Felicem* Octav. cap. XVI. & Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. VI. verſ. 234. Non alter optimae Editiones apud *Plinium* in Paneg. cap. V. *Niſi periculo Patriae &* nutatione *Reip.* Vulgati *mutatione.* Sed *nutans Reſpublica* eſt apud *Suetonium* in Veſp. cap. VIII. §. 2. & *nutare* dicitur *imperium* apud *Eutropium* lib. X. cap. XIV. De ſignificatione illa verbi *mutare*, de qua *Schottus*, adde Cel. *Burmannum* ad *Ovidium* Epiſt. XIX. Her. verſ. 77. ARNTZ.

Magiſter Equitum.] Talis erat, qualis erat ſub Regibus Tribunus Celerum: dictus autem, quia *magiſterium* ac regimen in *equites* & accenſos haberet. MACH. T. Aebutius T. F. Elba, ut *Dionyſius* recte vocat, qui tamen Strategema hoc Dictatori Poſtumio adſcribit. *L.* vero *Annaeus Seneca* in Epitoma Reip. Rom. ad Magiſtrum Equitum quoque refert, ſed A. Cornelium Coſſum male nominat. *Livius* etiam lib. IV. ad annum CCCXVII. A. Cor. Coſſo tribuit, M. Aemilio Mamercino Dictatore. Vide *Carolum Sigonium*

trahi jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur, ubi & aciem Latino-
3 rum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo juvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos Dictator quaesitos, ut dignis muneribus honoraret, non reperit, Castorem & Pollucem ratus, communi titulo dedicavit.

lib. II. Emend. cap. XXII. SCHOTT. Comment. ad *Florum* lib. I. cap. XI. §. 3.

Equis frenos.] Simile illud Caesaris apud *Suetonium* in Julio cap. LX. Qui *ancipiti praelio equos dimittebat, & in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur auxilio fugae erepto.* SCHOTT. Haud semel bene successit ejusmodi mandatum ducis, quemadmodum non parce ostendimus ad *Livii* librum octavum, capite tricesimo. GRUT.

Fuderunt.] Parisinus *fregerunt* habet. SCHOTTUS. Et Codex *Grammii*. nil muto.

3 *Virtute.*] Id est, robore. sic Graecis ἀρετή. ANNA. Candidos enim Equos Castoribus attribuit fabulosa Antiquitas. *Pacatus* Paneg. c. XXXIX. §. 4. *Castoras geminos albentibus equis & stellatis apicibus insignes.*

Aedem dedicavit.] Ita, ni fallor, omnino legendum. exstructa vero fuit *aedes* super foro, ubi visa sunt simulacra, & juxta eam fons sacer. his Diis Posthumius filius Dictatoris eam dedicavit. Titulus inscriptionem, honorem, militem rem publicam defendentem indicat. MACH. Vidit *Machaeus*, vidit & *Lycosthenes* deesse aliquid. nos ex Agrippinensi codice excuso admodum vetusto *aedem* addidimus: aut si MSC. unum sequi lubet, adscribe, *aras eis* - - - per me enim licet: in aliis sane abest supplementum: forsitan non male. Huc pertinet illud in Julio *Suetonii* cap. X. *Venationes ludosque cum collega & separatim edidit: quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet; nec dissimularet collega ejus M. Bibulus evenisse sibi, quod Polluci. Ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur; ita suam Caesarisque munificentiam unius Caesaris dici.* Adde & Julio & Caesare Coss. aliquid actum scribi solitum, tametsi Bibulum collegam haberet. Vide ibidem cap. XX. De Dioscuris vero parta Victoria apparentibus ad Regillum narrat in gente domitia Ahenobarborum *Tranquillus* in Nerone cap. I. ibidemque Nummus T. Albini apud *Torrentium*. SCHOTT. Nam cum Castori & Polluci dedicata esset, *Castoris* tantum communi nomine dicebatur. Et inde natus jocus M. Bibuli apud *Suetom.* in Julio cap. X. ANNA. *Aedem* hoc loco supplebant contra omnes omnino Codices Viri docti, sed ego hanc vocem non magnopere desidero, cum sciam recte dici, *dedicare* aliquem, pro *dedicare aedem* alicui & statuas Diis erigere. *Cicero* lib. II. de Nat. Deor. cap. XXXI. *Fides, Virtus, Concordia consecratae & publice dedicatae sunt. Ovidius* lib. VI. Fast. vers. 637.

Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede.

Quamvis autem haec aedes communi titulo dedicata fuerit, solo tamen *Castoris* nomine insigniebatur. *Seneca* de Const. Sap. cap. XIII. *Qui ad Castoris negotiantur. Cicero* pro Milone cap. VII. Cl. *Graevius* ad Orat. pro Quintio cap. IV. & *Servius* ad *Virgil.* lib. III. Georg. vers. 89. Castor enim dignitate quasi praecedebat, unde uterque uno nomine *Castores* appellantur. *Minuc. Felix* Octav. cap. XXVII. *Arnobius* adv. Gentes lib. I. cap. XX. *Tertullianus* de Spect. cap. VIII. In Actis Apost. cap. XXVIII. §. II. *Cui erat insigne Castorum.* Ita versio vulgata, in textu Graeco habentur Διοσκουροι. ARNTZ.

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Filium Caesonem abdicat. Dictator dictus Minucium Consulem in Algido obsessum liberat, obsidionali corona donatur, hostium ducem triumphi die ante currum agit, dictat.

dictatura depoſita ad agriculturam revertitur: iterum Dictator dictus Spurium Moelium occidit, ejusque domum ſolo aequat L. Quinctius Cincinnatus.

Lucius Quinctius Cincinnatus filium Caeſonem petulantiſſimum abdicavit, qui & a Cenſoribus notatus, ad Volſcos & Sabinos confugit, qui duce Cloelio Graccho, bellum adverſum Romanos gere- 1

1 *Quinctius.*] *Quintus* quidam, non probo. Cur autem *c* addiderim ex MSS. annotatum ab aliis eſt, qui mihi repetendi laborem ademerunt. SCHOTT. *Quinctus* Lugd. pr.

Cincinnatus.] Dictus a *cincinnis*, id eſt, a prolixis & intortis capillis, quos ferebat. *Hieronymus: Cincinnatulos pueros, & calamiſtratulos, & peregrina unguenta olentes, ſemper devita.* MACH.

Caeſonem.] Veteres per *K.* vocem *Kaeſonis* notabant, eſtque in Faſtis frequens in praenominibus. Vidi Codicem, in quo *Cenſorem* legebatur. ut in vulgatis *Ciceronis* editionibus Orationis pro domo ſua, ubi *Antonius Auguſtinus* apud *Fulvium Urſinum*, *Kaeſo ille Quinctius* legendum vidit. SCHOTT. *Cenſorem Gramm.* Ceteri per *C* eſferunt.

Petulantiſſimum.] Nam *illo duce ſaepe puſi foro Tribuni, fuſa ac fugata plebs eſt. Qui obvius fuerat, mulctatus nudatusque abibat. Livius.* Qui & *ferocem juvenem* vocat. ANNA.

Abdicavit.] *Livius* libro tertio ab urbe condita. *Caeſo erat Quinctius ferox juvenis, qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine ac viribus. Ad ea munera data a Diis & ipſe addiderat multa belli decora, facundiamque in foro, ut nemo, non lingua, non manu promptior in civitate haberetur.* Huic a Virginio capitis dies dicta cum eſſet, ſex millibus aeris mulctatus eſt, ac dimiſſus, e foro nocte proxima juſſu Conſulum in Etruſcos in exſilium abiit. Diſſentiunt in hoc igitur Hiſtorici. MACH. Abdicatio moribus Romanis & Legibus incognita L. *Abdicatio.* Cod. de Patr. Poteſt. Neque abdicavit filium Quinctius, neque Cenſores ea tempeſtate in Rep. erant. Creati enim primo ſunt A. U. C. CCCX. Abiit vero in exſilium anno CCXCII. poſt U. C. *Livius* lib. III. *Dionyſius* X. SCHOTT. & SYLB. *Abdicare* verbum forenſe, & familia abjicere ſignificat. Sed *abdicatio* moribus Romanis & legibus incognita, neque *abdicavit* filium Quinctius. Dicendum eſt igitur verbo juris abuſum eſſe *Victorem*, ita ut per *abdicavit* e conſpectu ſuo removit intellexerit. Neque enim inſcio patre in exſilium profectus eſt Caeſo. ANNA. Sed lex illa 6. Cod. de Patr. Pot. non declarat, omnino Abdicationem Romanis in uſu non fuiſſe, immo contrarium ſtatuit, aliquando etiam apud eos fuiſſe adhibitam. Dicit enim: *quae graeco more uſurpabatur.* Ex quibus verbis conſtat, abdicaſſe quidem Romanos, quamvis nullae quidem leges eſſent, quibus tale quid Parentibus permitteretur. Et quis crederet, cum jus Vitae & Necis Patribus fuerit conceſſum, minorem animadverſionem iis ereptam fuiſſe. Quare ridiculum eſt dicere, abuſum Noſtrum verbo Juris, quaſi ſolus eſſet *Victor* & non longa ſerie alii, qui abdicationis apud Romanos meminerunt. *Livii* Epitome LIV. *Domi cauſſa cognita filium condemnavit, abdicavitque. Lactantius* lib. VI. Div. Inſt. cap. XXIV. initio. *Abdicatos abjectosque rurſus tamen ſuſcipimus.* Nihil notius apud *Quinctilianum*, neque enim loca enumero, & otium hic nobis fecit laudabilis illa quidem, ſed rarius obvia Viri Conſultiſſimi, Studiorum quondam ſocii nunc Amici conjunctiſſimi *J. Regn. Pronckii* diligentia in Elegantiſſima Diſſertatione *de Abdicatione Liberorum.* Confer *Savaronem* ad *Sidonium Apoll.* lib. IV. Ep. XXIII. & *Rittersh.* ad *Salvianum* lib. III. cont. Avar. p. m. 154. ARNTZ.

Volſcos & Sabinos.] *Aequos* & *Volſcos* ponit *Florus* cap. XI. ANNA. *Et Sabinos* non agnoſcebat Leid. ſec.

Duce Coelio.] Sic & *Aldus* ſcripſerat. *Colinaeus*, & alii per *ae* diphthongum, qualis varietas & in monte *Coelio*, de quo ſupra dicere memini. Pariſinus liber *Clodio*, neſcio quid de P. Clodio & Graccho nimis tempeſtive ſomnians. MSS. *Cloelio* praeferebant, & *Halicarnaſſei* Codex Graecus Κοιλίου edit. *Livius* vero *Cluilius* errore ex *o* & *u* affinibus natо, pro *Cloilius* vel *Cloelius*. SCHOTT. Vulgati libri, *Duce Caelio.* ſed *Claelium* cum *Dionyſio* & aliis vocat etiam *Sigonius* 33. 20. & ſic habent etiam MSS. *Schotti.* SYLB. *Clodio Gramm.* & Fran. *Clodio Celio* Leid. pr. *Celio* Leid. ſec. & Haun. *Cloelio Boend.* Vere. Sed haec vox variis corruptionibus ſemper fuit expoſita. Vide ad *Valerium Maximum* fragm. de Nomin. p. 876.

Bellum.] Rupto foedere, quod cum Romanis priori anno egerat, ſcripti ſunt Romae duo magni exercitus contra illos. MACH.

gerebant, & Q. Minucium Conſulem in Algido monte obſidebant. Quinctius Dictator dictus, ad quem miſſi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt, qui inſignibus ſumtis Conſulem
2 obſidione liberavit. Quare a Minucio & ejus exercitu corona au-
3 rea & obſidionali donatus eſt. Vicit hoſtes, ducem eorum in deditio-

Q. Minucium.] *Marci* praenomen eſt in *Floro* & *Zonara*, male, cum *L. Minucius* a *Livio*, *Dionyſio*, & Capitolinis Tabulis appelletur, ut obſervat *Pighius* in Annalibus. SCHOTT. & ANNA.

Algido.] *Algidum* Aequorum oppidum in Latio. ANNA. *Cum exercitu obſidebant*, *Schottus* edidit in minori Edit. Sed priores voces exſulant ex omnibus Scriptis & Editis ante. Quare non neceſſarium duxi, quo carere poſſemus absque damno cum MSS. id ſine ratione admittere.

Dictus] A Nautio Conſule. Quinque enim equites inter ſtationes hoſtium emiſſi Romam pertulere, Conſulem, exercitumque in Algido obſideri. MACH.

Nudum eum arantem.] Ex praecepto *Virg.* 1. Georg.

Nudus ara, ſere nudus.

Ex illo *Heſiodi*:

Γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν,
Γυμνὸν δ' ἀμᾶσθαι.
Nudum ſerere, nudum arare,
Nudum metere.

Vide *Perſium* Sat. 1. SCHOTT. & ANNA. Adde Elegantiſſimum *Elſnerum* ad Euang. *Matth.* cap. XXIV. §. 18. & Illuſtr. *Cuperum* lib. 1. Obſ. cap. VII.

Trans Tiberim.] *L. Quinctius trans Tiberim, contra eum ipſum locum, ubi nunc navalia ſunt, quatuor jugerum colebat agrum, quae prata Quinctia vocantur. Liv.* lib. III. cap. XXVI. ANNA.

Conſulem obſidio liberavit.] Sic rurſum emendo ex MSS. adjuvante ratione, de qua in Superbo. Quibus haec adde, antiquitus *obſidio*, poſt *obſidium* dici coepiſſe: auctor *Marius Victorinus* antiquus Grammaticus *Donati* aequalis in Orthographia: ut vice verſa *conſortio*, *onis* apud *Vellejum Paterculum* & *Cic.* III. Officiorum: & *contagium* apud *Marcellum* pro *contagione*: ſic *debitio dotis* apud *Cicer.* ad Attic. libro XIV. epiſtola XIII. pro *debito dotis*. Imperiti ergo Librarii, quod inauditum ſuis auribus non ſatis purgatis & eruditis accideret *obſidio liberare*, *ne*, adjecerunt, ne non Latina phraſis eſſet. *Plautus* tamen Milit:

Coge in obſidium perduelles, noſtris praeſidium para.

Ubi vulgati non ita recte, *Curre in obſidium* legunt. *L. Annaeus Seneca* in Hiſt. Rom. lib. II. *Ipſam caput belli Karthaginem urgebat obſidio, ipſiſque portis inhaerebat.* de Regulo auferendi caſu. Sic *Tacitus* ſaepiſſime. Et *Carriſius contagium* veteres magis uſurpaſſe ait, *Salluſtium tamen contagio dixiſſe primum.* Sic enim lego, non *primo.* Neque enim ex libro primo Hiſtoriarum, ſed ex Catilinario deſumptum eſt. Sed ne quis de fide in exprimendis libris dubitet; Muſas mihi parum propitias opto, niſi ita conſtanter ſcriptum reperi, ut & amicis oſtendi. SCHOTT. Vide ſupra ad cap. VIII. §. 5.

2 *Corona.*] Superare credo, quod in Mediolanenſi afuiſſe comperi: & certe ſic loquuntur auctores frequenter, ut *Tranquillus* in Julio cap. II. & in Claudio cap. XVII. MSS. & Pariſinus haec invertebat: *corona aurea obſidionali donatus eſt.* Perſpicue verum ex *Livii* lib. III. qui unius librae pondo fuiſſe ait: *aurea* itaque addi juſſimus. Sed *coronarum* in P. Decio & Scipione Aemiliano Noſter mentionem habet. Videndus & *Agellius* lib. V. cap. VII. & inf. ad cap. XXVI. in Publio Decio. SCHOTT. Addendum ſuadentibus MSS. *Corona aurea obſidionali don.* niſi potius reſcribendum cum uno Manuſcripto *Schotti*: *obſidionali aurea donatus eſt*, omiſſa voce *corona.* GRUT. *Corona* tolli non debet contra MSS. Inſpice magnum *Caſaubonum* ad *Suetonium* Caeſ. cap. II. Sed ut *aurea* reciperem coëgerunt conſenſus MSS. non tamen ſine aliqua haeſitatione. Sciebam enim coronas obſidionales fuiſſe *gramineas*, quin etiam ipſis coronis *aureis* opponi apud *Valerium Maximum* lib. III. cap. II. exemp. 24. ſed facile ſuſtulit hanc difficultatem Fran. ſcribens. *Corona aurea & obſidionali*, quo modo quoque Decio & *aurea* & *obſidionalis corona* fuit data apud *Livium* lib. VII. cap. XXXVII. *praeter militaria dona* aurea corona *eum & centum bobus donat - - - ſecundum Conſulis donationem Legionem* gramineam coronam obſidionalem *Decio imponunt.* & *Feſtum* in voce *Obſidionalis*: *P. Decio datae duae ſunt, una ab exercitu univerſo, una ab iis, qui fuerant in praeſidio obſeſſi.* Confer *Godelev.* ad *Livium* lib. III. cap. XXIX. & *Paſchal.* de Coron. lib. VII. cap. XVI. quare haec ſcriptura admittenda erit. ARNTZ.

3 *Ducem.*] Gracchum, pluresque alios junctos. MACH.

Trium-

ditionem accepit, & triumphi die ante currum egit. Sextodecimo 4 die dictaturam, quam acceperat, depoſuit, & ad agriculturam rever-

Triumphi die.] in qua *militaria ſigna praelata, ſequutus exercitus praeda onuſtus, epulae inſtructae dicuntur fuiſſe ante omnium domos, epulaeteſque cum triumphali carmine: & ſollennibus jocis comeſſantium modo currum ſequuti ſunt. Livius.* MACH. Venuſte in quibusdam afuit praepoſitio: alii *triumphali.* Adde & ſub jugum hoſtes ſubactos miſiſſe: cujus formam *Livius* lib. III. deſcribit. SCHOTT. Vera eſt & genuina Auctoris manus, *triumphi die* quam alii *in triumphi die mutarunt. Gramm. triumphali die.* Leid. pr. & Frau. *Triumphi diem.* Leid. ſec. deleto *die* ſimpliciter *triumphi.* Sed, ut dixi, haec vera Scriptura, quam ceteri omnes agnoſcunt. Nobiliſſimus quidem *Nicolaus Heinſius* ad *Silium* lib. IX. verſ. 635. legit *in triumphi fidem.* Sed vereor, ut aliis hanc conjecturam probet Vir Illuſtriſſimus. Si enim talis emendatio hic locum habere potuiſſet, ſcribere debuerat Auctor *in Victoriae fidem.* Romani enim ſaepe triumphatunt, quamvis dux hoſtium non eſſet debellatus, adeoque dux captivus fidem Triumpho dare non poteſt, cum Triumphus juſtiſſimus & magnificus eſſe poſſit etiam ſine duce capto. Sic Metellus de Jugurtha Rege triumphavit infra cap. LXII. cum tamen bellum demum poſtea confecerit, & Jugurtham captum ante currum egerit Marius, infra cap. LXVII. adde *Salluſtium* Jug. & *Ciceronem* pro Lege Man. cap. III. Praeterea noſtam lectionem tuentur auctoritates Veterum Scriptorum. *Suetonius* Caeſ. cap. XXXVII. *Gallici* triumphi die *Velabrum praetervehens paene curru excuſſus eſt.* in Veſpaſ. cap. XII. *Ut* triumphi die *fatigatus tarditate non reticuerit. Valer. Maximus* lib. IV. cap. I. exem. 8. *Scipio* die triumphi *ſui ante currum actos hoſtium duces in carcerem conjecerit. Capitolinus* in Vero cap. VIII. *Nomina, quae ſibi dolata fuerant, cum fratre communicaret* die triumphi. *Livius* lib. XXXVI. cap. XXXIX. *Exercitum dimiſit, & adeſſe Romae ad* diem triumphi *juſſit.* & lib. XXXIX. cap. V. *Ne plus in triumpho certaminum, quam in bello haberet, praetulit* triumphi diem. *Vellejus Paterc.* lib. I. cap. X. §. 4. *Ante* triumphi diem *ordinem actorum ſuorum commemorat. Triumphi* enim *dies*, eſt dies, in quo Triumphus ducebatur, ut *dies Comitiorum*, quo Comitia habentur apud *Livium* lib. III. cap. XXXIV. lib. XXVI. cap. XVIII. lib. XXVII. cap. XXI. *Dies Nuptiarum. Juſtinum* lib. XXXVIII. cap. VIII. §. 4. Glorioſiſſimum autem erat Imperatori, populo ante currum captos bello Reges oſtendere, eosque in pompa triumphali circumducere. *Claudian.* Bell. Get. verſ. 109.

- - - Currus Regumque catervae
Inter abundantis fati ludibria ductae.

& verſ. 126. *Livius* lib. III. cap. XIX. *Ducti ante currum hoſtium duces, militaria ſigna praelata.* lib. IV. cap. X. *Vellejus Paterc.* lib. I. cap. IX. §. 5. & lib. II. cap. XL. §. 5. *Ornamentum triumphi ejus captivos duces Pompejus ſubduxerat. Oroſius* lib. IV. cap. XX. & lib. V. cap. I. *Celebres Victoriae, divites praedae, nobiles pompae, magni ante currum Reges.* Inſpice *Freinſh.* ad *Florum* lib. IV. cap. II. §. 9. Quare omnino male hic *currum* delet Leid. pr. ARNTZ.

4 *Sexto decimo die.*] Idem *Livius. Florus: Intra quindecim dies coeptum peractumque bellum.* ANNA.

Quam acceperat.] *Quam accepit* Haun. & Leid. pr. Sed ſolet vocula *quam*, ſi tempus deſignet, pro poſtquam, requirere plerumque praeteritum (ut vocant Grammatici) plusquam perfectum, quod tempus & hic ſenſui eſt adcommodatius. *Livius* lib. IV. cap. VII. *Anno trecenteſimo decimo, quam Urbs Roma condita erat.* & cap. XLVII. *Die octavo, quam creatus erat, magiſtratu ſe abdicavit. Livii* Epitome XXV. *Anno octavo, quam in Hiſpaniam iverant.* Epit. XLIX. *Intra quintum annum, quam erat coeptum, conſummati.* & Epit. LI. *Expugnavit ſeptingenteſimo anno, quam erat condita. Eutropius* lib. II. cap. XXVIII. *Ambo Conſules intra ſeptem dies, quam venerat, tranſegerunt. Oroſius* lib. IV. cap. II. *Pyrrhus quinto demum anno, quam venerat, ab Italia victus aufugit.* Ut recte legitur, non *quo.* Conſulendus Clar. *Dukerus* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 7. & Doct. *Cortius* ad *Salluſtium* Jug. cap. LXXVI. §. 5. ARNTZ.

Et ad agriculturam.] Minutum hoc eſt, tamen monendum, in veteribus Libris eſſe *agricultum*: & aliter interpungi caeſum illud: *Dictaturam ſexto decimo die quam acceperat, depoſuit: Et ad agricultum reverſus iterum poſt, &c.* Vulgata haec diſtinctio, quam non ſequor: ſed MSS. Codices & *ad agriculturam reverſus eſt. Iterum poſt*, &c. eximie. De dictatura illa vide infra Cornelium Coſſum. Porro frugalitatis & continentiae Romanae memorabile exemplum, de quo vide *Salvianum* Maſſilienſium Epiſcopum lib. I. de Providentia Dei. SCHOTT. *Flor.* cap. II. *Sic expeditione finita, rediit ad boves rurſus triumphalis Agricola.* ANNA. *Agricultum* Leid. ſec. poſt *reverſus* omittunt *eſt* quatuor. Leid. pr. *reverſus. ipſe item poſt.* Leid. ſec. *reverſus. ipſe interim poſt.*

5 Spu-

5 reverſus eſt. Iterum poſt viginti annos Dictator dictus, Spurium Moelium regnum affectantem, a Servilio Ahala Magiſtro equitum occidi juſſit. Domum ejus ſolo aequavit, unde locus ille Aequimelium dictus.

5 *Spurium Moelium.*] Qui frumenti, ex Etruria privata pecunia coempti, largitiones faciebat. Vid. *Liv.* lib. IV. cap. XIII. ANNA.

Servilio Hala.] Sic vulgati omnes. MSS. ſine ulla veritate *Ab Servilio Ahala*, quomodo & *Aldus Manutius* P. F. olim ſcribendum monuit. *Ciceroni* tamen magis placet *Ala* dici. *Verba*, inquit in Oratore, *ſaepe contrahuntur non uſus cauſa, ſed aurium: quomodo enim veſter Axilla Ala factus eſt, niſi fuga literae vaſtioris? quam literam etiam e maxillis, taxillis, vexilla, paxillo, conſuetudo elegans Latini ſermonis evellit.* Haec ille; videtur igitur *Ala* ab *Axilla* eadem ratione defluxiſſe, qua *velum* ex *vexillo* factum. *Alexand.* vero *Neapol.* lib. I. Genial. cap. IX. putat a faedo oris halitu *Halam* cognominatum. Judicent Eruditiores. SCHOTT. At hodie non dubitant illi, qui antiquis Monumentis ſuum pretium ſtatuunt, horum auctoritate *Ahala* praeferre: ab his ſi deſtituti eſſemus, manu exarati Codices nos redderent incertiſſimos. *Acha* Leid. pr. *Hala Boend.* Fran. & *Gramm. Ahala* Leid. ſec. & Haun. *Dausquii* Orthogr. part. II. p. 24. & Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. XXVII. §. 7. ARNTZ.

Aequimelium.] *Domum deinde dirui extemplo juſſit, id Aequimelium appellatum eſt. Livius.* Fuit autem *Aequimelium* inter Velabrum & Capitolium ad tabernas laneas. ANNA. *Ille* non admittunt quatuor Scripti, & pro *dictus*, *dicitur* Fran. & Leid. uterque.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.

De Sabinis triumphat, populum, a patribus qui ſeceſſerat, revocat, tribunos plebis creat, pauper decedit, & collatis quadrantibus ſepelitur Menenius Agrippa Lanatus.

1 Menenius Agrippa cognomento Lanatus, dux electus adverſum
2 Sabinos, de his triumphavit. Et cum populus a patribus ſeceſſis-

1 *Menenius*] In MSS. eſt geminata liquida. *Plutarchus Menemius* ſcribit. Unde autem *Agrippae* (vel potius *Agripae* ab aegro partu) dicti *Plinius* docet lib. VII. cap. VIII. *Solinus* cap. IV. & *Agell.* lib. XVI. ex *Varrone*. SCHOTT. *Menevius Boend. Menius* Codex *Gramm.* paullo poſt *de bis* pro *de iis* ſcripſimus, volentibus ita Codicibus & Edit. *Machanei. Brouk.* ad *Propertium* lib. IV. El. VII. verſ. 7. ſed nihil Librariis familiarius.

Lanatus.] A *lanugine* enaſcente cana cognomentum fuit Capitolini, auctore *Calepino* Lexico. Itidem *Columella* ſecundo de Agricolatione *uvas amineas lanatas enaſcente lanugine* nuncupat. MACH.

Sabinos.] *Dionyſius* libro VI. *Livius* vero adverſus *Auruncos* dicit. SCHOTT.

De bis triumphavit.] Poſtquam P. Poſtumius Tubertus Collega magna clade repulſus fuit. Anno U. C. CCLI. Vide *Dionyſ.* lib. VI. ANNA.

2 *Seceſſiſſet.*] Auctore & duce Sicinio, iratus in ſacrum montem ſe contulit, quod a foeneratoribus nimium vexaretur. MACH. *Ceſſiſſet* in Antiquis reperio: alterum malo, inde enim *ſeceſſio* dicta. *Salluſt.* in Catilin. *Saepe ipſa plebs aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum armata, a patribus ſeceſſit.* Et lib. III. Hiſt. in Orat. M. Lepidi: *quoties a patribus armata plebs ſeceſſiſſet.* SCHOTT. Ego de hac lectione ne dubitare quidem audeo. *Ovidius* lib. I. Faſt. verſ. 643.

Cauſſa

ceſſiſſet, quod tributum & militiam toleraret, nec revocari poſſet; Agrippa apud eum, *Olim*, inquit, *humani artus, cum ventrem* 2 *otioſum cernerent, ab eo discordarunt, & ſuum illi miniſterium negaverunt. Cum eo pacto & ipſi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per* 3 *omnia membra diſſerere, & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus &* 4 *populus quaſi unum corpus diſcordia pereunt, concordia valent.* Hac fa- 5 bula

Cauſſa quod a Patribus ſumtis ſeceſſerat armis. *Suetonius* Tiber. cap. II. *Cauſſa fuit plebi ſecedendi rurſum a Patribus.* *Ampel.* Libr. Mem. cap. XXV. *Auguſt.* lib. III. de Civ. Dei cap. XVII. *Plebs in Janiculum boſtili diremtione ſeceſſerat.* Apud *Livium* nihil frequentius. Vide lib. II. cap. XXXII. & cet. lib. III. cap. XXXIX. lib. VI. cap. XXXVIII. lib. VII. cap. XL. lib. XLV. cap. XXIII. & pluribus locis. *Quinctilianus* Decl. III. cap. XI. *Quem tamen populus ſeceſſione a Patribus in vincula duci coëgit.*

Tributum & militiam toleraret.] Fuit, cum negationem addendam putarem, ſed utraque lectio, ſi commode interpretaris, ferri poteſt, idque *Salluſtii Criſpi* auctoritate. Sic enim lib. V. Hiſtor. apud *Auguſtinum* lib. II. cap. XVIII. *Quibus ſuevitiis, & maxime foenoris onere oppreſſa plebes, cum aſſiduis bellis tributum ſimul & militiam toleraret, armata montem ſacrum atque Aventinum inſedit.* Quem vide & lib. V. de Civitate cap. XII. Itaque frequenter abſque negatione *Salluſtius*, quam ſi addas, pro non aequo animo perferre accipio. SCHOTT. Antiquae Editiones, & omnes Scripti illam negandi particulam ignorant, ſed eſt in *Plantiniana* Editione *Schotti*, quam reverenter ſecuti, ſic enim illis eſt mos, Collectores Variarum Notarum & *Anna*. Illuſtre exemplum, quanta cura ab Eruditis veterum ſcripta tractari optandum foret, cum ſi ipſi a regia via deceſſerint, coecum vulgus ſtarim ſequatur, & ſic corruptiſſimi Juvenum manibus terantur Scriptores. Et quid hoc loco neceſſarium contra MSS. negationem pervim intrudere. ideo querebatur plebs, quod tributa pendere, & onera militiae ſubire teneretur. Cicero lib. VII. ad Fam. Ep. XVIII. *Forti animo iſtam tolera militiam.* *Curtius* lib. X. cap. III. §. 9. *Munia militiae hoc animorum corporumque robore aeque inpigre toleratis.* *Tacitus* lib. I. Hiſt. cap. LI. *Diuque infructuoſam & aſperam militiam toleraverat.* lib. IV. cap. LXXI. *Recepta juventute facilius tributa toleravere.* & lib. IV. Ann. cap. VI. *Utque vetera* (onera ſeu tributa) *ſine avaritia aut crudelitate magiſtratuum toleravent.* *Symmachus* lib. V. Epiſt. LXII. *Tolerantibus onera ſenatoriae dignitatis.* Similiter *tolerare pericula* apud *Valerium Max.* lib. VII. cap. VII. exem. I. *Tolerare famem* apud *Caeſarem* lib. I. Bell. Gall. cap. XVIII, §. 3. *Tolerare obſidionem* apud *Frontinum* lib. III. cap. XV. ex. I. *Tolerare dura* apud *Senecam* Hipp. verſ. 464. Confer Erud. *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. X. §. 2. & cap. XXXVII. §. 7. Porro veritatem hujus ſcripturae, quod ſtatim monere negleXeram, confirmat etiam *Abſtemius* in Praef. Fabul. p. 534. (Editio haec eſt a *Nevelete* procurata inter Fabulas Variorum) qui eadem iisdem narrat verbis: *Ab Senatu ſeceſſiſſet, quod tributum & militiam toleraret.* ARNTZ.

2 *Otioſum cernerent.*] In veteribus eſt, *crederent otioſum.* varietas forte nata, quod *crevi* praeteritum formet. SCHOTT. Mox cum olim Editis, *Schotto* & Scriptis a *Pitiſci* editione diſceſſimus, *negaverunt* ſcribentes. Ille *negarunt.*

3 *Diſſerere.*] Quidam ſubjiciunt pro *digerere* auctoribus Libris veteribus & *Livio*: *Reddentem*, inquit, *in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemuſque, diviſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem.* Sic *Seneca*, *Corpus*, inquit, *noſtrum & ſanguine irrigatur, & ſpiritu, qui per ſua itinera diſcurrit.* *Corn. Severus* in Aetna:

Ad vitam ſanguis omnis qua commeat idem.

Tametſi Medici *digeſtionem* ſemper in ore habeant, ſitque *digerere* ſuo quidque loco componere. *Virgil.*

Digerit in numerum, &c.

Ovidius.

- - - *Latium digeſta per annum.*

Alias, *dividere.* SCHOTT. *Diſcurre, Boend.* *Celſus* in Praef. p. m. 6. *In omnes membrorum partes digeruntur.* & paſſim Medici. *Arnobius* adv. Gentes lib. VII. p. 225. *Lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, ſumit.* Alii dicunt *dividere.* *Davisius* ad *Cic.* lib. II. de Nat. Deor. c. LIV. Maluiſſem equidem *digerere* praeferre, ſed cum quinque Scripti receptam tueantur, illis nolui repugnare. In ultima tamen *Schotti* eſt *digerere.* ARNTZ.

5 *Fabula haec.*] Aeſopeo more conficta; eſt ea nec vera, nec veroſimilis. Vocatur autem alia, Sybarica, & Cilix, & Cypria, ſecundum inventores nomina mutans. Vicit autem caeteras magis Aeſopica: ut nos late in traductione *Aphthonii* e Graeco Latini facti diximus. MACH.

6 bula populus regreſſus eſt. Creavit tamen Tribunos plebis, qui li-
7 bertatem ſuam adverſum nobilitatis ſuperbiam defenderent. Mene-
nius

Populus regreſſus eſt.] Antiqui *repreſſus eſt*, nihil tamen muto. SCHOTT. *Egreſſus* Leid. pr. *Repreſſus Gramm.*

6 *Tribunos plebis.*] Primos duos, *C. Licinium & L. Albinum*, ut *Livius* vocat. *Aſconius S. Licinium Bellutium & L. Junium Paterculum* appellat. *Dionyſius C. Sicinium Bellutium & L. Junium Brutum. Plutarchus* in Poplicola, & Coriolano *Junium Brutum & Sicinium Bellutum. Suidas* in voce Δημαρχοι, *Sicinium & Brutum.* SCHOTT.

Adverſum nobilitatis ſuperbiam.] In MSS. eſt, *adverſum nobilitatem*, rectius. nam e ſuo corpore contra Patriciorum potentiam, vim, ac injuriam magiſtratum creari populus volebat, non ob *ſuperbiam* ſolum, ſed vim praecipue *nobilium* foeneratorum, qui plebem aere alieno obſtrictam in vinculis habebant. SCHOTT. Si in nullis calamo exaratis Codicibus iſthaec reſtaret lectio, ſed magis *adverſus nobilitatem defenderent*, non eſſet profecto cauſa, cur eam deinde excluderemus. Sed enim cum palam haereat in Autographis Palatinis, non eſt quod nimis eam exagitemus, aut adeo *nobilitatem* exuamus ſua ſibi *ſuperbia*. ei ſane paſſim adfigitur; tanquam nota propria. Unde de Metello *Salluſtius* Jugurth. cap. LXIV. *Cui quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemptor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum.* Addantur & *Aurelii Victoris* Caeſares cap. XXXIX. ubi loquitur de Diocletiano. GRUT. Expreſſimus omnium Codicum & Editionum ſcripturam *adverſum*, ſeu *adverſus ſuperbiam Nobilitatis. Salluſtius* Jug. cap. V. §. 1. *Quia tum primum* ſuperbiae Nobilitatis *obviam itum eſt.* & cap. XXXI. §. 2. *Quam ludibrio fueritis* ſuperbiae paucorum (per *pauci*, ut notum eſt, in *Salluſtio* intelliguntur Nobiles) & cap. LXXXV. §. 38. *Ceterum homines* ſuperbiſſimi *procul errant. Livius* lib. VI. cap. XVIII. *A* ſuperbis *defenderem civibus.* Verba ex Oratione Manliana, qua iram plebis contra Nobilitatem accenderet. *Vell. Paterculus* lib. II. cap. XI. §. 1. *Naturalem* Nobilitatis ſuperbiam, *morandique in imperiis cupiditatem.* Et *ſuperbia* continet illa omnia vitia, quae memorat *Schottus*, potentiam, vim, injuriam & cet. Vide ſupra ad cap. VIII. Dicitur igitur *ſuperbus* is, qui publicae libertati gravis eſt, qui calcatis legibus aliorum Civium cervicibus imminet. *Livius* lib. XXIII. cap. XII. *Aut ſuperbus aut obnoxius videar, quorum alterum eſt hominis alienae libertatis obliti, alterum ſuae. Seneca* de Conſt. Sapientis cap. XI. *Cum magnam partem contumeliarum ſuperbi inſolenteſque faciant, & male felicitatem ferentes. Claudian.* Sec. Conſ. Stil. verſ. 218.

- - - Cives nec fronte ſuperba
Deſpicit.

Quod igitur Noſter *Nobilitatis ſuperbiam* dicit, hoc *Cicero* fragm. Orat. pro C. Cornelio p. m. 138. Edit. *Aſconii*, *nimiam dominationem potentium* appellat. quare, cum contra hanc ſuperbiam Nobilitatis inſtituti ſint, *auxilium plebis* vocantur Tribuni. *Livius* lib. VI. cap. XXVII. XXXVII. & XXXVIII. *Gunther. Ligur.* de Geſt. Barb. lib. III. verſ. 379.

- - - Praetoris honos & Conſul uterque
Annuus, & gemini Plebis tutela Tribuni.

Ubi videndus *Rittershuſius*. Et eodem modo *Vindices*, quomodo pene puer legendum conjeceram apud *Eutropium* lib. I. cap. XIII. *Tribunos plebis, quaſi proprios vindices & defenſores.* Vide Diſſ. noſtram de Civit. Paulli cap. VII. §. 4. Sed haec conjectura placere non potuit Viro Clar. cujus ego humanitati multum debeo, *Sig. Havercampo*, Praefatione in nuperrimam illius Auctoris Editionem, qui omnino receptam lectionem *Judices* tuetur. Verum ego utens conceſſa mihi libertate, ſimulque Viri Cel. deſiderio ſatisfaciens (cui unicum hoc eſt conſilium efficere, ne Juvenes diſcant jurare in verba Magiſtri) nullo modo ſententiam mutare poſſum. Eſſe contra MSS. ſcivi, ceteroquin conjectura non fuiſſet opus, nec tamen Graecum paraphraſtem mihi adverſari antea intellexi, neque etiam nunc intelligo, nullum enim alium ἄρχοντας ἰσωνύμους quam *plebejum magiſtratum* expono, ut apud *Livium* lib. II. cap. LVI. qui pro plebe ſola, non vero pro Nobilitate, curam gererent, eamque vindicarent. Sed propius urguet Vir Erud. *Si* vindices *&* defenſores *dixiſſet* Eutropius, *bis idem dixiſſet.* Sed hoc ſi peccatum eſſet, peccavit etiam *Cicero*, qui *cuſtodem & defenſorem* dixit Tribunum pro C. Rabirio cap. IV. & provocationem ipſam, *Patronam Civitatis* ac *Vindicem Libertatis*; ubi eandem rem duobus verbis exponit. Quomodo *cuſtodem* & *Vindicem* conjungit Idem Orat. II. Agrar. cont. Rullum cap. IX. & *Vell. Paterculus* lib. II. cap. CIV. §. 4. Neque tamen idem deſignat *Vindex* & *Defenſor*, ille erit, qui illatam jam injuriam vindicat, hic, qui, injuria ne fiat, defendat. Pergit Vir Cl. *Judex* Eutropio *idem eſt quod* magiſtratus, idque firmat ex *Eutrop.* lib. VII. cap. VII. *Praepoſitusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum Judicem habuit.* Verum hic locus nihil probat. agitur enim de provinciis,

nius autem tanta paupertate deceſſit, ut eum populus collatis quadrantibus ſepeliret, locum ſepulcro Senatus publice daret.

vinciis, in quibus Praeſides etiam habebant *jurisdictionem*, ut recte *judices* dicantur, & praeſertim poſterioribus temporibus. Sic de aliis praefectis vide *Gutherium* Off. Dom. Aug. lib. I. cap. VIII. Gallus iſte erat Praefectus Aegypti. Vide *Sueton.* in Aug. cap. LXVI. An igitur in Act. Apoſt. cap. XVIII. §. 15. Κριτὴς ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι, haec verba vertenda erunt; *magiſtratus ego illorum eſſe nolo*, an non praeſtaret, *Judex*. Sic Praeſidem Provinciae in judicio vocat Paullus ἐπὶ τὸν *judicem* Act. Apoſt. cap. XXIV. §. 10. Quis Judicem ignorat Pilatum? Adeatur *Briſſonius* de Verb. Sign. voce *Judex*. *Oroſius* multo minus hoc evincit lib. III. cap. XIV. *Ex quibus CCC. Exſules Judices Rectoreſque praefecit.* Nolo jam dicere minori jure hic ferri poſſe *Magiſtratus* & *Rectores*, quam illud *Vindices* & *defenſores*. Sed *Juſtinus*, ex quo vel fortaſſe ex ipſo *Trogo* ſua haec ad verbum tranſtulit *Oroſius* plagiorum nulli ſecundus, ſtatim addit illos Rectores revera *Judices* fuiſſe, cum enim lib. IX. cap. IV. §. 8. eadem habeat verba, quae *Oroſius* §. ſeq. addit. *Apud quos cum potentiſſimi quique rei poſtularentur* &c. quod ſatis ſuperque declarat Judicia ipſos exercuiſſe. Sic itaque judico nullos magiſtratus dici judices, niſi penes quos ſimul fuit jurisdictio, quod cum non obtinuerit in Tribunis Plebis, illi etiam nullo modo *Judices* appellari poſſunt. Et hoc ita verum eſt, ut etiam Conſules, qui antea *Judices* dicebantur, illud nomen mutarint tum, cum Praetor fuit inſtitutus, quia a ſe Jurisdictio in illum tranſiret. Sed video, me fuiſſe longiorem, quam putaram. ARNTZ.

Tanta paupertate deceſſit.] Vide notata in P. Valerio Poplicola cap. XV. ANNA.

Collatis] *Collectis* Pariſinus legit: *Livius*, *extulit eum plebes ſextantibus collatis in capita*, quomodo & *Valerius Maximus* lib. IV. SCHOTT. *Collectis Gramm.* Melius *Eutropius* lib. I. cap. XI. *Adeo pauper, ut collatis a populo nummis ſumtum habuerit ſepulturae. Quinctilianus* Decl. V. cap. VI. *Date ſtipes, indulgete, conferte. Seneca* Conſ. ad Helviam cap. XII. *Menenius Agrippa aere collato funeratus eſt.* Et hinc *collatio* apud *Livium* lib. IV. cap. LX. ARNTZ.

Quadrantibus.] *Extulit eum plebs ſextantibus collatis in capita: Livius.* Fuit autem *quadrans* aereus nummulus, Romani aſſis pars quarta. *Un denier tournois.* Sextans, ſexta pars aſſis Romani, *les deux tiers d'un denier tournois.* ANNA. Non facile aliquid unius Codicis auctoritate mutare ſoleo, non rejiciendum tamen, quod Fran. *ſepelirent.* (*ſepelire* Leid. ſec.) *Ovidius* lib. XII. Met. verſ. 499.

\- - - *Populus ſuperamur ab uno.*

& lib. II. Am. El. IX. verſ. 11.

Nos tua ſentimus populus tibi deditus arma.

Gronovius ad *Livium* lib. IX. cap. VI. & lib. XXXVI. cap. XVI. *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. XXII. §. 4. & alibi. ARNTZ.

Publicum.] MSS. legunt. *publice* alii: quomodo loquitur in Curio Dentato, & *Corn. Nepos* in Ariſtide: *In tanta paupertate deceſſit, ut qui efferretur vix reliquerit. Quo factum eſt, ut filiae ejus publice alerentur, & de communi aerario dotibus datis collocarentur.* SCHOTT.

CAPUT XIX.

ARGUMENTUM.

A Poſtumio optionem munerum accipiens equum & hoſpitem ſumit, frumentum magno pretio populo dat, die ſibi dicta ad Volſcos concedit, eosque adverſus Romanos concitat, a matre & uxore motus bellum omittit, & ut proditor occiditur Cn. Marcius Coriolanus.

Cneus Marcius, captis Coriolis urbe Volſcorum Coriolanus dictus, ob egregia militiae facinora a Poſtumio optionem mune-

rum accipiens, equum tantum & hoſpitem ſumſit, virtutis & pie-
2 tatis exemplum. Hic Conſul gravi annona, advectum e Sicilia fru-
mentum, magno pretio populo dandum curavit, ut hac injuria plebs agros,

1. *Cneus Marcius.*] Sic in vulgatis omnibus legitur: Scribo *Cajus Marcius*, quemadmodum Libri veteres praecipiunt: in uno tamen, ne quid diſſimulem, ſupra adſcriptum habebatur *Quintus*. SCHOTT. *Cajus* ediderat in minori Editione *Schottus* cum ſuis ſectatoribus, ſed ceterae Editiones *Cneus*, quo modo & omnes Scripti, quos ſum ſecutus. Cum enim ubique varient MSS. ego cum plurimis & optimis ſentio. Vide Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. I, cap. XI. §. 9. *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. IV. cap. III. exem. 4. *Glar.* & *Sylb.* ad *Eutrop.* lib. I. cap. XV. ubi *Quintus* vel *Quintius* editur. ARNTZ.

Captis.] Sine praepoſitione. *Schottus Sigonium* ſequi maluit 24: 10. & 25: 17. SYLB. Praepoſitio deletur quoque a plerisque Noſtris.

Coriolanus.] ut Creticus a Creta: Africanus ab Africa. MACH.

Militiae.] Vocabulum hoc abeſt a quibusdam MSS. SYLB. Abeſt & a *Boend.* & Fran.

Poſtumio.] *Plutarcho Poſtumus* eſt, non *Poſtumius*. SCHOTT. Vulgati libri *Poſthumio* itemque *Dionys. Hal.* 414. & 415. Sed *Poſtumi Cominii* non *Sp. Poſtumii* ductu geſtum eſſe hoc bellum manifeſtum eſt e *Sigonii* commentario 24: 4. SYLB. *Poſtumo Schottus* in Edit. min. aliter in majore *Poſthumio*. Variant eodem modo Scripti apud *Valerium Max.* lib. IV. cap. III. exem. 4. Sed hic conſtanter *Poſtumio* Scripti & Editi, quod ego, qui non libenter ab MSS. abeo, contra Doctorum Virorum ſententiam recepi, praeſertim cum ita ſit editum apud *Ciceronem* pro Balbo cap. XXIII. *Sp. Caſſio, Poſtumio Cominio Coſſ.* ſic *Graevius*, ceteraeque, quas inſpexi, Editiones, neque ulla varietatis ſit mentio. ARNTZ.

Equum.] Cum phaleris. ANNA: Loco *optionem* exhibent *optationem* Leid. ſec. & Haun.

Hoſpitem.] *Hoſpitam* Pariſinus habet. SCHOTT. Captivum unum, qui *hoſpes* fuerat. ANNA.

Virtutis.] Exemplum equum. EAD.

Pietatis.] Exemplum hoſpitem. EAD.

2 *Hic Conſul.*] *Conſulem* non fuiſſe exiſtimo, nec Capitolini Faſti a *Verrio Flacco*, ut putatur, conſcripti eum agnoſcunt: Senatorem ut credam, facit *T. Livii* auctoritas. Verum in petitione *Conſulatus* repulſam paſſus eſt: hac injuria plebi infeſtus, graviſſime eam ſua ſententia afflixit. *Dionyſius Halicarnaſſeus* & *Plutarchus*. SCHOTT. & SYLB.

Advectum.] *Addictum* Pariſinus habet, Colonienſis *adductum*, pro quo vulgo *advectum*, quod neſcio quomodo magis adlubeſcit animo meo. SCHOTT. *Adductum* ſolus *Gramm.* ceteri *advectum*, quod etiam tuentur Editi, & ſine dubio vere. *Advehi* enim dicuntur res illae, quae navibus adportantur. *Ovidius* Ep. XVI. Her. verſ. 17.

Namque ego divino monitu, ne neſcia pecces,
Advebor.

Cicero lib. III. de Off. cap. XII. *Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit. Seneca* Medea vers. 197.

I quaerere Colchis. M. Rodeo. qui advexit, fe-
rat.

Avexit Codex Trajectinus, non male. *Ovidius: Phrygiis avecta carinis. Hyginus* fab. XLII. XCVIII. & CXCVIII. *Terent.* Andr. Act. IV. ſc. V. verſ. 19.

Is venit, ut ſecum avehat.

Ibi male Codex noſter & alter Leid. *advehat.* & tunc verſu ſeq. pro vulgato.

Hem, Virginem ut ſecum avehat.

Reponit idem MSS. meus: *adducat*; Leid. vero in errore perſiſtens *advehat*. Apud *Juſtinum* lib. II. cap. VI. §. II. *Ad Regem Theſſaliae Deucalionem ratibus advecti ſunt.* Cod. Bodl. Sed praefero vulgatum *evecti*, quaſi ad altiorem locum vecti, quomodo *Ovidius* lib. XIV. Met. verſ. 127.

Aërias meritis evectus ad auras.

Valer. Flaccus lib. V. Argon. verſ. 386.

- - - Nos hoſpita pubes
Advehimur, Grajum Proceres.

Symmachus lib. X. Epiſt. XXVI. *Omne navigium ſcenicos artifices advexiſſe jactatur.* Non novum autem eſt Librarios verba *advehere* & *adducere* confudiſſe. *Davisius* ad *Caeſar.* lib. I. Bell. Gall. cap. XXIII. §. 4. Cel. *Burmannus* ad *Ovidium* lib. I. Am. El. X. verſ. 1. Quamobrem Eruditiſſimi Viri nonnunquam haeſitarunt, quam potiſſimum vocem praeferrent. Ita ſibi non conſtat vel ipſe *Gronovius*, qui ad *Livium* lib. XXVII. c. XXXVIII. praefert, *navibus adduxiſſe*, contra *advexiſſet* pro *adduxiſſet* reponit lib. XLIV. cap. XXVI. Nec aliter Eruditiſſimus *Cortius* apud *Suet.* Gramm. cap. XX. *A Caeſare puerum Romam advectum*, cum aliis mavult *adductum*. ad *Salluſtium* Jug. cap. LXXXVI. §. 4. Confer *Torren.* ad *Val. Max.* lib. VII. cap. III. exem. 3. ARNTZ.

Sicilia.] Quam *annonae pignus* vocat *Florus*. ANNA.

Magno pretio.] Nam ratus tempus veniſſe ex-

ore

agros, non seditiones coleret. Ergo a Tribuno plebis Decio die dicta, ad Volscos concessit, eosque duce Attio Tullo adversus Romanos concitavit, & ad quartum ab urbe lapidem castra posuit. Cumque nullis civium legationibus flecteretur, a Veturia matre, & Volumnia uxore matronarum numero comitata motus, omisso bello, ut proditor occisus est. Ibi templum Fortunae muliebri constitutum est.

CA-

ore pauperum frumentum rapiendi, unde damnatus. MACH.

Dandum populo curavit.] Locus foeda falsaque interpunctione contaminatus. Lego alioqui *negavit*, ne cum *Livio*, *Dionysio*, & *Plutarcho* pugnet: hoc amplius, a se ipse dissentiat: *injuriam* enim mox appellat. Quam, amabo, injuriam plebi volenti facturus videbatur, si frumentum distribuendum curasset? Quamobrem sic olim sine libris audacter legendum censebam: *Dandum populo negavit, ut hac injuria.* sicque explicabam, ideo impediisse ne Tribuni plebis frumentum populo darent, ut rei rusticae & agricolationi, non vero intestinis seditionibus vacarent. Cupiebat enim hostis Tribunitiae potestatis acerrimus, jura civili illa secessione atque discidio Patribus adempta atque extorta recuperare. Equidem ita judicabam: sed vulgata retineatur, sitque comma post *frumentum: advectum e Sicilia frumentum, magno pretio dandum populo curavit*: advectum partim vili pretio, partim gratis ex liberalitate Regis acceptum fuerat, id quod Patricii plerique, imprimisque hic Marcius vendendum plebi censuerat. SCHOTT. Ita bene *Schottus*: sed jam antea eo modo ediderat *Machaneus*, & sine distinctione *Gryphius: Advectum e S. frumentum magno pretio dandum populo* &c.

3 *Decio.*] *Sicinio Livius* & *Plutarchus*. SCHOTTUS. Pro *Decio* duo MSS. habent *Decimo*. Sed Sicinius Tribunum Plebis, praenomine *Marcum*, agnoscit hic etiam *Dionysius*. SYLB. *Decimo* Fran.

Duce Attio Tullo.] MSS. duo *Tito Tatio*, gentili ejus, qui cum Romulo regnavit annos quinque, unde & tribus quaedam Tatiensis cognominata. Tertius vero *Actio Tullo*, sed *Tullus Attius* appellatus, ut illud praenomen sit, hoc gentis nomen, ut in Tullo Hostilio: Sed de hoc nomine in *Ciceronis* vita quaedam. SCHOTT. *Longe is tum princeps Volsci nominis erat. Livius.* Ejus hospitio urebatur Marcius. ANNA. Vulg. *Accio Tullio* vel *Actio Tullio*. Quatuor Manuscripti *Tito Tatio*. Sed *Attium Tullum* seu *Tullum Attium* vocat cum *Dionysio* etiam *Sigonius* XXV. 40. SYLB. *Tito Tatio* seu *Tacio* Scripti, *Actio Tullio* Editiones. Aperte falsum. Inspice Nob. *Heinsium* ad *Silium* lib. VIII. vers. 407. *Sigonium* ad *Livium* lib. II. cap. XXXV. & *Fabricium* in Hist. *Cicer.* init. pro *concessit* legit *Boend. confugit.* ARNTZ.

Concitavit.] Nam quum ludi magni Romae agerentur, simulavit Tullus cum Consulibus esse metuendum a Volscis; ne seditiones in urbe sererent: unde praeconis voce ejecti sunt Volsci extra urbem; ac ex illa indignatione arma sumpsere. MACH.

Ad quartum ab urbe lapidem.] Imo ad quintum; nam *ad fossas Cluilias quinque ab urbe millia passuum castra posuit. Livius.* ANNA.

4 *Cumque.*] Pulmanni apographon legit: *Isque cum.* SCHOTT.

Nullis civium legationibus.] Ter *legati* missi. Primum atrox responsum tulere. Iterum iidem missi in castra non recepti sunt. Sacerdotes deinde suis insignibus velati nihilo magis profecere. ANNA.

A Veturia matre & Volumnia uxore.] Parisinus *Veturia* & vetus Liber meus *Volusia* edunt. Caeterum *Plutarchus* in Coriolano contra, *Veturiam* uxorem, *Volumniam* matrem fuisse ait. SCHOTTUS. *Vetruria Gramm. Vecturia* Leid. sec. & Haun. post pro *Volumnia* legit *Volumina* Leid. pr. & *Boend. Volumia* Leid. sec. Fran. & Haun. Confer Cel. *Periz.* ad *Val. Max.* lib. V. cap. II. exem. 1. & *Eutropium* lib. I. cap. XV.

Matronarum.] Principe Valeria. MACH.

Comitata.] Passive: nam antiqui etiam *comito* dixere. *Propertius:*

Atque utinam nostrae comitarent castra puellae.

Praeterea apud antiquos omnia deponentia erant communia. *Virgilius:*

Atque uno graditur comitatus Achate.

MACH. Ita major pars MSS. & Editt. non *comitatis*, uti posteriores ediderunt.

Motus.] Dixit enim, *vicisti mater.* MACH.

Ut proditor.] *Pulmanni* apographon legit: *ut proditur*, non *ut proditor*, nec improbo. Varie enim de morte illius disceptant auctores, qui haec literis monumentisque prodiderunt. *Fabius Pictor*, quem *Livius* laudat auctorem antiquissimum, usque ad senecturem vixisse refert, non vero interfectum: & hanc vocem usurpare solitum, *Mul-*

to miſerius ſeni exſilium eſſe. SCHOTT. Liber MS. *ut proditur*, ſed verior lectio vulgata *ut proditor*. Nam & *Dionyſ.* 527. 44. proditionis eum a Tulli factione inſimulatum teſtatur. SYLB. Noſtri nihil variant.

5 *Fortunae muliebri.*] Senatus populusque decrevere: quia e *mulieribus* ſalus urbi fuerat. MACHAN. Videndus *Plutarchus* extremo Coriolano, & de Fortuna Romana. *Dion. Halicarn. Plinius* lib. XXXIV. cap. VIII. & alibi. *Valer. Max.* lib. I. cap. IX. & lib. V. cap. II. SCHOTT.

CAPUT XX.

ARGUMENTUM.

Faſces lictorios ſororis mariti Patricii foribus appoſitos expaveſcit, & a ſorore irridetur Ambuſti filia altera plebejo nupta. Plebis tribunatum aggreditur, e plebe primus conſul fit, in judicium, quia plebejus plus quingenta agri jugera habebat, vocatur, & ſua lege punitur C. Licinius Stolo.

1 Fabius Ambuſtus ex duabus filiabus alteram Licinio Stoloni plebejo, alteram Aulo Sulpicio patricio conjugem dedit. Quarum plebeja cum ſororem ſalutaret, cujus vir Tribunus militaris conſulari poteſtate erat, faſces lictorios foribus appoſitos indecenter expavit.

1 *Fabius Ambuſtus.*] *M. Fabius Ambuſtus. Ambuſti* autem proprie dicebantur, qui fulgure contacti, nec interfecti fuerant, ut hic *M. Fabius*, qui fulmine ictus in natibus. Quare & Jovis pullus dictus, *Ambuſti* cognomen habuit, & toti familiae dedit. ANNA.

Duabus Filiabus.] Vulgati libri *duabus filiis*, contra morem. SYLB. *Filiis Aldus, Gryphius* &c. ut *Gramm.* Codex eum Fran. *Voſſius* lib. IV. de Anal. cap. IV.

Alteram.] Minorem. ANNA.

Stoloni.] *Stolo* ruſticanum vocabulum, quod Liciniae genti inſitum, quia primus inutiles radices ex arboribus eradicabat, quae a *ſtolida* fruticatione *ſtolones* nominantur. MACH. *Lucinio* Leid. ſec. & Fran. *Scoloni* Leid. pr. & Fran. utrumque minus recte.

Plebejo.] Adde *plebejo* ſecutus auctoritatem MSS. & certe deſiderabatur, quod mox patricio, (quem *Ser. Sulpicium Livius* ſecus ac Noſter appellat) alteram in matrimonium filiam datam affirmet. SCHOTT. Invitis Codicibus & Editt. recepimus fide *Schotti* vocem *plebejo*, quae ſenſum quidem multum juvat, ſed tamen, niſi ille ex MSS. hauſiſſet, non magnopere deſiderasem. Satis enim ex ſequentibus colligitur eum *plebejum* fuiſſe. Addit in hac oppoſitione *Florus* lib. I. c. XXVI. §. 2. *Alteram Sulpitio patricii ſanguinis dederat, alteram plebejo Stoloni.* Pro *Aulo Sulpitio* ſubſtituit Fran. *Septimio Sulpitio.*

Alteram.] Majorem. ANNA.

Quarum plebeja.] Vide quae ad *Florum* dicta ſunt lib. I. cap. XXVI. Vide & *Liv.* lib. VI. cap. XXXIV. ANNA.

Tribunus militum.] Ea per plures annos dignitas quotannis pro conſulari viguit, ut *Livius* refert. MACH. MSS. *Tribunus militaris* praeferunt, non *militum.* SCHOTT. *Militaris* quatuor Noſtri. notior enim locutio minus notam de loco movit. *Livius* lib. III. cap. LI. *Decem numero Tribunos militares creant.* & lib. VI. cap. XXXII. *Tribunos etiam militares patricios omnes coacta Principum opibus fecit. Eutropius* lib. II. cap. I. *Pro duobus Coſſ. facti Tribuni Militares conſulari poteſtate.* & cap. III. *Dignitas Tribunorum militarium non diu perſeveravit.* & paullo poſt. *reſumſerunt tamen Tribuni militares Conſulari poteſtate.* ARNTZ.

Faſces lictorios.] Nam moris fuit ingreſſuro domum aliquam magiſtratui per lictores ad dignitatem oſtendendam percutere fores: quod *Plinius* lib. VII. c. XXX. his verbis oſtendit. *Cn. Pompejus*

vit. A ſorore irriſa, marito queſta eſt: qui adjuvante ſocero, ut primum tribunatum plebis adgreſſus eſt, legem tulit, ut alter Conſul ex plebe crearetur. Lex, reſiſtente Appio Claudio, lata tamen, 2
& primus Licinius Stolo Conſul factus. Idem lege ſcivit, ne cui 3
plebejo plus centum jugera agri habere liceret. Et ipſe cum juge- 4
ra

jus confecto Mithridatico bello intraturus Poſidonii ſapientiae profeſſione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit: & faſces lictorios januae ſummiſit. MACH. Alii ſonum lictoriae virgae expaviſſe minorem Fabiam dicunt. ANNA. Confer *Lipſium* lib. 1. Elect. cap. XXIII. *Lictoris Gramm. & Boend.*

Marito.] Patri. *Livius.* ANNA.

Socero.] Fabio Ambuſto. ANNA.

Ut primum.] Pro ſimulatque, vel poſtquam primum. Conſtat vero jam decimum Tribunum plebis cum L. Sextio refectum, quando lex iſta Senatum pervicit. quid ſi ergo legas: *Ut primum Tribunatum plebis rurſum adeptus eſt?* Nihil tamen pronuntio, aut immuto. SCHOTT. Sed primum hic non eſt adjectivum, neque referendum ad Tribunatum, verum conjungendum cum *ut*, *ut primum* pro ſimul ac, ſtatim ac. *Cicero* lib. v. ad Fam. Ep. VIII. *Ut primum forum attigerim.* lib. x. Epiſt. XIII. *Ut primum poteſtas data eſt augendae dignitatis tuae. Suetonius* Ner. cap. XXII. §. 8. *Ut primum Caſſiopen trajecit.* & *Virgilius* lib. VI. Aen. verſ. 102.

Ut primum ceſſit furor.

Quare duas haſce voces conjunctas ſignificantiores eſſe recte judicavit *Turſell.* de Part. pag. m. 149. ARNTZ.

Aagreſſus eſt.] Lege *ingreſſus eſt.* Pater meus. ANNA. *Egreſſus* Leid. pr. ceteri nihil variant. *Virgilius* Ecl. IV. verſ. 48.

Adgredere o magnos (aderit jam tempus) honores.

Seneca Thyeſte verſ. 341.

Et ſceptrum ſcelere adgredi.

Legem tulit.] Tulit idem, *ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſuperaſſet, triennio aequis portionibus perſolveretur. Livius* extremo lib. VI. SCHOTT.

2 *Lex.*] Paullo aliter MSS. *Lex, reſiſtente tamen Appio Claudio lata*, vide infra XXXIV. 4. ID.

Reſiſtente.] *Reſtitit* & Furius Camillus quartum Dictator. *Plutarchus* Camillo extremo. ID. *Not. Min.*

Et primus Licinius Stolo.] Sic Noſter. *Livius* tamen, *Plutarchus* in Camillo extremo, & Faſti Capitolini L. Sextium *primum de plebe Conſulem factum* ajunt. Vitioſe *Dominicus Floccus*, ſive is *Jacobus Borragius* eſt, ut *Robortellus* exiſtimat, auctor de magiſtratibus Romanorum, non *Feneſtella*, *L. Sequarium* nominat. ID. Errorem Noſtri notat etiam *Pighius* tom. 1. Ann. p. 261.

3 *Lege ſancivit.*] Sic locum interpungendum putavi, a quo diſſentire liberum cuique facimus. Porro in MSS. *Lege cavit*: Pariſinus vero, *Legem ſcivit*, venuſte admodum. SCHOTT. Uterque Leid. *lege cavit.* Haun. corrupte *lege creavit. Gramm.* Fran. & *Boend. legem ſcivit.* probe & eleganter. *Cicero* de Prov. Conſul. cap. XV. *Simul oſtendit, eam ſe ſciſcere legem.* Pro Plancio cap. XIV. *Nam quod primus ſcivit legem de publicanis. Tacit.* lib. III. Ann. cap. XXVII. *Quin multa & diverſa ſciſcerentur. Livius* lib. VII. cap. XVI. *Rogatio eſt perlata, & plebs eam aliquanto cupidius ſcivit.* Adde Nob. *Heinſium* ad *Phaedr.* lib. IV. fab. XXV. verſ. 42. Si tamen alicui magis placeat *lege cavit*, per me licet, & eandem efficit ſententiam. ARNTZ.

Plebejo.] Delendum videtur. Legendum ex Hiſtoriae veritate, *ne cui plus quinquaginta.* SCHOTT. *Not. Min.*

Plus centum jugera.] Sic vulgati hactenus; in quibus mendum ineſt. Libri MSS. nihil hic nos adjuverunt: nam in uno lacuna erat, quaſi Librarius haeſiſſet aut lituram in autographo vidiſſet, alter nihil variabat: Nos & *Livio* & *Valerio* auctoribus, *quingenta* ſecimus; exigente ita Hiſtoriae veritate: Et mox: *cum jugera quingenta altera hab.* ubi vulg. *cum jugera centum quinquaginta haberet.* Manifeſte falſum. Lycoſthenes *mille* reponebat, nos, niſi me amo, dexterius *quingenta altera* reſtituimus: praeſertim cum *Varro*, *Plautus*, ceteri ſic loquantur, & in uno ſcriptum repperiſſem, *cum jugera quingenta haberet*, & *altera*. ut *altera* accipiamus pro alterum tantum, vel totidem: Bis enim quingenta millenarium efficiunt, ſi non falſunt Pythagorici numeri. Forte vox *altera* omiſſa, quod ſtatim repeteretur. Simile vulnus in Tib. Graccho ſanavimus. Ceterum legis hujus meminere praeter *Livium*, *Varro* lib. 1. de Re Ruſtica, *Appianus* lib. 1. Bell. Civil. *Agellius* lib. XX. cap. 1. *Valer.* lib. VIII. cap. VI. *Plinius* lib.

ra quinquaginta centum haberet, & altera emancipati filii nomine poſſideret, in judicium vocatus, & primus omnium ſua lege punitus eſt.

lib. XVIII. cap. III. *Vell. Paterculus* lib. II. *Plutarchus* in Camillo & in Gracchis. SCHOTT. *Centum* habent omnes Scr. & Ed. Scio contra teſtimonium aliorum Veterum. ſed vellem, me docuiſſet *Schottus*, cur omnes tales errores Librariis tribuendi ſint, ego puto, & errare potuiſſe ipſos Scriptores, quare ea non ſtatim erunt tollenda, quae nobis peccata eſſe videntur Librariorum. Nec enim ſequor eorum judicium, qui eos Auctores, quorum edendorum curam ſuſceperunt, adeo puros, adeo veraces & certos eſſe aliis perſuadere cupiunt, quaſi ex tripode ſua hauſiſſent, ut falli non potuiſſent. Quare poſtea *quinquaginta centum* cum Codd. retinuimus. ARNTZ.

4 *Emancipati.*] Exhaeredati. *Manceps* vocatur, qui a populo aliquid emebat, conducebatve: *mancipia* appellata ſervi, ancillaeve emtitiae, quia in bello capiantur: unde *emancipare*. Priusquam ſequens caput de legum origine interpreter, obiter ſtudioſos juvenes, maxime juris peritos admoneo, ne *Accurſii* ſcriptis quibusdam, commentitiisque nugis primo Libro Digeſtorum de Juris Origine fidem habeant. MACH. *Valerius Maximus* lib. VIII. cap. VI. *Dimidiam partem filio emancipavit*, pro *vendidit*, quomodo Jurisconſulti ſaepe uſurpant. *Juſtin.* lib. II. Tit. X. de Teſtamentis, *Plautus* Curculione, & *Cicero* Philipp. III. SCHOTT. *Emancipati liberi* ſunt, ut norunt hodie tirones, qui ex poteſtate patris ſunt dimiſſi, non autem *exhaeredati*: cum, ſi vel teſtamento eſſent praeteriti, haberent poſſeſſionem contra Tabulas. Fiebat talis emancipatio per imaginariam venditionem. *Briſſonius* lib. I. Ant. cap. XI. ad quem morem reſpicit *Machaneus*.

Filii nomine.] Nam quos pater emancipaverat, ii ſibi habebant, ſibi quaerebant, &c. ANNA.

In judicium vocatus.] Accuſante M. Popillio Laenate, ut ait *Valerius*. SCHOTT.

Primus omnium - - - .] Ac docuit, *nihil aliud praecipi debere, niſi quod prius quisque ſibi impetraverit*, inquit *Val. Maximus* lib. VIII. cap. VI. cui titulus: *Qui quae in aliis vindicarant, ipſi commiſerunt*. GRUT. Quem vide etiam ad *Livium* lib. VII. cap. XVI.

Punitus eſt.] Damnatus decem millibus aeris teſte *Paullo Oroſio*. SCHOTT.

CAPUT XXI.

ARGUMENTUM.

Virginiam adamat, per clientem in ſervitutem depoſcit legibus ſcribendis Decemvir factus Appius Claudius. Filiam jam addictam in ſecretum abducit, occidit, humeris ad exercitum fert, Decemviros puniri & Appium Claudium in carcere necari curat L. Virginius Centurio.

1 Populus Romanus cum ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet, Decem-viros legibus ſcribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tranſ-

1 *Seditioſos magiſtratus.*] Tribunos plebis violentiſſimos: hoc autem fuit anno tercenteſimo altero, quam condita Roma fuit. MACH. Citat hunc locum absque Auctoris nomine *Iſidorus* lib. V. Etymol. cap. I. ubi recte in MSS. *Cum populus ſeditioſus* legitur. Nam eo tempore, ut ait *Cicero* III. de Legibus, ſeditioſi Magiſtratus nondum fuerant. SCHOTT.

Creavit.] *Curavit* MSS. Nihil muto. ID.

Solonis.] Athenienſis, quem conſtat e ſeptem ſapientibus primarium fuiſſe, cujus exquiſita dicta circumferuntur, ut:

- - - *Di*

tranſlatas, duodecim Tabulis expoſuerunt. Sed cum pacto domina- 2
tionis magiſtratum ſibi prorogarent, unus ex his Appius Claudius Virginiam, Virginii Centurionis filiam, in Algido militantis, adamavit. Quam cum corrumpere non poſſet, clientem ſubornavit, qui eam in ſervitium depoſceret, facile victurus, cum ipſe eſſet & accuſator, & judex. Pater re cognita, cum ipſo die judicii ſuperve- 3
niſſet, & filiam jam addictam videret, ultimo ejus adloquio inpetrato,

- - - Dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
ſententia ejus omnino fuit ab *Ovidio* repetita. MACH. *Tranſlatas* edidimus jubentibus MSS.

Duodecim tabulis.] Primo latae fuere decem confirmante populo, ac in baſes aeneas inſcriptae. *Livius*: *Centuriatis Comitiis* X. *tabularum leges perlatae ſunt, qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici, privatique juris eſt.* Idem paullo inferius: *Jam & proceſſerat pars major anni, & duae tabulae legum ad prioris anni* X. *tabulas adjectae erant.* MACH.

2 *Pacto dominationis.*] Hoc eſt, *dominatione pacta*, hoc eſt, inito conſilio de *dominatione* in perpetuum retinenda. *Flor.* lib. I. cap. XXIV. *Traditos faſces regio quodam furore retinebant.* ANNA. Paullo poſt pro *prorogarent* legit *propagaverunt* Haun. fruſtra.

Virginiam.] In MSS. *Vergineam* ſcribitur per ſecundam vocalem. *Pierius* vero prolixe *Virginius* ſcribendum aſſeruit. SCHOTT. Vide *Livium* lib. III. cap. XLIV. ANNA. *Virginem* Leid. ſec. & Haun. quomodo *Eutropius* lib. I. cap. XVIII. *Unus ex iis Appius Claudius Virginii cujusdam filiam Virginem corrumpere voluit.* Leid. pr. *Virginam. Ex bis* pro *ex ipſis* edidimus e MSS. ARNTZ.

Corrumpere non poſſet.] *Neque ſpe, neque pretio. Livius.* MACH.

Clientem.] M. Claudium. MACH.

Qui eam in ſervitium depoſceret.] Mediolan. longe evariat: *qui eam vindex poſceret*, quomodo etiam legendum mihi videtur, quod]Cti[vindicias ſecundum libertatem aut ſervitutem dare dixerint. Locus hic apud *Livium* obſcurus ſatis: *M. Claudio clienti*, inquit, *negotium dedit ut virginem in ſervitutem aſſereret, neque cederet ſecundum libertatem poſtulantibus vindicias: quod pater puellae abeſſet, locum injuriae eſſe ratus*; de quo vide *Raevardum* ad Leges XII. cap. VI. & in Variis. *Ad. Turnebum* lib. XIII. Adverſar. cap. XXVII. *Fr. Hottomann.* lib. I. Obſervat. cap. XXXII. *Alexand. Neapolit.* lib. VI. cap. X. *Caelium Rodig.* lib. XVII. cap. XXIX. Denique *Aſconium Pedianum* Verr. III. SCHOTT. Sed quomodo aliquis *vindex* erit, qui hominem talem conatur abſtrahere in ſervitutem. Vindex enim eſt, qui aliquem ex ſervitute liberat, non qui aliquem in ſervitutem abducit. *Feſtus* in voce *Vindex*: *Vindex ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur.* Virginia libera erat, & a nemine prenſa, adeoque neceſſarius non erat Vindex. Omnino igitur retinenda erit recepta lectio, niſi quod pro *ſervitutem* ex noſtris Codicibus ſcripſimus *ſervitium.* ARNTZ.

Depoſceret.] Dicendo eam e *ſerva* ſua natam, demum Virginii furto abreptam fuiſſe. ANNA.

3 *Cum ipſo die judiciis ſuperveniſſet.*] Ita MSS. Quidam Codices: *Cum ipſe judicii dies ſuperveniſſet.* non placet. SCHOTT. Malim abjecta litera, *judicii*, volente exemplari Palatino utroque. GRUT. Praetuli ſcripturam quinque Codicum, qui *Judicii* exhibent. *Livius* lib. II. cap. LIV. *Igitur judicii die, cum plebs in foro erecta exſpectatione ſtaret.* lib. III. cap. LVIII. *ante Judicii diem finem ibi vitae fecit. Plinius* lib. V. Epiſt. I. *Appetebat Judicii dies.* Eodem modo ſupra vidimus cap. XVII. §. 3. *Triumphi die.* Apud *Livium* lib. XXX. cap. XXXVIII. *Dies ludorum. Tempus Judicii* dixit *Livius* lib. IV. cap. XLIV. uti *Rutilius* lib. I. verſ. 541.

Tempora navigii clarus reparaverat Eurus.
ubi male *Onuphrius navigiis.* Hoc autem loco illud *ſ* adhaeſit ex ſequenti voce. Quamvis illa littera a Librariis haud raro addita fuerit, ubi neceſſe non erat. *Sigonius* ad *Livium* lib. XLII. cap. XXV. *Gronov.* ad *Senecam* Thyeſt. verſ. 302. & 571. *Pierius* ad *Virg.* lib. IV. Aen. verſ. 167. & nos infra ad cap. XLII. §. I. In Codice Haun. reperitur: *quum in rem judicii ſup.* ARNTZ.

Superveniſſet.] A duobus impigris juvenibus acceſſitus e caſtris, antequam literae Appii *ſuperveniſſent* ſcribentis collegis, *ne illi darent commeatum, ſed in cuſtodia haberent.* MACH.

Addictam.] Obligatam. *Propertius*:

trato, cum eam in ſecretum abduxiſſet, occidit, & corpus ejus humero

Et trahit addictum ſub ſua jura virum. Jam Appius, *I*, inquit, *lictor, ſummove turbam, & da viam domino ad prehendendum mancipium.* MACH. Male, qui *addictam* ediderunt, ignorantes vocis vim. *Addicti* enim ii dicebantur, qui Praetoris pronuntiatione, cum ſolvendo non eſſent, creditoribus vendebantur, ut in eos vitae neciſque poteſtatem haberent: Eſt enim ex tribus verbis Praetoriis, quae ſunt: *Do, Dico, Addico.* Auctor noſter infra in Manlio Capitolino: *Et addictos propria pecunia liberaret.* Sic enim primi legendum docuimus. Quid in augurali ſcientia, *Aves addicunt;* in Numa dicere memini. SCHOTT. Non adnodum ignotam vocem variis quoque modis corruperunt Noſtri. *Adjectam* Leid. pr. *Additam* Leid. ſec. *ductam* Fran. & *Boend.* Unde fieri poſſet *abductam*, ut apud *Caeſarem* lib. 1. Bell. Civ. cap. XI. §. 3. *Liberi eorum in ſervitutem abduci.* Verum recepta ſcriptura mutari non debet, quae eſt veriſſima. *Livius* lib. VI. cap. XIV. *Judicatum addictumque duci patiar.* ut eodem libro cap. XV. XX. XXXIV. XXXVI. & cet. *Quinctil.* Decl. III. cap. XVII. *Flagitium contra in addicto ac pene ſervo.* Vide *Savaronem* ad *Sidonium Apoll.* lib. 1. Epiſt. VII. p. 57. lib. II. Epiſt. VII. & lib. V. Epiſt. VII. p. 329. *Juſtinus* lib. XXII. cap. III. §. 4. *Civitates ſociorum eidem titulo pacis addictas.* & Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XV. verſ. 247. Solent autem haec ita confundi Vide Comment. ad *Tacit.* lib. XII. Ann. cap. VII. ad *Valer. Maximum* lib. IV. cap. VIII. exem. 1. lib. VII. cap. VI. exemp. 1. & *Heinſ.* ad *Claudian.* lib. 1. in Eutrop. verſ. 513. ARNTZ.

Ejus adloquio impetrato.] Tanquam nutricem coram virgine percontari vellet, quid hoc rei eſſet. ANNA. *Eloquio Boend.* Fran. Leid. pr. & *Gramm.*

In ſecretum.] *Seducit filiam ac nutricem prope Cloacinae ad tabernas, quibus nunc Novis eſt nomen. Livius.* ANNA.

Abduxit &] Vulgati ex eo *abduxiſſet* contra fidem Veterum fecerant, & *cum* de ſuo adjecerant: ſed qua fronte? Unus calamo Exaratus in *ſecreta* legebat. Accidit autem ſexageſimo ab exactis Regibus anno. *Cicero* de Finibus: *L. Virginius ſexageſimo anno poſt libertatem receptam, Virginiam filiam ſua manu occidit potius, quam ea Appii Claudii libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur.* Exſtat & *Libanii* Sophiſtae declamatio de patre filium occidente, cum Tyrannus rapere eum vellet. SCHOTT. *Cum eam in ſecretum adduxiſſet* Haun. *Gramm.* Fran. & *Boend. cum eam in ſecretum abduxiſſet* uterque Leid. deleta in omnibus particula &, quam lectionem non video cur vitioſam cenſeat *Schottus*, praeſertim cum in antiquis Editionibus ita jam fuerit editum. Ceterum quatuor priores non recte *adduxiſſet* ſcribunt, melius reliqui *abduxiſſet*. *Livius* lib. XXX. cap. XIV. *Abductum in ſecretum Maſiniſſam ſic adloquitur.* Quod ita recte emendavit ſummus *Gronovius*, cum alii *adductum* legerent. *Juſtinus* lib. XVIII. cap. VII. §. 9. *Tum in ſecretum abducto Pater ait.* Ubi nonnulli male *adducto*. Eodem modo haec vox confunditur apud *Vegetium* lib. 1. de Re Mil. cap. V. *Civilis puer florentiorem adduxerat juventutem.* Ubi in Variis Lectionibus *Scriverii* eſt *abduxerat*, melius, ni fallor. Sed talia ſunt obvia, & obſervavit exempla *Gudius* ad *Phaedrum* lib. V. fab. VII. verſ. 17. Cel. *Graevius* ad *Cicer.* lib. II. ad Fam. Ep. X. *Bongars.* ad *Juſtinum* lib. XVIII. cap. 1. §. 3. *Munckerus* ad *Hyginum* fab. VIII. CXXII. & alibi. *Gronovius* ad *Livium* lib. XXVII. cap. XXIX. Cel. *Burm.* ad *Quinctil.* Decl. XIV. cap. X. & Decl. CCCXXXV. p. 691. Var. Lect. ad *Curtium* lib. VI. cap. VIII. §. 22. & Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. X. verſ. 18. Deinde cum iisdem MSS. & Edit. repoſuimus *& corpus.* ARNTZ.

Occidit.] *Arrepto cultro ab lanio. Livius.* MACH.

Corpus gerens] Diſcrepant alii Hiſtorici ab hujus ſententia, aſſerentes cadaver Romae relictum, ipſum vero ad exercitum iratum rediiſſe. IDEM. *Humero* ſingulari numero habebant Editi & quinque MSS. Corrupte ex contractione Leid. ſec. *humo.* hoc in *humeris* mutavit primus *Sebottus*, neſcio an ex Scriptis. Solent quidem fere antiqui numero plurali uti. *Ovidius* Ibid. verſ. 149.

Quaeque gerunt bumeris perituras Belides undas.

Apulejus lib. XI. Met. p. 269. *Et humeris dependebat.* Ubi malim ſcribere *ex humeris. Quinctil.* Decl. IV. cap. VIII. *Reportatus humeris laetitiam Civitatis inplevi. Propertius* lib. IV. El. X. verſ. 47.

Seu quia victa ſuis humeris huc arma ferebant.

Noſter ſup. de Orig. Gent. Rom. cap. IX. §. 1. & paſſim. Sed cum numerum ſingularem praeferant & Scripti & Editi, contra eorum conſenſum nihil volui committere, praeſertim cum & ſic loquantur alii. *Horatius* lib. I. Sat. I. verſ. 48.

Forte vehas humero.

Auctor Moreti verſ. 79.

— — — Noniſque diebus
Venales humero faſces portabat in urbem.

quomodo recte & *Scaliger* & Excerpta *Voſſiana*. *Cicero* Orat. IV. in Verr. cap. XXXIV. *Sagittae pendebant ab humero.* ARNTZ.

Vidit

ro gerens, ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit, qui creatis decem Tribunis Aventinum occuparunt, Decem-viros abdicare se magistratu praeceperunt, eosque omnes aut morte aut exsilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est. 4

Vindicandum.] *Judicandum* Leid. sec. & Fran.

Decem Tribunis.] Militaribus intelligendum est, *Livio* teste, ad vindicandum facinus, *Resperſus cruore & telum cruentum tenens.* MACH.

Aventinum occuparunt.] Inde in *ſacrum montem tranſierunt. Livius.* MACH. Secunda haec ſeceſſio plebis, quae non prius in urbem redire voluit, quam Tribuni pl. reſtituerentur, & Decemviris abdicatis Conſularis poteſtas revocaretur: auctor *Livius* lib. III. ab U. C. Subit igitur vereri, ne perturbatus hic ordo ſit, falſoque locus a Scribis interpolatus, quem ſic in integrum reſtituere tentabam: *qui Aventinum occuparunt, creatiſque decem Tribunis Decemviros abdicare ſe magiſtratu coëgerunt.* Conjecturam hanc meam de ordine inverſo hiſtoria confirmat. SCHOTT. Perturbatus erit ordo, ſi reſpicias exercitum, qui militabat in monte Vecilio. Hic enim decem Tribunos creavit, poſtquam in Aventinum veniſſet. Sed recte procedet oratio de illo exercitu, qui in Sabinis erat, a quo decem Tribuni fuerunt conſtituti prius, quam in Aventinum proceſſiſſent. *Livius* lib. III. cap. LI. *Aventinum collem* Haun. ARNTZ.

Se magiſtratu.] Illud *ſe magiſtratu* gloſſam olet, aliundeque furtim irrepſit, quod Librarii deſiderari aliquid putarent, neſcirentque veteres ſic nude loquutos, *Conſules abdicarunt*: quod eo lubentius credo, cum in uno *magiſtratu abire coëgerunt* repererim. Ineptius illi, qui *a magiſtratu* infarſerunt. Nihil tamen a Libris antiquis defectus mutare auſim. SCHOTT. Non video, cur hanc locutionem damnet *Schottus*, cum non ſolum *abdicare* ſimpliciter, ſed etiam *abdicare ſe magiſtratu* recte dicatur. *Cicero* lib. II. de Legibus cap. XII. *Ut magiſtratu ſe abdicent Conſules. Caeſar* lib. III. Bell. Civ. cap. II. §. I. *Dictaturaque ſe abdicat, & ab urbe proficiſcitur. Livius* lib. II. cap. II. *Abdicavit ſe conſulatu.* lib. III. cap. XXIX. *Ita ſe Minucius abdicat Conſulatu.* cap. LIV. *Decem viri ſe primo quoque tempore magiſtratu abdicarent.* lib. IV. c. XV. *Abdicare ſe magiſtratu atque exſulare juſſum.* lib. XXXIX. cap. XXXIX. *Extemplo Aedilitate ſe abdicaturum.* lib. XL. cap. XLII. *Magiſtratu ſeſe abdicare jubebat. Capitolinus* in Anton. Phil. cap. XII. *Non abdicare ſe Praetura juſſit.* Quare rectius hanc lectionem tuentur etiam Noſtri, niſi quod ſolus Haunienſis *ſe* omittat, ut *Livius* lib. II. cap. XXVIII. *Abdicare Conſulatu jubentes.* Confer Cl. *Burmannum* ad *Vellejum* lib. II. cap. XXII. §. 2. Sed unus conſenſui reliquorum nihil poterit obeſſe. ARNTZ.

Praeceperunt.] Erat in editis Libris. Ego Scriptos libenter ſequor, ſuadente praeſertim ratione, cui in omnibus fidem integritatemque factam tectam ſervaturum me polliceor. SCHOTT. Judicio *Schotti* mallem accedere, quia ita *Suetonius* Claud. cap. XXIX. §. 4. *Silanus abdicare ſe Praetura coactus.* & *Florus* lib. III. cap. XIV. §. 5. *Ut abdicare ſe magiſtratu cogeretur.* Vide Doct. *Cortium* ad *Salluſt.* Catil. cap. XLVII. §. 3. Sed cum illud tueantur & Editi & Scripti omnes, cur reciperem aliquid, quod invitis Codicibus obtruderetur, praeſertim cum eadem maneat ſententia. ARNTZ.

Aut morte aut exſilio.] Mutilus hic *Pomponii* J. C. locus D. de Orig. Jur. l. 2. *Populique conſenſu partim in carcere necati*, addendumque, *partim in exſilium acti*, tum ex hiſtoriae veritate, tum quod *partim* geminate fere proferri ſolet: tametſi non ignorem ſolum aliquando poni, ut apud *Agell.* lib. X. cap. XIII. ex *Catone* & *Claudio Quadrigario*, & in Inſtitutionibus Juſtinianeis titulo de Teſtamentis, apud *Ciceronem* II. de Legibus, Tuſc. IV. initio: ubi *Lambinus partim* male addidit, & I. Offic. in extremo, & *Salluſtium* in oratione Cottae. SCHOTTUS Ita haec verba leg. 2. §. 24. emendarunt multi, ſed cautius feciſſe videntur hi, qui antiquarunt. Videatur Vir non amplitudine quam eruditione clarior *Bynkershoekius* Praeterm. p. 46. & in aureo libello *Rupertus* Ench. p. 232. Eodem exemplo male conatur ſupplere *Hyginum* Erud. *Munckerus* fab. CXXI. *Ob id Apollo exercitum ejus partim fame prope totum conſumſit.* Ubi addit, *partim peſtilentia.* ARNTZ.

4 *In carcere necatus.*] Alii ipſummet ſibi ipſi mortem conſciviſſe autumant. MACH.

CAPUT XXII.

ARGUMENTUM.

Epidauro arcessitur, ad Romanorum navem pergit, Tiberi adverso subvectus in proximam insulam desilit, & templo constituto donatur anguis imaginem sibi sumens Aesculapius.

1 Romani ob pestilentiam responso monente, ad Aesculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt.

1 *Romani.*] Hanc historiam *Valerius Maximus*, *Lucius Florus*, *Ovidius* in Fastis illustrant. MACHAN.

Ob pestilentiam.] *Livius* in fine lib. x. *Multis rebus laetus annus, vix ea solatium unius mali, pestilentiae urentis simul urbem atque agros suffecit; portentoque jam similis clades erat: & libri aditi, quinam finis, aut quod remedium ejus mali ab Diis daretur. Inventum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum. Neque eo anno, quia bello occupati Consules erant, quidquam de ea re actum.* Loquitur *Livius* de anno U. C. 461. Missus Ogulnius anno sequenti. ANNA.

Responso.] Apollinis, *Ovid.* Metam. xv. *Lactantius.* ANNA.

Monente.] Antiqua lectio *manante.* Verum capitis hujus emendatio partim a MSS. est, partim *Valerio Maximo* debetur. *Livii* enim lib. xi. & alii aliquot, magno malo interciderunt: quam jacturam eo levius ferimus, quod ab injuria temporis *Florus* abbreviator illius reliquus sit. SCHOTT. Volebat *manante* Fran. & *Boend.* sed alterum melius. Vox enim propria oraculis & Vatibus, qui futura praenunciant. Eleg. *Broukhusius* ad *Tibullum* lib. i. El. vii. vers. 56. Idem Poëta lib. iii. El. iv. vers. 5.

Divi vera monent. Venturae nuncia sortis
Vera monent Thuscis exta probata Viris.

Sed in notissima significatione multa conferre non est opus.

Aesculapium.] *Aesculapius* Apollinis filius, a Graecis Asclepius dictus, de quo *Plinius* lib. xxix. *Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Aesculapium fabulata, quoniam Tyndaridem revocavisset ad vitam. Nec tamen cessavit narrare alios revixisse opera sua, clara Trojanis temporibus.* MACH.

Epidauro.] Urbs est Epiri. *Quinctus Serenus:*

Qui colis Aegeas, qui Pergama: quique Epidaurum.

MACH.

Arcessendum.] Sic scripsi ex fide veterum, de qua scribendi ratione supra in Fuffetio dixi. SCHOTT. Atque ita volunt nonnulli e Nostris. *Arcescendum* Fran. Vid. sup. c. iv. §. ii. & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. i. vers. 166. ita constitue *Lactantium* lib. ii. Div. Inst. cap. xvi. *Quod serpens Urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro*

runt. Qui cum eo veniſſent, & ſimulacrum ingens mirarentur, anguis e ſedibus ejus elapſus, venerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanam perrexit, & ſe

pidauro arceſſitus. ARNTZ.

Decem legatos.] Ex more Romanorum, qui in ampliſſima legatione decem adhibebant Viros. *Livius* lib. XXXVII. cap. LV. *Decem legatos more majorum Senatum miſſurum ad res Aſiae diſceptandas. Oroſius* lib. IV. cap. XIII. *Salluſtius* in Jug. cap. XVI. §. 2. *Uti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, dividerent.* Inter illos autem, qui ordine primus erat, & praecipue verba faciebat, *Princeps Legationis* dicebatur. *Caeſar* lib. I. Bell. Gall. cap. XIII. §. 2. *Cujus* Legationis *Divico* Princeps *fuit. Livius* lib. XXV. cap. XXIX. *Miſſi Oratores ad Marcellum, quorum* Princeps *inquit.* lib. XXXVI. cap. XXVIII. *Phaeneas* Legationis Princeps *longam orationem ita ad extremum finivit.* lib. XXXVII. cap. VII. *Secuti & Athenienſes ſunt &* Princeps Legationis *eorum Echedemus.* & cap. LV. & lib. XXXIX. cap. XXXIII. Hoc ipſis jam Trojanis temporibus in uſu fuiſſe conſtat ex *Homero* lib. IX. Iliad. verſ. 168. Talem *ducem Legationis* appellat *Florus* lib. II. cap. VI. §. 7. ARNTZ.

Q. Ogulnio.] De libris MSS. hunc locum reſtitui, in quibus & *Oculino* & *Otulino* pingitur, quorum conſenſum confirmat *Val. Max.* lib. I. c. VIII. ubi *Ogulino* quidam Libri ſcripti. *Stephanus Pighius* ex Faſtis Capitolinis *Ogulnio* emendat. In quibus eſt *Q. Ogulnius Gallus.* SCHOTT. Hoc in nomine corrupti ſunt omnes Libri. *Volumio* Leid. ſec. *Boend.* & Haun. *Volunio* Fran. & *Gramm. Voluminio* Lugd. pr. quomodo *Gryphius.* ceterae Editiones *Volumnio.* In tanta confuſione malui *Schottum* ſequi.

E ſedibus ſuis.] *Colinaeus*, ceterique impreſſerunt *e ſedibus ejus. Suis* tamen dictum oportuit, ut Literati de reciprocis praecipiunt. SCHOTT. *Suis* quidem dictum oportuit, ſi ſemper coacti fuiſſent Veteres ſequi regulas Grammaticorum, ſed illi haud raro *ejus* pro *ſuus*, & *ſuus* pro *ejus* poſuerunt. Quare *ejus* retinemus conſenſu MSS. & Editt. Similiter *Frontinus* lib. II. Strat. cap. IV. ex. 8. *Marcellus cum vereretur, ne paucitatem ejus militum clamor detegeret.* Sed talia obvia ſunt. Alia *Marcilius* ad §. 6. Inſt. de Jure Nat. *Scheff.* ad *Phaedrum* lib. IV. Fab. IV. verſ. 31. *Daviſius* ad *Caeſar.* lib. VIII. Bell. Gall. cap. LI. §. 2. *Cortius* ad *Cicer.* lib. XI. ad Fam. Ep. XI. & Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XII. verſ. 33. Male *Juſtinum* lib. XLII. cap. I. §. 2. tentat Erud. *Faber*, cum pro *Tantum iis itineris fruſtra emenſum*, reponat *ſibi.* fruſtra. Adde *Freinsh.* ad *Florum* lib. I. cap. XII. §. 5. ARNTZ.

Horribilis.] *Horrendus* MSS. praeferunt. SCHOTT. *Horridus* Haun. & Leid. ſec. *Horrere* & *Horror* de ſerpentibus adhibetur. *Virg.* lib. VI. Aen. verſ. 419.

- - - Horrere videns jam colla colubris.

Arnobius lib. VII. adv. Gentes p. 250. in hac hiſtoria, *quod fieri beluam, horrentisque animalis in ſimilitudinem verti. Ovidius* Epiſt. XII. Her. verſ. 101.

Pervigil ecce draco, ſquammis crepitantibus horrens.

Siſſus lib. II. verſ. 584.

Excitus ſede (horrendum) prorumpit ab ima.

Ceterum Leid. ſec. non agnoſcit praecedentem vocem *elapſus*, cum ſine ea ſenſum putaret conſtare. Verum male. Vox enim haec itidem ſerpentibus propria. *Livius* lib. I. cap. LVI. *Anguis ex columna lignea elapſus. Silius* lib. III. verſ. 193.

Et geminum lapſu fidus circumligat anguis.

Conferatur *Servius* ad *Virg.* lib. II. Aen. verſ. 225. *Valer. Flaccus* lib. V. verſ. 254.

Caucaſeis cum lapſus montibus anguis.

Scheff. ad *Obſequentem* de Prodig. cap. LXXXVII. ARNTZ.

Per mediam urbem.] *Ovidius:*

- - - Mediamque per urbem
Tendit ab incurvo munitos aggere portus.

ANNA. *Silius* lib. II. verſ. 588.

Iſque inter trepidos coetus, mediamque per urbem
Volvitur, & muris propere delabitur altis.

Romanorum.] MSS. & Mediolanenſis *Romanam.* SCHOTT. *Romanam* quatuor etiam Noſtri.

Perrexit.] Docta eſt lectio, quam nobis ſervavit ſolus *Grammii* Codex, *perrepſit.* quod verbum proprie ſerpentibus tribuitur. *Arnobius* lib. VII. adv. Gentes p. 249. *Serpentis eſt forma & circumſcriptione finitus, per terram reptans.* Sed nihil unius Codicis auctoritate auſus ſum inmutare, cum & recepta lectio non incommoda ſit, & firmetur a *Valerio Maximo* lib. I. c. VIII. exemp. 2. Ubi hanc hiſtoriam narrat: *Ad Triremem Romanam perrexit.* Neque ibi quidquam de Scripturae varietate notavit Diligentiſſimus earum obſervator *Torrenius*, & loco laudato *Arnobius* addit: *Et ut pergere prorſus poſſit.* ARNTZ.

3 ſe in Ogulnii tabernaculo conſpiravit. Legati Deum vehentes, Antium provecti ſunt. ubi per mollitiam maris, anguis proximum Aeſcula-

Volumnii.] Antiqui ſcripti Libri partim *Q. Burgeni*, partim *Volguini* legebant, unde *Ogulnii* parva immutatione faciebam: de quo alii viderint. SCHOTT. Hic in Noſtris etiam eodem modo ac ſupra variatur.

Tabernaculum.] Proprie hoſpitium Imperatoris in caſtris, quia e *tabulis* fiebat: hic pro tentorio capitur. MACH.

Conſpiravit.] Hoc eſt, in *ſpiras*, & revolutiones ſe fecit. Inde *conſpirare* metaphorice unionem facere. MACH. Antiqui Libri *conſtipavit*, & parum abeſt, quin hoc pro illo reponam, nam conſpiravit pro in ſpiram & gyrum ſe collegit, neſcio an alibi legerint interpretes. Similis error in *Caeſare* emendandus lib. III. Belli Civilis; *Subito conſpicati pilarii*, lege *conſtipati*. SCHOTT. Nihil hac lectione (*conſpiravit*) oculis meis venuſtius; & tantum abeſt, patiar ultimam vocem mutari in *conſtipavit*, ut eandem adhuc inferendam putem *Caeſari* lib. III. Belli Civilis cap. XLVI. ubi eſt; *milites legionis nonae ſubito conſpicati pila conjecerunt*; legendum, inquam, & ibi, *conſpirati*, volentibus MSS. tam *Cujaciano*, quam eo, quem mihi ſubminiſtravit. Ampliſſimus vir *Paullus Petavius*. Certe hanc ſcripturam proprie heic locum habere, arguunt membranae *Caeſaris* Palatinae, in quibus, *compficati*; eae ſcilicet, omiſſo vocabulo genuino, arripuerunt gloſſam. at MSS. Palatini *Victoris* plane propugnant illud *conſpiravit*. GRUTERUS. Ita ſolent ſerpentes. *Virgil.* Georg. II.

Squameus in ſpiram tractum ſe colligit anguis.

Quidam habent *conſtipavit*. Non ita bene. ANNA. *Spirae* ſunt proprie flexus, quos faciunt ſerpentes. *Ovidius* lib. III. Metam. verſ. 77.

Quae modo immenſum ſpiris facientibus orbem
Cingitur.

Valer. Flaccus lib. VII. Argon. verſ. 168.

Vellera tot ſpiris circum, tot ductibus implet.

Idem lib. V. verſ. 255. & lib. VII. verſ. 527. *Silius* lib. VI. verſ. 194. & Cl. *Drakenb.* ad verſ. 276. ejuſdem libri. Ita lego apud *Avienum* in *Arat.* Phaenom. verſ. 140.

Squameus agmen agens Draco volvitur, atque obit ambas.

Spirarum *curvis anfractibus.*

Hodie invenio *ſpinarum*, quae hic locum habere non poſſunt, cum *ſpina* in ſerpentibus ſit aculeus, quo pungunt. *Silius* lib. VI. verſ. 271. de *Spira* autem adde *Servium* ad *Virg.* lib. II. Georg. verſ. 153. *Arnob.* adv. Gentes lib. VII. p. 171. *Ingentibus ſpiris pavefactam colligat virginem. Cerda* ad *Virg.* lib. II. Aen. verſ. 208. Hinc *conſpirare* erit in orbem convolvere, caput caudamque in circulos connectere. Vox igitur, ſi ejus origo inſpiciatur, ſerpentibus propria, quam ideo in dubium vocare non debuerat *Schottus.* Nam verum ſit, vocem hanc hac ſignificatione apud alios non occurrere, ideo tamen damnanda non eſt, nam analogia eam tuetur, & tot aliae voces, quae a Criticis non rejiciuntur, quod ſemel tantum occurrant. Et ſi eo modo procedere voluiſſet Vir Doct., debuiſſet prius oſtendere, ubinam verbum *conſtipare* hoc ſenſu de *ſerpentibus* inveniatur. Defendunt receptam lectionem omnes Editiones & MSS. & omnino reſtituenda *Caeſari* loc. laud. ut recte etiam judicarunt *Voſſius* & *Davisius.* ARNTZ.

3 *Antium.*] Urbs maritima, regius ſeceſſus. MACH. In Pariſino *Anxium.* SCHOTT. *Actium* Leid. ſec. & Haun. Vide omnino Comment. Erud. ad *Ovidium* lib. XV. Met. 718. Similiter variatur apud *Val. Maximum* lib. I. cap. VIII. exem. 2.

Provecti ſunt.] In MSS. *Pervecti ſunt.* In Mediolanenſi vetere, unde lectionem erui, eſt *provecti*, quod hic magis quadrat. SCHOTTUS. *Profecti* quaedam Editt. ſed melius *provecti*, ut volunt MSS. *Virgilius* lib. II. Aen. verſ. 24.

Huc ſe provecti deſerto in litore condunt.

Et eod. lib. verſ. 506.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.

Lucanus lib. IX. verſ. 1011.

Regis dona ferens, medium provectus in aequor.

Cicero Orat. V. in Verrem cap. XXXIII. *Poſtea quam paullum provecta claſſis eſt.* ARNTZ.

Per mollitiam maris.] Vox *maris* male in quibusdam afuit. Pariſinus *per ſevicinam maris.* qui neſcio quid de maris *ſaevitia* ſomniabat, cui numquam molle mare viſum fuit. Intelligit autem maris tranquillitatem. Reperi in uno Codice *maliciam*: Labor igitur, ut eam vocem corruptam credam, cum antea ſcripſiſſet Auctor *malaciam maris*, quod & tranquillitatem ſignificat Graecis: quamquam, ſi quis *mollitiem* Latine potius ſcripſiſſe contendat, quia in MSS. eſt *ibi per mollitiam*, cum eo non admodum pugnavero: Sic enim *Ammianus* lib. XIX. *tranquillitas mare mollivit. Malacia* tamen veteribus auctoribus familiarior. *Caeſar* lib. III. Bell. Gallici, *Fuga ſalutem petere contenderunt: ac jam converſis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta ſubito malacia ac tranquillitas exſtitit, ut ſe loco movere non poſſent.*

ubi

sculapii fanum petiit, & post paucos dies ad navem rediit, & cum adverso Tiberi subveheretur, in proximam insulam desiluit, ubi tem-

ubi *malaciam Caesar* tranquillitatem maris interpretari videtur: amplius tamen significat, quod patet ex illo *Senecae* lib. IX. Epist. *Sed in otio inconcusso jacere non est tranquillitas, malacia est.* Est autem vocabulum nauticum tractum, ut apparet, ἀπὸ τῆς μαλακίας, quae Graecis animi mollitiem & remissionem significat: unde apud *Plautum* μαλακὸς molles dictos observavi: & *malacum pallium*, pro molli: & *malacissandus es*, pro molliendus, ut Graeci μαλακίζειν. Et,

Ne tibi lectus apud me malaciam suadeat.

Quamquam in vulgatis Libris male *malitiam*. Quae omnia apud *Plautum* occurrunt Bacchid. Act. I. Eadem comoedia:

Hic nostra agetur aetas in malacum modum.

Lucretius vero *pellaciam maris* appellat, quam *malaciam* alii, a *pelliciendo*: quod aequoris tranquillitas ad navigandum invitet, fallatque non raro, cum post paullo in horrendas tempestates vertit. *Sextus* enim *Pompejus* lib. X. de Verb. Signific. *Lacit* interpretatur *decipiendo in fraudem induxit*, hinc que alia derivat. Sic igitur ille lib. II. de Rerum Natura:

Insidi maris insidias, virosque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola cum videt placidi pellacia ponti.

& lib. V.

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem videntibus undis.

Arnobius quoque adversus Gentes lib. IV. *pellacia* pro fallacia utitur. *Per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam.* SCHOTT. Perplacet *Schotti malacia*; hactenus tamen, ut videatur etiam lepida restare metaphora in voce vulgata. Palatini accedunt emendatori, habentque *mollitiam*. GRUT. *Saevitiam* ex codicis Parisini *per sevicinam* manifesto legendum. Et forsan haec sit vera lectio. Ex *Ovid.*

- - - Et spissi littoris Antium.
Huc ubi veliferam nautae advertere carinam
(Asper enim jam pontus erat.) Deus explicat orbes,
Perque sinus crebros & magna volumina labens
Templa paremis init, flavum tangentia littus.

Causam enim reddit, cur legati portum Antii subierunt, nimirum jam mare *saeviebat*. ANNA. *Malitiem* Fran. quod juvat emendationem *Schotti*. quomodo olim jam ediderat *Machaneus*. *Malitiem Boend. Mollitiam* Reliqui. Quomodo vocem transferre, quam graeco ore loqui maluit *Aurelius*, uti *Sulp. Severus* Dial. I. cap. IV. §. 2. *Ne statim repetere cursum possimus, maris mollitie adiuveri.* Hunc locum ad partes adtulit, repudiata tamen nostra lectione *Buchnerus* in Thes. *Fabri* voce *malacia*, & *Davisius* ad *Caesar.* lib. III. Bell. Gall. cap. XV. §. 3. ARNTZ.

Aesculapii fanum.] Imo *Apollinis* ex *Ovidio* supra:

Templa parentis init, flavum tangentia littus.

ANNA.

Paucos dies.] Tres. MACH.

Ad navem.] Pleniores sunt MSS. *debinc ad navem redit.* ut *debinc* sit quasi illinc, seu ex illo loco templi Aesculapii, vel denuo. SCHOTT.

Adverso Tiberi.] Colonienſe exemplum *adversus Tiberim*, non ita venuste. SCHOTT. Quia Romam petebat. *Per adversas undas. Ovidius.* ANNA.

Insulam.] *Silvam* scilicet in vestibulo Templi myrto frequentibus Ramis diffusam. MACH. Locus haud dubie inquinatus, quem ex *Valerio*, & *L. Floro* repurgavi: accedebat & Parisiensis antiqui Libri scriptura, quae me ad veram lectionem manu duxit; nam MSS. evariant: alii *in proximam inde filivit*, quidam *inde siluit*. scribe *in proximam insulam desilivit*. Quare male sit audacibus illis emendatoribus, qui pro libito quidvis demutant. *L. Florus* in Epit. lib. XI. de serpente: *Eoque in insulam Tiberis egresso; eodem loco sedes Aesculapii constituta est.* Ubi *Sigonius* recte *aedes Aesculapii consecrata* ex antiquis Schidis reposuit. *Fest. Pomp.* lib. IX. *In insula Aesculapio sacta aedes fuit, quod aegroti a medicis aqua maxime sustententur.* Et *Val.* lib. I. *At in ripam Tiberis egressus legatus in insulam, ubi templum dicatum est, transvavit. Plutarchus* quoque in Problematis quaerens, cur extra urbem Aesculapii fanum sit: & *Plin.* lib. XXXIX. cap. I. pro hac lectione faciunt. *Victor* etiam in regione XIV. urbis, & *Ovid.* XV. Metamorphoseon, *Suetonius* in Claudio c. XX. & *Plautus* in Curculione. SCHOTT. *Insulam* intellige, quae in Tiberi Romae de segete agri Tarquiniorum a Romanis in Tiberim fusa, facta est, de qua vide *Liv.* lib. II. cap. V. Hanc ita *Ovidius*:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.
Insula nomen habet: laterumque a parte duorum.
Porrigit aequales media tellure lacertos.

ANNA. *silvam* solus Leid. sec. Nec melius *Gramm. desilivit*, cum alii rectius *desiluit*, ut *Livius* lib. II. cap. XXXI. *Relictis castris in adversus vallet*

desi-

templum ei conſtitutum, & peſtilentia mira celeritate ſedata eſt.

deſiluere. & lib. VII. cap. XXXIII. *Revectus ad anteſignanos Legionis, quum deſiluiſſet ex equo. Oroſius* lib. V. cap. XII. *Per aedem Lunae in domum privatam deſiluit. Avianus* Fab. XXV. verſ. 6. *Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.* Niſi mavis ibi *delituiſſe*, cum duriori locutione *cadus* dicatur *deſilire.* Sic *inſiluit* apud *Hyginum* fab. XCI. *exſiluit* fab. CLXXI. & *Silium* lib. III. verſ. 689. Vide nos ſupra ad cap. I. & *Bauldri* ad *Lactantium* de Mort. Perſ. cap. XXVI. ARNTZ.

CAPUT XXIII.

ARGUMENTUM.

Ludi litterarii magiſtrum - - - verberandum tradit, Faliſcos in deditionem recipit, Vejos domat, die ab Appulejo ſibi dicta damnatus Ardeam concedit, Gallos Senones urbem occupantes Dictator dictus internecione occidit, & populum Romanum migrare Vejos volentem retinet M. Furius Camillus.

1 Furius Camillus cum Faliſcos obſideret, ac ludi litterarii magiſter, Principum filios ad eum adduxiſſet, vinctum eum iisdem pueris 2 in urbem redigendum & verberandum tradidit. Statim Faliſci ſe ei ob

1 *Furius Camillus.*] Si temporis ratio habeatur, ſic concinnanda: *Furius Camillus Vejos decenni obſidio domuit, deque iis triumphavit. Cum Faliſcos obſideret, dediderunt. Poſtmodum.* SCHOTT.

Faliſcos.] Faliſci Populi ſunt Etruriae, ubi optimi botelli fiebant. MACH. Quidquid dicant quidam e veteribus, *Faliſci* non urbem ſignificat, ſed populum. Urbs dicebatur *Faleji* ſeu *Falerii*, unde *Faleriſci*, *Faliſci*. ANNA.

Ac ludi litterarii.] Sic MSS. Vulgati codices *literarum.* At quod hoc magiſtri genus? an linguae Latinae, quae tum vernacula facta erat? ſed doceri primum Grammatica ſub ſecundum Punicum bellum coepit, teſte *Suetonio*: an potius morum inſpector & formator, exercitiis corpora firmans? aut qualis ludus apud *T. Livium* lib. III. quem Virginia frequentabat? *ibi namque in vernaculis literarum ludi erant.* Ea enim verior lectio, quam quae *in tabernis* vel *tabernaculis* habet. Porro hanc hiſtoriam *Alpheus Avitus* in II. Excellentium Virorum dimetro ſic extulit:

Tum literator creditus
Ludo Faliſcum liberos,
Cauſatus in campi patens,
Extraque muri ducere,
Spatiando paullatim trahit
Hoſtilis ad valli latus.

Quod fragmentum cum nuper *Priſcianum* perlegens reperiſſem lib. VIII. & XIIX. repetitum non dubitavi huc, quo pertinet, transferre: idque libentius, partim quod ejus poëtae reliqua deſiderari doleam, quibus juvari poſſem: partim quod mendum ſubeſſe videam. Conſului igitur olim MSS. codices Bibliothecae D. Martini apud Lovanium, ſed nodum non ſolverunt: divino igitur legendum, *Tum literator creditos.* ut ſenſus planior ſit. Illud vero *campi patens* Graeca forma dictum, ut a *Salluſtio dubia belli*, & *Floro* lib. I. *ſubita belli*, a *Tacito offenſarum operta*, &, quod huic geminum eſt, *Ammiano* lib. XXVII. *aperta camporum* dicitur. Idem *Priſcian.* lib. XII. haec paedagogi verba adfert:

Seu tute malis boſpites:
Seu tute captivos, babes.

Verum, ut illud praeter rem admoneam, *Valer. Max.* lib. VI. cap. V. a Camillo Conſule hoc geſtum tradit A. U. CCCLIX. cum *Livius* Tribunum militarem conſulari poteſtate fuiſſe dicat, & *Plutarchus* eum numquam Conſulem fuiſſe tradat. SCHOTT. *Ludi magiſtrum* vocat *Florus* lib. I. cap. XII. Vide *Liv.* V. cap. XXVII. ANNA. *Litterarii* ſolus Leid. ſec. Vide Comment. ad *Florum* lib. I. cap. XII. §. 5.

Redigendum.] Ideo dixit *redigere*, quod pue-

ri

ob tantam juſtitiam dediderunt. Vejos decenni obſidione do- 3
muit, deque his triumphavit. Poſtmodum eſt crimini datum, 4
quod albis equis triumphaſſet, & praedam inique diviſiſſet; die dicta

ri magiſtrum prae ſe *agebant*, ut paſtores ſolent pecora. ANNA.

2 *Dediderunt.*] Si recte ductus litterarum adſequor in Fran. ſcriptum fuit *rediderunt* forte pro *crediderunt*, ut *Caeſar* lib. VI. Bell. Gall. c. XXXI. §. 4. *Se ſuaque omnia alieniſſimis crediderunt.* Sed nihil mutandum. Sequitur enim *Frontinum* ſeu eos ipſos, ex quibus ille ſua hauſit, lib. IV. Strateg. cap. IV. ex. 1. *Faliſci ob hanc juſtitiam ſponte ſe ei dediderunt.* Leid. pr. *diderunt.* Haun. *dederunt.* male. Ipſi enim Homines, qui in fidem Romanorum perveniunt, dicuntur ſe *dedere*, contra *dare*, ſi tradant arma, obſides &c. *Caeſar* lib. II. Bell. Gall. cap. XV. §. 5. *Incuſare reliquos Belgas, qui ſe Populo Romano dediſſent.* & cap. XXXII. §. 1. *Si prius, quam aries murum attigiſſet, ſe dediſſent. Livius* lib. XXIII. cap. XLI. ex quo loco clarius haec diſtinctio apparet: *Aliae quoque Civitates, quae ad Hampſicoram Poenosque deſcciverant, obſidibus* datis, dediderunt *ſe.* & lib. XXIV. cap. 1. *Velut obſidibus* datis, *haud dubio in ſpeciem conſenſu fit ad Poenos* deditio. Fortaſſe plura infra cap. LXXI. ARNTZ.

3 *Vejos.*] *Veji* urbs, *Vejens* populus: unde, *Vejentanumque rubellum.* MACH. *Veji* Tuſciae urbs ad Laronem fluvium. ANNA.

Obſidione.] *Obſidio* conſtanter MSS. Unus vero, *bieme obſidio domuit*, quomodo fere & Pariſinus Codex veruſtiſſimus: unde legendum colligo, *decenni bieme obſidio domuit*, pro hiemali. *L. Annaeus Florus* lib. I. meam conjecturam confirmat: *Vejentium*, inquit, *quantae res fuerint indicat decennis obſidio. Tunc primum hiematum ſub pellibus, taxata ſtipendio hiberna: adactus miles ſua ſponte jurejurando niſi capta urbe non remeare.* judicent Eruditiores. SCHOTT. *Obſidione* iterum omnes Noſtri, vide quae notavimus ſupra. Sed turbantur haec admodum in MSS. Leid. ſec. *Vejos decenni obſidione bieme domuit.* Leid. pr. *Vebios bieme obſidione.* Franeq. *Gramm.* & Haun. *Vebios bieme & obſidione domuit. Boenderm. Vebios bieme*, poſt quam vocem deſiderantur ſequentia uſque ad §. 9. *Cum Manlio* &c. *Schottus* in majori Editione dedit *decennii obſidione domuit.* Ego veſtigiis MSS. inſiſtens, cum *Schotto* non dubitarem forte reſcribere *decemni bieme obſidione domuit*, id eſt, decimum annum poſt, quam obſeſſa eſſet. Solent enim praeſertim Poëtae partem anni pro integro anno ponere. *Ovidius* Epiſt. VII. Her. verſ. 87.

Nec mihi mens dubia eſt, quin te tua Numina damnent,
Per mare, per terras ſeptima jactat hiems.

Aeſtatem de iisdem Aeneae erroribus dixit *Virgilius* lib. I. Aen. in fin.

- - - Jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus aeſtas.

Ubi adeundus *Serv.* & lib. I. Aen. verſ. 269. *Val. Flacc.* lib. VI. verſ. 115. *Martialis* lib. V. Epigr. XXXVIII.

Sexta peregit bieme nec tamen tota.

lib. X. Epigr. LXI.

Crinine quem fati ſexta peremit hiems.

Poëtica quamvis haec magis videatur locutio, eam adhibuit ideo, quia illud potiſſimum ſingulare ſit in hac hiſtoria, quod tum primum hieme in caſtris ſub pellibus ſeu tentoriis manſerint Romani, cum antea aeſtivo ſolummodo tempore bella gererent, hieme domum repetentes. Atque hinc eſt, quod *hiemem* etiam pro anno poſuerit *Ovidius*, quia ipſe praecipue vi hiemis & frigore vexabatur lib. I. ex Pont. Epiſt. II. verſ. 27.

Hic me pugnantem cum frigore cumque ſagittis
Cumque meo fato quarta fatigat hiems.

Certe non ſola hieme *cum fato ſuo pugnabat*, ſed omni tempore, adeoque *hiems* pro toto anno accipienda, cum *aeſtas* illic locorum hiemi potius quam aeſtati eſſet ſimilior. Nec inpedit, quod hac in lectione duo ab'ativi conjuncti reperiantur *bieme* & *obſidione*, quod ſaepius accidere docebit Erud. *Cortius* ad *Salluſtium* Catil. cap. XI. §. 4. Mallem tamen legi *decima*, ſed Noſter non ſemper accurate loquitur. ARNTZ.

4 *Quod albis equis triumphaſſet.*] *Plutarchus:* Τὰ τ' ἄλλα τοβερῶς ἐθριάμβευσε, καὶ τὸν θρίαμβον ὑποζυγίοις λευκόποσι λευκοῖς ἐπέβη, καὶ διεβάλετο τῇ Ῥώμῃ, οὐδὲν τοῦτο ποιήσαντος ὑγιμόν, πρότερον, οὐδ' ὕστερον. Hinc *Symmachus* urbis Praefectus (quem *Mart. Lipſio* acceptum referre convenit) Theodoſio Imperatori ſuaſit vehiculorum uſum in urbe ſummoveret, non enim e Republica eſſe urbis Moderatorem tanquam Salmoneum quendam ſuperbe invehi. *Irritamentum*, inquit, *ſuperbiae Romae veſtra non patitur: memor ſcilicet bonorum parentum, quos Tarquinii faſtus & ipſius Camilli currus offendit. Nam tanto illi viro albentes quadrigae exſilium triſte peperercunt. Summiſit Poplicola concioni civium Conſularem ſecurim, & honoris ſui culmen infregit, ut libertatem civitatis erigeret. Ergo moribus potius quam inſignibus aeſtimemur.* Sic il-

cta ab Appulejo Tribuno plebis, damnatus, Ardeam conceſſit. 5 Mox cum Galli Senones relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium Italiae oppidum obſiderent, miſſi ſunt Roma tres Fabii, qui Gallos 6 monerent, ut ab oppugnatione deſiſterent. Ex his unus contra 7 jus gentium in aciem proceſſit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec inpetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam fluvium ceciderunt,

le a Chriſtianiſmo alienus, quae utinam a nobilibus intelligantur, qui mirum, quam lunatis calceis, non veris animi bonis placere ſtudeant. SCHOTT. Nam *parum id, non civile modo; ſed humanum etiam viſum. Jovis Soliſque equis aequiparari Dictatorem in religionem etiam trahebant: triumphuſque ob eam unam maxime rem clarior quam gratior fuit. Livius.* ANNA. Ampl. *Cuperus* ad *Lactant.* de Mort. Perſ. cap. XVI.

Et praedam inique.] *Praedam Vejentanam quam publicando ſacrandoque ad nihilum redegit. Livius.* ANNA.

Ab Appulejo.] Mediolanenſis & MSC. quidam *Saturnino* adjecit: Pariſinus vero *Saturnio*, falſo uterque, neque enim is erat, de quo infra. SCHOTTUS. *Pulejo Saturnio* uterque Leid. *Apulejo Saturnino* Fran. & *Gramm. Epulejo Trib.* Haun. Nullus autem agnoſcebat praenomen *Lucii*, quod addiderant poſteriores. Vid. *Livium* lib. V. cap. XXXII.

Ardeam.] *Ardeam civitatem* praeferebat Pariſinus. SCHOTT.

5 *Galli.*] Vox haec in Pariſino afuit, & certe ſuperare videtur. SCHOTT. Delet & *Gramm.* & Fran.

Senones.] *Ab Utente flumine uſque ad Aeſim fines habuere. Livius.* ANNA.

Relictis agris.] Inter varias rationes, de quibus *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. XIX. §. 1. cur Coloni in alias regiones tranſirent, etiam recenſetur ſterilitas agrorum. *Seneca* ad Helviam cap. VI. & cap. VII. in fin. *Ad hanc commutationem libenter nomina dabant, & relictis agris ſuis trans maria ſequebatur colonus ſenex.* Sic quidem ibi legendum exiſtimo, male circumferri ſolet *aris ſuis*, quae vox cum voce *colonus* minime convenit. Neque enim illi, qui novam Coloniam quaerebant, relinquebant ſacra ſua, quod notum ex Hiſtoria Aeneae, Tyri &c. *Virgilius* Ecl. I. init.

Nos dulcia linquimus arva.

Hoc *relinquere Penates* dixit *Livius* lib. XL. cap. III. Sic enim ibi ea vox de aedibus, non de Diis eſt exponenda. Confunduntur autem *aris* & *agris* ap. Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. III. cap. XIII. §. 4. & Cel. *Burmannum* lib. XI. Met. verſ. 546. ARNTZ.

Cluſium.] *Cluſium* verus intellige, mediterraneum Tuſciae opidum ad Glanum fluvium, qui non longe ab lacu Traſimeno. ANNA.

Italiae oppidum.] *Etruriae opidum* Mediolanenſis legit. MSS. vero *Italiae*. Vulgata tamen lectio ferri poteſt. Cauſas autem, cur in Italiam Galli Senones duce Brenno irruperint, varias colligunt *Polybius*, *Livius*, *Dionyſius*, & ex his *Hieron. Magius* lib. III. Miſcell. cap. XII. & *Alcatus* lib. IV. Diſpunctionum cap. XI. SCHOTT. Tamen *Italiae* profitentur apud nos omnes MSS.

Miſſi ſunt Romani tres legati.] Concinnior lectio veterum Codicum *miſſi a Romanis tres Fabii*. Mediolanenſis *miſſi Roma tres Fabii*. *Livius* enim Qu. Fabium Ambuſtum & fratres duos M. Ambuſti filios legatos a Senatu miſſos fuiſſe ad Gallos Cluſium obſidentes refert. A. U. C. CCCLXII. A *Diodoro Quinctus*, *Kaeſo*, & *Cajus Fabii* dicti, qui anno inſequenti Tribuni militum Conſulari poteſtate fuere. SCHOTT. Et mihi quoque magis arridet lectio Exemplarium calamo exaratorum: *miſſi Roma tres Fabii*; quae & in Palatt. GRUT. *Roma tres Fabii* Leid. pr. & Fran. multo elegantius. *Romani tres Fabii* Haun. *Roma tres Legati Gramm.* Ubique hos etiam legatos *Fabios* appellat *Livius* lib. V. cap. XXXV. & XXXVI.

6 *Ex his unus.*] Vide *Liv.* lib. V. cap. XXXVI. ANNA.

7 *Inpetratis.*] Imo hi, quorum de poena agebatur, Tribuni militum conſulari poteſtate creati ſunt. MACH.

Alliam fluvium.] Hic XII. miliaribus Roma diſtans eſt, montibus Cruſtumiis affluens in Tiberim. MACH.

Ceciderunt.] Sic etiam Omnes MSS. olim tamen Editi *occiderunt*, quod princeps mutavit *Schottus*, quamvis nullam mutationis addat cauſſam. Certior ejus eſt lectio, quia ita volunt Scripti, ſed prius tamen non rejiciendum, ſi modo addicerent Codices. *Frontinus* lib. I. Strat. cap. I. ex. 9.

Copiasque

derunt, die XVI. Kal. Auguſti, qui dies inter nefaſtos relatus, Allienſis dictus. Victores Galli urbem intraverunt, ubi nobiliſſi-8
mos ſenum in curulibus & honorum inſignibus, primo ut Deos venerati, deinde ut homines deſpicati interfecere. Reliqua juventus9
cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obſeſſa, Camilli virtute eſt ſervata. Qui abſens Dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos in-
provi-

Copiasque ejus, antequam Hannibali fratri jungerentur, occidere. Livius lib. XXVII. cap. LI. *Exercitum hoſtium Imperatoremque occiſum.* Eod. lib. cap. XLII. & XLIX. *Frontinus* iterum lib. III. Strat. cap. XVI. ex. 2. *Qui Romanos excipiendorum cauſſa eorum progreſſos occiderunt.* Alii reponunt etiam ibi *eciderunt.* Eodem modo *interficere exercitum Eutropius* lib. III. cap. XX. *Exercitum ejus interfecit. Corn. Nepos* Dat. cap. VI. §. 4. *Quo facilius receptus interficeret hoſtes. Frontin.* lib. I. Strat. cap. I. ex. 6. & lib. II. cap. VII. ex. 3. Haec & alibi ita commutantur. Vide *Lipſium* ad *Tacit.* lib. I. de Clem. cap. XIV. Nos ſup. cap. X. init. & fortaſſe infra ad c. LIX. ARNTZEN.

Die XVI. *Kal. Auguſt.*] XVII. die Julii. MACH. De die nefaſto, vel atro, quo pugna Alienſis pugnata eſt, video inter auctores non convenire. *Livius* & *Plutarchus*, a. d. XV. k. Sextil. *Tacitus* XV. Annali quartum decimum numerat. Vide doctiſſimum *Scaligerum* de Emendatione Temporum. SCHOTT. *Servius* ad *Virg.* lib. VII. Aen. verſ. 717. & *Lipſius* ad *Tacitum* lib. XV. Ann. exc. A.

Allienſis.] *Alienſis* cur ſimplici liquida ſcripſerim, ſi quis rationem a me quaerat, ſequutus veteres Libros ſum, & Graecam conſuetudinem. Hi enim Ἀλίαν ποταμὸν & Ἀλιήδα ἡμέραν vocant. Adhaec *Servius* in VII. Aen. 717.

Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Affirmat Poëtas duplici *ll* metri cauſa efferre. *Lucanus* lib. VII.

Et damnata diu Romanis Allia faſtis.

Verum circa Idus Februarias a Camillo Roma expulſi ſunt Galli, quos inter pendendum aurum adortus erat. Auctor *Plutarchus*: unde recte *Sigonius* Camillum anno inſequenti CCCLXIV. dictaturam continuaſſe colligit. SCHOTT. Sed de ratione ſcribendi non idem ſentiunt Docti, cum quorum magna parte ego duplex *ll* praefero. Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. XIII. §. 7. & Var. Lect. Erud. *Oudend.* ad *Lucan.* lib. VII. verſ. 409. Et *Allia* ſemper eſt apud Poëtas cum duplex *ll*, nunquam vero *Alia*. Aliter enim intelligendus *Lucanus*, quam expoſuit *Servius* ad *Virg.* lib. VII. Aen. verſ. 717. eumque ſecutus *Dausquius* Orthogr. tom. II. p. 26. *Halienſis* & *Haliam* unico *l.* ſolus *Gramm.* ARNTZ.

8 *Ubi nobiliſſimos ſenum.*] Pro *ſenes nobiliſſimos.* Male *Senenum* quidam. In Scipione Africano *nobiliſſimos juvenes* dixit. SCHOTT. *Senium* Fran. & Leid. ſec. quam quidem lectionem genuinam eſſe adfirmare non audeo, tamen negligere nolim. Similes voces, ut ex. gr. *Judicium* & *judicum* a *judex*, *meretricium* & *meretricum* a *meretrix*, uti *ſenium* a *ſenex*, collegit Erud. *Voſſius* lib. II. de Anal. cap. XIV. Unde *Judicium* pro *Judicum* in Variis Lectionibus habetur apud *Symmachum* lib. X. Epiſt. XXIII. fine. *Radix* facit *radicum* & *radicium. Aldus Manutius* ad *Cicer.* lib. I. de Off. c. XLIV. adde ad lib. III. de Off. cap. XVIII. fin. *Dausquium* part. I. Orthogr. p. 105. & *Stewechium* ad *Veget.* lib. II. de Re Mil. cap. XIX. p. 119. Idem *Vegetius* lib. V. de Re Mil. cap. VII. *Interdum quinos ſortiuntur remigium gradus.* Sic ibi Codd. *Scriverii.* & lib. V. cap. XIII. ex iisdem: *Lacerti remigium & ars clavum regentis. Senonum* edidit *Mach.* ARNTZ.

Primo ut Deos venerati.] *Florus* lib. I. c. XIII. *Sedentes in curulibus ſuis praetextatos ſenes, velut Deos geniosque venerati; mox eosdem poſtquam eſſe homines liquebat, alioqui nihil reſpondere dignantes, pari vecordia mactant.* &c. ANNA.

Interfecere.] Initio orto a Papirio, qui dicitur Gallo barbam ſuam promiſſam permulcenti, ſcipione eburneo in caput incuſſo, iram moviſſe. MACH. *Deſpectati* Fran.

9 *Manlio.*] Qui clangore crepituve anſerum noctu excitus Gallicos jam in arcem aſcendentes deturbavit. MACH.

Obſeſſa.] A Gallis qui omnia flammis in urbe vaſtarant. ID.

Servata.] Pro *liberata* eſt *ſervata* in MSS. SCHOTT. *Servata* etiam *Machaneus.* Sed *liberata* apud *Aldum*, *Gryphium*, ceteros. Nos Scripturam omnium Codicum praetulimus.

Dictator dictus.] A Caeditio: conſenſu omnium in arce exiſtentium. Dictus autem fuerat per Pontium Comminium impigrum juvenem, qui

10 proviſos internecione occidit. Populum Romanum migrare Vejos volen-

incubans cortici, ſecundo Tiberi labens Vejos uſque ad Camillum mandata deferens deceptis cuſtodibus in Capitolium repedabat. MACH.

Reliquiis.] Reliquias exercitus Romani ſparſi. *Virgilius. Reliquias Danaum.* MACH. Vulgati *reliquiis. Aldus* vero *reliquis*, ut & Libri Scripti. SCHOTT. Revocandum, quod haeret in aliis Libris, etiam Palatinis, *reliquiis.* Neque enim adhaerendum Codicibus ſcriptis, ubi abeunt a ratione, aut vero, quamquam heic, veteri modo ſcribendi, litera una pro gemina poſita videri queat. GRUT. Neque recepta lectio repugnat Codicibus manu exaratis, cum ita in Noſtris omnibus reperiatur, & in altera Editione *Aldi* & ſequentibus, qui fere ejus textum expreſſerunt. *Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. X. *Legiones inter Galliam deleverunt, quarum reliquias cum C. Marius ſuſcepiſſet.* Epit. *Livii* CVI. *Cum reliquias exercitus in collem recepiſſet.* Et ſic fuerat reponendum apud *Frontinum* lib. II. Strat. cap. VII. ex. 13. *Et hac adſimulatione reliquiis Pompejanarum partium fiduciam fecit.* In Editionibus hodie apparet *reliquis*, quamvis ſaniorem ſcripturam in Variis Lectionibus adnotarant Viri Eruditi. Noſt. inf. cap. XXIX. init. *Juſtinus* lib. XXII. cap. VIII. §. 15. *Ad perſequendum belli reliquias. Seneca* Conſol. ad Marciam cap. XX. *Et ex eo praelio, in quo prima acies Senatus fuit, quam infelices reliquiae ſunt. Eutrop.* lib. V. cap. IV. *Ut belli ſocialis reliquiae tollerentur. Livius* lib. XXII. cap. LVI. *Reliquias tantae cladis velut ex naufragio colligentem. Juſtinus* lib. XIX. cap. III. §. 9. Var. Lect. ad *Curtium* lib. IV. cap. XVI. §. 7. & *Salmaſius* ad *Spart.* Hadr. cap. VII. ubi haec eodem modo permiſcentur. ARNTZ.

Proviſos.] Inter Quintum Sulpitium, & Brennum Regulum Gallorum, & colloquio interveniente, & auro mille pondo pacto Tribuno recuſante pondera, quae Galli penſuri ſupra ponebant, Camillus forte intervenit, auferrique aurum, & Gallos de medio ſummoveri juſſit; illis vociferantibus conventum cum hoſtibus, reſpondit a Sulpitio Tribuno minori magiſtratu juſſionem nullius loci eſſe, eumque ad manus ventum fuit, tanta ſtrages Gallorum Gabinia via facta, ut ne quidem nuntius cladis ſuperfuerit. MACH. Legendum: *improviſus*, id eſt, *ipſe improviſus Gallos*, &c. Pater meus. ANNA. Profert Eruditiſſima *Annae* conjecturam Parentis, *improviſus*, quomodo hic etiam reſcribebat Eleg. *Munckerus* ad *Fulgent.* Mythol. lib. I. p. 9. quo loco hanc locutionem pluribus illuſtrat, quibus adde *Virgilium* lib. I. Aen. 598.

- - - Cunctisque repente
Improviſus *ait.*

Et lib. IX. Aen. verſ. 48.

Viginti lectis Equitum comitatus, & Urbi
Improviſus *adeſt.*

Mamert. Paneg. dict. Julian. cap. VI. §. 3. *In medio Illyrici ſinu* improviſus *apparuit. Apulejum* lib. IX. Met. p. 226. *Captata noctis opportunitate* improviſus *maritus adſiſtit. Arnobium* lib. V. adv. Gent. p. 183. Improviſus *Proſerpinam rapuit. Celſum* Vit. Caeſ. p. 216. Improviſus *Pharon peninſulam occupavit.* & p. 223. *Venit igitur* improviſus. *Cortium* ad *Sall.* Jug. cap. LXXXVIII. §. 6. Sed fortaſſe *improviſi* poſſent dici hoſtes, qui vel omnia ad bellum neceſſaria non habent inſtructa, vel ad inſidias non ſatis attenti ſunt, ut *Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. XX. *Ut ex utroque cornu* improviſos *hoſtes vertas in fugam.* Confer *Waſſe* ad *Salluſtium* Jug. cap. LIII. Tamen ut dicam id, quod ſentiam, & hic (quamvis repugnent omnes Scripti noſtri) & apud *Veget.* l. l. praeferrem *improviſus.* Codex autem *Boend.* legit *improvidos.* ARNTZ.

Interneciones.] *Internitione* Libri ſcripti, Colonienſis *interitione.* Vidi qui & *internectione* legerent, ut in antiquo *Suetonii* Libro in Othone c. XII. Narrat eadem *Annaeus Florus* lib. I. & *Polyaenus* lib. VIII. Strategematum. SCHOTT. Corrupte *incenucione* Fran. *Internitione Boend.* & *Gramm. In dormitione* Haun. *Interemptione* uterque Leid. Sed malim ego receptam tueri cum Erud. *Munckero* ad *Fulgent.* Myth. lib. I. p. 9. Paneg. *Mamert.* Maxim. Hercul. dict. cap. V. §. 4. *Cuncti Chaibones, Erulique cuncti tanta internecione caeſi interfectique ſunt. Frontinus* lib. II. Strat. cap. V. exemp. 32. *Converſos & in fronte & utrisque lateribus ad internecionem cecidit.* & eod. cap. ex. 14. *Ad internecionem cum Exercitu cederetur.* ubi eodem modo variant Codices, monente cum aliis *Keuchenio. Eutropius* lib. IV. cap. XIII. *P. Juventium contra ſe miſſum ad internecionem vicit.* Ubi alii *internicionem* teſte *Vineto.* Confer *Brantium* in Not. Crit. ad *Caeſarem* lib. I. Bell. Gall. cap. XIII. Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. II. cap. XVII. §. 16. & cap. XVIII. §. 6. & Cl. *Cortium* ad *Salluſtium* lib. III. Hiſt. p. 965. ARNTZ.

10 *Populum.*] *Romanum* ſimpliciter Leid. ſec. ut *Romanus* pro Populo Romano ponatur, quod vix veriſimile. Vid. *Grov.* ad *Livium* lib. III. cap. II. Ad hanc hiſtoriam adluditur apud *Sueto-*

volentem retinuit. Sic & oppidum civibus, & cives oppido reddidit.

Suetonium Nerone cap. XXXIX. §. 5.

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites.

Volentes Leid. pr.

Retinuit.] Facunda oratione, in qua oſtendit tercentum, & unum & ſexageſimum annum praeteriiſſe, quibus fortuna recte ſteterat; ne expertis inexperta praeferrent. Praeterea firmavit populum vox audita: *ſigniſer ſtatue ſignum; hic optime manebimus.* Ad illud *Juvenalis* reſpexit:

Vejos migrate Quirites.

MACH. Ejus orationem facundiſſimam vide apud *Liv.* lib. V. cap. LI. ANNA.

Oppidum civibus.] Vellem *urbem* dixiſſet: quomodo Romam potiſſimum appellatam pueri norunt, & ſi ignorent, vapulant plagoſis Orbiliis. Hinc autem alter Romulus dictus Camillus, ut & Marius tertius de victis Cimbris. Auctor *Plutarchus*. SCHOTT.

CAPUT XXIV.

ARGUMENTUM.

Voluntarium militem ſe offert, militaribus donis ornatur, in pectore cicatrices habet, Gallos Capitolium conſcendentes dejicit, regni affectati ſuſpicione in carcerem conjicitur, liberatur, rurſus reus fit, & de ſaxo Tarpejo praecipitatur M. Manlius Capitolinus.

Manlius ob defenſum Capitolium Capitolinus dictus, ſexdecim annorum voluntarium militem ſe obtulit. Triginta ſeptem militaribus donis a ſuis ducibus ornatus, viginti tres cicatrices in pecto-

1 *Manlius.*] Hunc *M. Manlium Livius: Dionyſius* vero *T. Manlium* vocat: *Diodorus A. Manlium.* SCHOTT.

Ob defenſum Capitolium.] A Gallis, clangore anſeris excitus: ut dicitur inferius. MACH.

Capitolinus.] *Capitolini* cognomen in gente Manlia fuit, antequam hic Gallos a *Capitolio* depelleret, propterea quod in *Capitolio* habitarent: quod ne cui Patricio liceret, damnato M. Manlio decreto cautum eſt. *Plutarch.* in Camillo & de Fortuna Romanorum in fine. Ubi C. Pontii Corvini Strategema & induſtriam natando narrat, quale exemplum alibi hic ex *Oroſio* notavi. Ubi & *Polybium* lib. II. citat aliter haec narrantem, Gallos obſidionem deſeruiſſe Capitolii, accepto nuntio ſuos agros vaſtari. In Camillo ait *Plutarchus* peſte coactos obſidionem ſolvere & commeatus inopia. SCHOTT.

Voluntarium militem.] Tales ἐθελοντῆρας vocat *Homerus* Odyſſ. β. Vide *Macrob.* I. Saturn. cap. XI. de Auguſto, & cap. VI. verſus *Ennii* de Manlio, & infra Capitolinum in M. Antonini vita. SCHOTT. *Not. Min.*

2 *Militaribus donis.*] Id eſt, armillis, phaleriſque. *Plinius* libro VII. cap. XXVIII. de illo fato: *ante decimum ſeptimum annum bina ceperat ſpolia, primus omnium eques coronam muralem acceperat, ſex civicas, ſeptem & triginta dona, tres & triginta cicatrices.* MACH. Mox *a ſuis Civibus.* De militaribus donis confer *Senecam* lib. II. de Benef. cap. IX. *Juſtinum* lib. XXIII. cap. IV. §. 13. *Solinum* Polyh. cap. I. p. 7. *Vignoli* Inſc. Sel. Claſſ. III. p. 321. Talia memorat *haſtas, vexilla, phaleras Salluſtius* Jugurtha cap. LXXXV. §. 29. Ubi videndus *Cortius* & *Sigonius* lib. I. de Jur. Civ. Rom. cap. XV. ARNTZ.

Viginti tres.] Lege *triginta tres.* Non de Libris haec emendatio eſt, ſed a veritate hiſtoriae. *Plinius* enim lib. VII. Natural. Hiſt. cap. XXVIII. ſic legi jubet, non *viginti tres.* SCHOTT. Sed nihil muto contra MSS. qui omnes *viginti tres*, niſi quod Haun. & Lugd. ſec. XXIV. exhibeant.

3 pectore habuit. Capta urbe auctor in Capitolium confugiendi fuit.
4 Quadam nocte clangore anſeris excitatus, Gallos adſcendentes dejecit.

In pectore.] Melius, quam quidam, qui *in corpore* habent, nam adverſo corpore, quod *pectus* appellamus, cicatrices accepiſſe, idem *Plinius* refert. SCHOTT. Variatur & in Noſtris, ſed mihi vix dubium eſt, quin veriſſimum ſit *in pectore*. Eſt enim *pectus* anterior pars corporis, in qua vulnera excipere decorum habebatur, cum contra turpitudini eſſet, ſi quis averſis vulneribus caderet. *Livius* lib. II. cap. XXIV. *Ipſe teſtes honeſtarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverſo* pectore *oſtentabat.* lib. VI. cap. XX. *Nudaſſe* pectus *inſigne cicatricibus bello acceptis. Auſonius* Epigr. XXIV.

Excipis adverſo qui pectore *vulnera ſeptem.*

Pacati Paneg. cap. XXX. §. 5. *Qui obtulerant mortibus* pectora, *darent terga vulneribus.* & c. XXXIV. §. 2. *Vix* pectora *viderat, jam terga caedebat. Seneca* lib. I. de Clem. cap. IV. *Adverſa vulneribus* pectora *ferunt. Seneca* Hippol. verſ. 616.

Cunctis paratis enſibus pectus *dare.*

Quinctil. Decl. IX. cap. XXII. *Recepit* pectore *adverſo ferrum.* Non negarim facile in hac re exprimenda aliquando *corpus* adhiberi, ſed tum additur fere epitheton, unde appareat, ipſo pectore accepta fuiſſe vulnera. *Salluſtius* Jug. c. LXXV. §. 29. *Praeterea cicatrices* adverſo corpore. *Livius* lib. XXVI. cap. XLVI. *Ut latera infeſtiora ſubeuntibus, quam* adverſa corpora, *eſſent.* & lib. XLV. cap. XXXIX. *Inſigne corpus honeſtis cicatricibus omnibus* adverſo corpore *exceptis habeo. Valer. Maximus* lib. VII. cap. VII. exem. I. Adverſo corpore *exceptas oſtendebat cicatrices.* Sed hae duae voces *pectus* & *corpus* ſaepe a Librariis confundi ſolent. Vide Nobil. *Heinſium* ad *Ovid.* lib. V. Faſt. verſ. 71. Cl. *Burmannum* ad lib. II. Triſt. verſ. 213. ad *Quinctil.* Decl. X. cap. XVII. & Decl. CCLVIII. Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XVI. verſ. 479. Laudabilia enim habebantur maxime vulnera adverſa, quae indicabant a pugnantibus, non vero a fugientibus eſſe accepta, unde illa adhortatio ad milites apud *Silium Ital.* lib. X. verſ. 6.

Pectoribus *ferrum accipite, ac ſine vulnere terga*
Ad manes deſerte Viri.

Jamblichus Vir. Pyth. cap. XVIII. p. 70. *Ovidius* lib. XIII. Met. verſ. 262.

- - - Sunt & mihi vulnera Cives
Ipſo pulcra loco, nec vanis credite verbis
Adſpicite en. (*veſtemque manu diducit*) *& haec ſunt*
Pectora *ſemper, ait, veſtris exercita rebus.*

Comment. ad *Juſtinum* lib. IX. cap. III. §. 10. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. verſ. 42. & *Cortius* ad *Salluſt.* Catil. cap. LXI. §. 3. ARNTZ.

3 *Capta urbe.*] A Gallis. ANNA.

4 *Quadam nocte.*] *Qua de nocte.* Pariſinus. SCHOTT. Sed hoc nihil eſt, multo elegantior & terſior ea lectio, quam nobis proponit Leid. ſec. *in quadam nocte.* Praepoſitio enim illa *in* additur ſaepe ſubſtantivis illis, quae tempus indicant, quamvis abeſſe potuiſſet. Unde haud raro accidit, ut Librarii eam particulam, quaſi minus neceſſariam, neglexerint. *Plinius* Paneg. cap. VI. *Exſpectatum eſt tempus, in quo liqueret.* & cap. XXVII. *Nae ille in tam brevi tempore effecerit.* Quibus locis non abjicienda eſt cum Viris doctis ea praepoſitio. *Terentius* Heaut. Act. V. Sc. II. verſ. 2.

Ut Pater tam in brevi ſpatio omnem de me ejecerit animum.

Juſtinus Praef. *Sufficit enim mihi in hoc tempore judicium tuum. Gellius* lib. III. cap. XVIII. *In veterum aetate. Dictys Cret.* lib. I. cap. VI. *Cujus maxime in ea tempeſtate domi bellique conſilium valuit.* Adde Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. I. §. 15. & lib. IV. cap. II. §. 71. & *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XLIII. §. 5. ARNTZ.

Anſeris.] *Lucretius* lib. IV. de Rerum Natura.

- - - Humanum longe praeſentit odorem
Romulidarum arcis ſervator candidus anſer.

Videndus *Cicero* pro Roſcio, *Plinius* lib. X. cap. XXII. & de ſacris *D. Baſilius* Homil. VIII. in Hexaëmeron. *Plutarchus* ἐν αἰτίοις ait alimenta publice anſerum a Cenſoribus Romanis locata fuiſſe, ob diligentiorem quam canum cuſtodiam. SCHOTT.

Excitatus.] *Excitus* Pariſinus. Vulgati *excitatus*, quod etſi non improbo, illud tamen malo. SCHOTT. Quod habeant alii Codices *excitatus* damnat *Schottus.* Ego conſenſui omnium Script. & Editt. reſiſtere nolui, praeſertim cum hanc lectionem firmet *Vegetius* lib. IV. de Re Mil. cap. XXVI. *Niſi clamore anſeris* excitatus *Manlius reſtitiſſet. Florus* lib. I. cap. XIII. §. 15. *Manlius clangore anſeris* excitatus. *Servius* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 652. *Gallos detruſit ex arce clangore anſeris* excitatus. *Livius* lib. I. cap. LI. *Turnum ex ſomno* excitatum *circumſiſtunt cuſtodes.* lib. VII. cap. XII. *Terrorem repente ex ſomno* excitatis *ſubita res praebuit.* lib. XXIV. cap. XLVII. *Tum demum hoſtes* excitati *ſunt.* lib. XXV. cap. IX. *Familiare jam ſignum cum excitaſſet vigiles.* & c.

X.

cit. Patronus a civibus appellatus, & farre donatus eſt. Domum etiam in Capitolio publice accepit. Qua ſuperbia elatus, cum Senatum ſuppreſſiſſe Gallicos theſauros argueret, & addictos propria pecunia liberaret, regni adfectati ſuſpicione in carcerem conjectus,

x. *Praefectus primo* excitatus *tumultu*. *Juſtinus* lib. XI. cap. XIII. §. 2. *A Parmenione aegre* excitatus. *Quinctil.* Decl. 11. cap. XX. *Fragor, quo familia* excitata *eſt*. *Plinius* Paneg. cap. LIX. §. 2. *Ex illo felicitatis ſomno velut* excitatos. *Obſequens* de Prod. cap. CXXVII. *Ita ut Lunae fulgore Calpurnia* excitaretur. Sed tamen *Schotto* adſenſum praebet Doctiſſ. *Stewechius* ad *Veget.* l. l. ibi, apud *Florum* & hoc etiam loco legens *excitus*, quod eo colore defendit, quaſi veriſimile non eſſet cuſtodes Capitolii adeo ſomnolentos fuiſſe, ut excitandi forent. Sed ſi ſomno non oppreſſi fuiſſent Vigiles, clangor anſerum neceſſarius non fuiſſet, cum ipſi inſidias potuiſſent praeſentire. Et praeterea nonne *excitus* idem eſt, quod *excitatus*. *Livius* lib. I. cap. VII. *Hercules ad primam auroram ſomno* excitus. lib. V. cap. XLVII. *Alarumque crepitu* excitus *M. Manlius*. lib. XXIV. c. XL. *Ipſe Rex ſicut ſomno* excitus *erat*. *Claudianus* Epith. Pall. & Celer. verſ. 26.

- - - *Strepituque* excita *reſedit*
Et reliquum nitido deterſit pollice ſomnum.

Ammian. Marcell. lib. XXV. cap. 11. p. 451. *Adulta jam* excitus *nocte*. Adde Cel. *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. XIII. Adeoque in hiſce vocibus nihil erit ex ingenio mutandum, cum eandem efficiant ſententiam. ARNTZ.

Farre donatus eſt.] *Liv.* lib. V. cap. XLVII. *Manlius primum ob virtutem laudatus donatuſque, non ab Tribunis ſolum militum, ſed conſenſu etiam militari, cui univerſi ſelibras farris, & quartarios vini, ad aedes ejus, quae in arce erant, contulerunt. Rem dictu parvam, caeterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis, cum ſe quisque victu ſuo fraudans, detractum corpori atque uſibus neceſſariis ad honorem unius viri conferret.* ANN.

Domum.] *Donum* quidam Editi pro *domum*, ſed hoc retineo *Livii* auctoritate; *domum* enim habuit in Capitolio, antequam obſideretur a Gallis. SCHOTT. Apud me nulla eſt varietas. Sic eodem modo hae duae voces confunduntur in notis *Scriverii* ad *Frontinum* lib. II. Strat. cap. XI. ex. 5. Apud *Suetonium* in Neron. cap. XLI. §. 7. *Quosdam e primoribus Viris demum evocavit*. Excerpta *Voſſ. donum*, unde nullo negotio fit *domum*, quae ſine dubio eſt vera lectio. ARNTZ.

Capitolio.] MSS. *Capitolino*. quod probo. *Capitolinus* ut *Palatinus* ſaepe pro montibus uſurpantur: quae ignorantes quidam *Livium* aliosque contaminarunt, Harpyis unguibus omnia ſuo more foedantes, quae non aſſequuntur, aut intelligunt. SCHOTT. *In Capitolium* Leid. ſec. reliqui nil variant.

Publice.] Id eſt, ex aerario. Jam ſupra. ANN.

5 *Cum a Senatu.*] Aut abit a recepta Hiſtoricorum fabula Auctor, aut reſtituendum, *cum Senatum ſuppreſſiſſe Gallicos theſauros argueret*. GRUTER. Legendum ita omnino. Ipſe enim Manlius aurum Gallicum a Patribus occultari jactebat. *Liv.* lib. VI. cap. XIV. *Ad hoc domi, concionantis in modum, ſermones pleni criminum in Patres: inter quos, cum omiſſo diſcrimine, vera an vana jacerent, theſauros Gallici auri occultari a Patribus jecit*. ANNA. Ita certius Leid. pr. ceteri *cum a Senatu g. t. s. argueretur*.

Suppreſſiſſe.] Pariſinus *ſumpſiſſe* habet. SCHOTTUS. *Sumpſiſſe* Haun. *Gramm.* Leid. ſec. & Edit. *Mach.*

Gallicos theſauros.] *Theſauros* intellige, qui pro redemptione Capitolii a Romanis fuerant collati. ſive potius aurum omne *Gallis* ademptum & reportatum. ANNA.

Addictos.] Pariſinus habet *additos*. SCHOTT. Qui, cum ſolvendo non eſſent, creditoribus *addicebantur*, ut eis pro ſervis eſſent. ANNA. Nos ſupra cap. XXI. §. 3.

Pecunia.] *Pecunia* pro *manu* in MSS. omnibus. *Manu* tamen ferri poteſt. Conſtat enim ex *Plutarchi* extremo Camillo ac *Livio*, vi aperta *addictos* exemiſſe creditoribus. SCHOTT. Sed contra conſenſum omnium Codd. nihil temere eſt admittendum. Vide *Livium* lib. VI. cap. XIV.

Regni adfectati ſuſpicione.] Pro quibus Libri quidam veteres legunt: *Regem affectati ſuſpectus*, antiqua, ut apparet, forma. SCHOTT. *Regni adfectati ſuſpectus* Leid. pr. & *Gramm. ſuſpicione* delet Leid. ſec. & Fran. ad eam formam, qua *Tacitus* lib. VI. Ann. cap. XXIX. *Male adminiſtratae provinciae, aliorumque criminum urgebatur*. Sed cum Haun. & ceteris *ſuſpicione* retineo, quomodo *ſuſpicionibus arguere* apud *Tacit.* lib. III. Hiſt. cap. LXXVIII. *Servius* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 652. *Adductus in ſuſpicionem regni appetiti. Crimine* habet *Boend.* Porro *in carcere* ſcribit idem Codex, ſed tamen aliter loquuntur Latini. *Livius* lib. XLV. cap. XLIII. *Ceteri captivi*

6 jectus, populi conſenſu liberatus eſt. Rurſus cum in eadem culpa, & gravius perſeveraret, reus factus, & ob conſpectum Capitolii 7 ampliatus eſt. Alio deinde loco damnatus, & de ſaxo Tarpejo 8 praecipitatus eſt. domus diruta. bona publicata. Gentilitas ejus Manlii cognomen ejuravit, ne quis poſtea Capitolinus vocaretur.

C A-

vi Romae in carcerem conjecti. Salluſt. Catil. cap. XLII. §. 3. *Cauſſa cognita in vincula conjecerat.* Nos ſupra cap. I. §. 2. *Val. Maximus* lib. I. c. VIII. exem. I. *Vano ſermone contemtor in carcerem conjectus.* lib. IV. cap. I. exem. 8. *Actos hoſtium duces in carcerem conjecerit. Corn. Nepos* Milt. cap. VII. *In vincula publica conjectus eſt.* & Conone cap. IX. *Hujus nuncio parens cum veniſſet in vincula conjectus eſt.* Tamen *conjicere ſe in flammis* reperi in Scripto *Oroſii* lib. V. cap. XIV. in fin. ARNTZ.

6 *Et ab conſpectu Capitolii.*] Sic cenſeo legendum auctoribus Libris paullo antiquioribus. Nam *ob conſpectum* patiendi notione dictum, dure ferit aureis meas; neſcio quid aliis uſu veniat. Locus, ut interpungendum putamus, habet. SCHOTT. Non magis dure ferit aures meas nova iſthaec lectio, quam aliorum ferit retro vulgatum, *& ob conſpectum Capitolii*: quomodo item reſtat in MSS. Palatinis, niſi quod alter omiſerit voculam *ob*. vultque in cauſa fuiſſe Capitolium, quod ampliatus fuerit, neque ſtatim etiam damnatus. GRUT. Venuſte, *conſpectus Capitolii* Manlium ampliavit. Nam *in campo Martio cum centuriatim populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad Deos preces avertiſſet; apparuit Tribunis, niſi oculos quoque hominum liberaſſent ab ſanti memoria decoris, nunquam fore in praeoccupatis beneficio animis vero crimini locum. Ita prodicta die, in Petelinum lucum extra portam Flumentanam, unde conſpectus in Capitolium non eſſet, concilium populi indictum eſt. Livius.* ANNA. *Ob conſpectum* Scripti omnes & olim Editi, quod recte exponit *Gruterus.* Ego tamen ita nollem loqui.

Ampliatus.] *Ampliare* eſt, ut *Aſconius Pedianus* in Divinatione inquit, *cum de alicujus capite agebatur, & ſcribebatur N. L. qua ſignificabant, non liquere: neque condemnabant, neque abſolvebant, ſed differebant cauſam, nam ſignum condemnationis erat C. abſolutionis A.* MACH. *Ampliatus*, id eſt, nec condemnatus fuit, nec abſolutus. Id cum fiebat, hanc vocem *amplius* pronuntiabant: intelligebant autem *amplius* deliberatum iri ſuper illo aut illo negotio. ANNA.

7 *Alio deinde loco.*] In Campo Viminali *ad Petelinum lucum extra portam Flumentanam.* ANN.

De ſaxo Tarpejo.] Unde dictum vide *Feſtum* in *Saturno.* SCHOTT.

Domus diruta.] *Et latum ad populum eſt, ne quis Patricius in arce, aut Capitolio habitaret. Livius.* ANNA.

8 *Gentilitas.*] Proprie *gens* plures familias amplectitur. ANNA.

Manlii.] Gentis Manliae decreto cautum eſt, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. MACH. *Cognomen* MS. praefert, unde amicus quidam meus legi volebat, *Manlii cognomen ejuravit.* Colon. vero exemplum *Manlii cognomine vitavit.* Verum locus male habet, quamobrem repugnantibus Lib. omn. lego: *Gentilitas ejus Manlii praenomen ejuravit*, vel potius, *nomen ejur.* Praenomina enim propria mihi eſſe videntur, quibus gens & familia quaeque diſtinguitur, ſed haec alibi. Quid ſi legas *Marci praenomen.* ſed longius abit a veſtigiis Librorum omnium. *Florus* quoque *Livii* abbreviator lib. VI. qui nos ſanare potuiſſet, & ipſe aegrotat. *Cum obſtrictos*, inquit, *aere alieno liberaret, nexos exſolveret, crimine affectati regni damnatus de ſaxo Tarpejo dejectus eſt: In cujus notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen eſſet.* Syllaba *co* repetita locum corrupit. Recte igitur *Sigonius praenomen* ex *Quinctiliani* lib. III. reponendum docuit. Quod *Livius* & *Plutarchus* in lib. τῶν κοφαλαίων confirmat: & illud *Feſti* ſeu *Paulli Diaconi* lib. XI. de Verb. Signif. *Manliae gentis Patriciae decreto nemo ex ea Marcus appellatur, quod M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum regnum affectaſſet damnatus necatusque eſt.* Vide *T. Livium* lib. VI. ab V. C. Illud extrem. cap. (*ne quis p. Capit. vocar.*) gloſſema eſt ejus, qui illud *Manlii cognomen* interpretandum putavit. Sic fere a fungis illis audaciter vett. quibusque auctoribus, ut ille ait, *unus & alter aſſuitur pannus.* Conſtat autem *Marci* praenomen poſtea in gente Manlia tuliſſe neminem; Capitolini vero cognomen poſt eam diem plurimos. SCHOTT. Nihil hujus periodi ſincerum eſt, niſi forte vox princeps. Conſulantur notae *Schotti* noſtri, nam & Palatinus *cognomine juravit.* GRUT. Et ſic quoque Noſtri omnes, qui nihil auxilii hic adferunt. pro

vetere-

vocaretur Leid. pr. *nominaretur*. Fortaſſe Noſter *cognomen* poſuit pro praenomine, quae res gloſſatorem inſcium in errorem abduxit, ut de ſuo liberalior, quam par erat, adderet *ne quis poſtea Capitolinus vocaretur*. Porro hoc praenomen repudiatum eſſe a familia Manliorum Patricia, non vero a Plebeja, in qua etiam poſtea *Marci* exſtiterunt, voluit Illuſtr. *Spanhemius* de Praeſt. Num. diſſ. x. p. 33. ARNTZ.

CAPUT XXV.

ARGUMENTUM.

Fidenatium legatos ad ſe miſſos interficientium ducem Lartem Tolumnium interficit, & Jovi Feretrio ſpolia opima conſecrat A. Cornelius Coſſus.

FIdenates Fidei Romanorum hoſtes, ut ſine ſpe veniae fortius dimicarent, legatos ad ſe miſſos interfecerunt; ad quos Quinctius 1 Cin-

1 *Fidenates.*] In Latio ſexto ab urbe milliario. ANNA.

Fidei.] Credo ex ſimilitudine vocis Fidenatium fictum eſſe, quod quaſi conjugata ſint Dialecticorum, ſed Fidena primam extendit ſyllabam contra atque *Fides*. Auctor *Cariſius* lib. IV. & *Diomedes* lib. II. Gram. qui in hoc *Virgilii* hemiſtichio *urbemque Fidenam* fieri συναλοιφὴν in prima ſyllaba ajunt. Certe in MSS. conſtanter lego: *Fidenates veteres Romanorum hoſtes*. recte. Nam annos amplius 324. aſſidue, jam ſeptimum rebellando victi ſunt, ut apud *Livium* lib. IV. *Mamercus Aemilius* Dictator in oratione ſua teſtatur. Quidam Vulg. *fidei Romanae hoſtes*. SCHOTT. Scriptum fortaſſe fuerat *rei Romanorum hoſtes*. Sed non abeundum a MSS. ANNA. Ego in nullis meorum illud *veteres* reperi, nec doctiſſimae *Annae* conjectura placere mihi poteſt, cum non ſciam alibi Noſtrum ita loqui, ut *rem* ponat pro *Republica*, & inſolentior ſit locutio, *res Romanorum*, cum alii *res Romana* dicant, ut:

Moribus antiquis ſtat res Romana virisque.

Neque tamen ex illo *fidei* commodus ſenſus exſculpi poteſt, quare, ſi conjectura ſanandus ſit locus, ego quidem vellem: *aſſidui Romanorum hoſtes*, ut prima ſyllaba a praecedentibus litteris *ates* ſit abſorpta. *Aſſiduus hoſtis* eſt, qui frequenter bella movet; *Livius* lib. II. cap. XLVIII. *Vejens hoſtis aſſiduus magis, quam gravis*. lib. XXXII. cap. XIX. *Terrebat eos Lacedaemonius, gravis & aſſiduus hoſtis*. *Florus* lib. I. cap. XII. §. I. *Aſſidui vero & anniverſarii hoſtes ab Etruria fuere Vejentes*. *Ovidius* lib. I. ex Pont. Epiſt. VIII. verſ. 5.

Vivimus aſſiduis expertes pacis in armis,
Dura pharetrato bella movente Geta.

Sic *aſſidua bella* apud *Livium* lib. VI. cap. XII. *Juſtinum* lib. VI. cap. VI. §. 2. *Aſſidua certamina* ibid. lib. XVII. cap. III. §. 16. Si tamen admitterent Codices, non repudiarem illud *veteres*. ut *Livius* lib. VI. cap. VII. *Itaque novus hoſtis veteri adjunctus*. & cap. II. ejusdem libri: *Volſci veteres hoſtes arma ceperant*. Sed, ut ſaepius dixi, non libenter aliquid muto, ubi nihil mutant Codices. Neque enim noſtrum eſt efficere, ut Lectores noſtra legant. ARNTZ.

Legatos.] C. Fulcinium, Cloelium Tullum, Sp. Ancium & L. Roſcium. ANNA.

Interfecerunt.] Juſſu Lartis Tolumnii Vejentium Regis, ad quem confugerant. MACHAN. Contra jus gentium. Legationis enim jus apud omneis gentes ſanctum eſſe & inviolatum conſuevit, ut inquit *Cornelius Nepos* in Pelopida (ubi tamen vulgati Codices non recte *factum* habent pro *ſanctum*) & *Cicero* lib. I. Accuſat. Supra in Camillo legiſti ea cauſſa poſt Alienſem cladem acceptam urbem Gallos cepiſſe, & magnam partem incendiſſe, contrucidatis Senatoribus. SCHOTT. Confer quae *Grotius* habet & ad Eum Viri docti lib. II. de Jur. Belli & Pacis cap. XVII. *Barthius* ad *Statium* lib. II. Theb. verſ. 373. Hoc ita jure gentium fuit conſtitutum. *Seneca* lib. III. de Ira cap. II. *Violavit Legationes rupto jure gentium, rabiesque inſanda civitatem tulit*. & paſſim.

Quinctius Cincinnatus.] *Livius* quarto ait Marcum Aemilium fuiſſe Dictatorem. Q. Cincinnatum filium Magiſtrum equitum. MACH. Pu-

Cincinnatus Dictator miſſus Magiſtrum equitum habuit Cornelium
2 Coſſum, qui Lartem Tolumnium ducem ſua manu interfecit. De eo ſpolia opima Jovi Feretrio ſecundus ab Romulo conſecravit.

C A-

gnant haec ut alias ſaepius cum *Livio*, ut vehementer hallucinentur ii, qui hunc libellum a *Plinio Caecilio* & *Livio* exſcriptum eſſe autumant. Alioqui ſic ad ſenſum *T. Livii* conciunanda erant: *ad quos Mamercus Aemilius Dictator miſſus, Magiſtrum equitum habuit L. Quinctium Cincinnatum dignum parente juvenem: ac tum A. Cornelius Coſſus inter equites Tribunus militum Lartem Tolumnium*, &c. SCHOTT. *Not. Min. dictus* loco τοῦ *miſſus Boend.* Vox hac in re, ut norunt pueri, propria, ſed tamen huic loco minus conveniens.

Magiſtrum equitum.] Nos Coſſum anno CCCXXV. Conſulem fecimus Faſtos ſequuti: quo in magiſtratu haec ab illo geſta eſſe, *Livio* auctore, propius a vero abeſt; quod ea opima ſpolia ſint, quae dux duci detraxerit, nec dux ſit niſi cujus ductu & auſpicio bellum geritur. Nec deſunt qui *Lar* dignitatis nomen ſonare affirment. Mihi tamen magis praenomen eſſe videtur: tum quia ſemper *Livius Larte Tolumnio Rege*, & Auctor Epitomae de Praenominibus *Lartem Porſenam* vocat quendam, & Etruſcum praenomen facit. Verum *M. Varro* apud *Feſtum* ait opima ſpolia etiam eſſe, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium detraxerit. SCHOTT. Comment. ad *Florum* lib. I. cap. XII. §. 9.

Cornelium Coſſum.] Is a Romulo ſecundus ſpolia opima tulit. Tertius M. Marcellus exſtitit, victo Gallorum duce Viridomaro. MACH.

Lartem.] Alii *Larten*, MSS. quidam & Editi *Laertem* mendoſe. *Priſcian.* libro quinto: *Lar, quod ſignificat παραπλήσιον Δῖον, Laris facit genitivum: Sin autem Imperatorem Vejentorum, Lartis, quem mactavit Coſſus, ut teſtis eſt* Ovidius *in Epigrammatis.*

Larte ferox caeſo Coſſus opima tulit.

Livius *lib.* IV. *Ab urbe condita Larte Tolumnio Rege Vejentorum.* Sic ille, adde & *Ciceronem* Philipp. IX. unde colligi non obſcure poteſt cum Vejentibus, non Fidenatibus bellum Populo Romano fuiſſe. *Lycoſthenes* ſic conciliare conatur, quod ad Vejentes Fidenates defeciſſent, teſte *Livio*, anno CCCXVI. poſt Romam conditam. SCHOTT. *Laertem Boend.* Fran. & *Gramm. Labantem* Haun. *Labentem* Leid. ſec. Omnes vitioſe.

Interfecit.] Anno ab urbe C. 318. ANNA.

2 *Jovi Feretrio.*] *Marti* dixiſſe oportuit, nam lex Numae erat pro primis ſpoliis opimis bovem Jovi immolari oportere: pro ſecundis Solitaurilibus Marti fieri: pro tertiis vero agnum caedi debere. Cui quidem legi, quoniam hactenus ab omnibus non intellecta jacuit, unus *Joſephus Scaliger* ingenium ſupra humanum, & Patre docto doctior Filius, medicam manum adhibuit, dum mutilum *Feſtum* reſtituit, ut nihil ille niſi ab aliis deploratum magno animo aggreditur. Sic igitur Numa apud *Feſtum* ſcripſerat:

QUOIUS. AUSPICIO. CLASSE. PROCINCTA. OPEIMA. SPOLIA. CAPIUNTUR. JOVEI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QUEI. CEPIT. AERIS. DUCENTA. DARIER. OPORTETO.

SECUNDA. SPOLIA. IN. MARTIS. ARAM. IN. CAMPO. SOLITAURILIA. UTRA. VOLUERIT. CAEDITO.

TERTIA. SPOLIA. JANO. QUIRINO. AGNUM. MAREM. CAEDITO. CENTUM. QUEI. CEPERIT. EX. AERE. DATO.

Idem *Plutarchus* in Marcello affirmat, & *Servius* ad illud VI. Aeneid.

Tertiaque arma Patri ſuſpendet capta Quirino.

Virg. III. Aeneid. verſ. 222.

- - - Divos ipſumque vocamus
In praedam partesque Jovem, tunc littore curvo
Exſtruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.

Ubi Solonis legem explicat erudite *Germanus Valens*, rectius quam *Pratejus* inter Solonis Legem LXXV. Ex Annalibus vero Pontificum apparet, uni *Jovi* ſuſpendi ſpolia ea ſolere, ſi integra ejusdem Pompeji lectio eſt. *Ad aedem*, inquit, *Jovis Feretrii poni, teſtimonio ſunt Libri Pontificum, in quibus ſit, pro primis ſpoliis bove, pro ſecundis ſuovetaurilibus: pro tertiis agno publice fieri debere.* Nec me fugit, *Sigonium*, cui plurimum hiſtoria Romana & *Livius* ipſe debet, ingenioſe lacunam hanc ſupplere conatum, itaque in Faſtis legere: *M. Varro ait, opima ſpolia etiam eſſe, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium detraxerit. Quod autem omnia ſolita non ſint ad aedem Jovis Feretrii poni &c.* Sed cum nullius Libri Scripti auctoritate nitatur, nihil in Auctore noſtro demutare auſim. SCHOTT.

Ab Romulo.] Ita ſcribo praeeuntibus plerisque Scriptis, contra Grammaticorum regulas, qui *a* volunt ſequente conſona. *Salluſtius* Catil. cap. XL. §. 5. *Nam tum Brutus ab Roma aberat. Terent.*

Heaut.

Heaut. Act. 1. Sc. 1. verſ. 23.
Tantumne ab re tua eſt otii tibi.
Et Adelph. Act. v. Sc. III. verſ. 44.
At enim metuas, ne ab re ſint tamen
Omiſſores paullo.
Et ſic ante alias conſonantes, cujus rei multa exempla congeſſit *Guntherus* Latin. Reſt. parte ſec. Init.

CAPUT XXVI.

ARGUMENTUM.

Bello Samnitico Tribunus militum per medias cuſtodias incolumis evadit, & corona donatur: Latino Diis ſe Manibus devovet, & ſuis victoriam relinquit P. Decius Mus Pater.

P Decius Mus bello Samnitico ſub Valerio Maximo & Cornelio Coſſo Conſulibus Tribunus militum, exercitu in anguſtiis Gauri montis inſidiis hoſtium clauſo, accepto, quod poſtulaverat, praeſidio, in ſuperiorem locum evaſit; hoſtes terruit. Ipſe intempeſta nocte 1

1 *P. Decius Mus.*] Sic eſt in melioris notae Libris antiquis, tametſi in quibusdam Vulgatis *Mus* abeſſet, indeque ne beſtiam facerent, inepti quidam emendatores *Decimus* repoſuerant. Res triduano riſu digna. In *Lactantio* vero lib. III. Divin. Inſtitut. cap. XII. *Qui propter ſalutem civium voluntariae ſe neci obtulerunt: ſicut Thebis Moeneceus, Athenis Codrus, Romae Curtius, & Mures duo Decii, numquam mortem vitae commodis praetuliſſent, niſi ſe immortalitatem opinione civium conſequi putaviſſent.* Ubi quidam pro *Mures Mutius* audacter ſubſtituit, quaſi aut *Decios Mures* cognominatos, aut cognomina venuſte nomini aliquando praemitti ignoraſſet. Sed non vacat aliorum errores recitare & refellere. SCHOTT. In pleriſque MSS. hoc caput ſuperiori adnectebatur, his verbis *hic bello* &c. Sic certe Fran. *Boend.* Haun. & *Gramm.* Sed aperte falſum; cum haec hiſtoria ad Decium, non vero ad Coſſum pertineat.

Bello Samnitico.] Anno mundi 3611. ante C. N. 367. ab U. C. 414. Vide *Florum* lib. 1. cap. XVI. ANNA. *Samnitico* Leid. pr. & *Boend.*, quae Scripturae varietas jam aliis obſervata fuit. Vide Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. 1. cap. XVI. §. 1. & *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. LI. §. 38. ARNTZ.

Maximo.] *Maximo* Vulgati, quod retineri poteſt. Pariſinum illud exemplar longe optimum *Corvino*. *Livius* & *Caſſiodorus* anno CDX. Marcum Valerium Corvinum III. Aulum Cornelium Coſſum Conſules edit. *Diodorus* ſimiliter & *Cicero* de Divinatione. Fuit autem ille M. Val. Maxim. filius, & Corvinus ſimiliter appellatus. Integrum enim nomen in Faſtis eſt M. VALERIUS MAXIMUS CORVINUS (ſive Corvus) M. F. M. N. Porro Valeriae gentis cognomen *Maximus* jam tum ab anno CCLIX. quo in montem Sacrum plebes receſſit, operaque M. Valerii Voluſi Patribus conciliata eſt: Unde & *Maximus* appellatus. SCHOTT. *Corvino* praefert etiam *Gramm.* Reliqui nihil variant, niſi quod in Leid. pr. non appareat. Nihil igitur mutavi, cum certe aliquod cognomen habuerit Valerius, antequam *Corvus* ex eventu bene geſtae rei diceretur. Vide *Pighium* tom. 1. Ann. p. 303. & multis Gentibus, inter quas *Valerii* numerantur, hoc cognomen in uſu fuiſſe notavit *Urſatus* de Notis Rom. p. 852. tom. XI. Theſ. *Graeviani*. ARNTZ.

Gauri.] Mons eſt propinquus Maſſico. MACHAN. Pro *Gauri montis*, *Scauri* habent MSS. occurrebat *M. Aimilius Scaurus* fortaſſe, de quo infra. SCHOTT. In Campania. ANNA.

Accepto, quod poſtulaverat, praeſidio.] Unius legionis principes haſtatosque petierat. Vide *Liv.* lib. VII. cap. XXXIV. ANNA.

Hoſtes terruit.] Haec & quae ſequuntur, usque ad voces *incolumis evaſit* non agnoſcit Leid. pr., deceptus hac re, quod duae paragraphi una eademque voce claudantur. *Terrere hoſtem* proprie

3 nocte per medias custodias somno oppressas incolumis evasit. Ob hoc ab exercitu civica corona [de quercu, quae dabatur ei qui cives

erit hostem invadere, eumque adgredi, adeo ut terrore stupefactus fugam meditetur. *Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. IX. *Quantos possint hostes interimant certe aut terreant. Frontinus* lib. I. Strateg. cap. V. ex. 21. *Verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit.* Sed neque hostes invasit Decius, neque ullum paucitas ejus copiarum terrorem potuit afferre, cum nullo modo illis militibus par esset Samnitibus. Verum maxima gestae rei gloria in eo constitit, quod hostes retinuerit & impedierit, ne Consulis exercitum insequi possent atque includere, quod latius persequitur *Livius* lib. VII. cap. XXXIV. Quare fortasse non male legeretur: *hostes tenuit*, id est, impedivit, retinuit, ne Romanum exercitum invaderent. *Lucanus* lib. III. vers. 390.

- - - Tenuit flagrantis in omnia belli
Praecipitem cursum.

Et lib. VI. vers. 201.

- - - Stat non fragilis pro Caesare murus
Pompejumque tenet.

Tacitus lib. V. Hist. cap. XIX. *Aliisque litteris Gallum monuit, ne teneret abeuntes.* Quae se lectio mihi admodum probat, quamvis rejiciant alii, *terreret* reponentes. Alia Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XI. vers. 450. & *Graevius* ad *Justinum* lib. IX. cap. I. §. 7. De simili harum vocum confusione confer Comment. ad *Justinum* lib. XIV. cap. I. §. 13. & Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. IV. cap. II. §. 42. Hinc *tenere* per *morari* expositum *Servius* ad *Virgilium* lib. I. Aen. vers. 674. *teruit Boend.* ARNTZ.

2 *Intempesta.*] *Intempesta nox dicta ab tempestate. Tempestas ab tempore: Intempesta nox, quo tempore nil agitur. Varr.* L. L. lib. VI. ANNA.

Somno.] Non debuerat hoc loco praepositionem *e* addere Haun. cum melius ita simpliciter constituatur. *Horat.* lib. II. Sat. III. vers. 145.

Quondam lethargo grandi est oppressus.

Incolumis.] Afuit in Parisino, quod *evadere* hoc illi significare videretur. Nihil tamen expungo, SCHOTT. *Incolumis* omittit etiam *Grammii* Codex. Neque tamen quidquam hic expungendum. *Frontinus*, ex quo saepe Auctori nostro lux accedit lib. I. cap. V. ex. 14. &, ubi eadem referuntur, quod apud eum Scriptorem non est infrequens, lib. IV. cap. V. ex. 9. *Decius incolumis cum militibus Consuli accessit. Livius* hanc historiam referens lib. VII. cap. XXXVI. *Tessera data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent.* Licet enim verbum *evadere* vi significationis includat salvos esse reversos, tamen haud raro *incolumis* additur iis verbis, quae per se salutem satis & incolumitatem indicant. *Livius* lib. XXXI. cap. XXXVII. *In castra tandem, jam desperantibus plerisque incolumem evasurum, pervenit. Caesar* lib. III. Bell. Gall. cap. VI. §. 5. *Incolumem legionem in Nantuates perduxit.* lib. VI. Bell. Gall. cap. XL. §. 4. *Incolumesque ad unum in castra pervenerant omnes.* lib. VII. cap. XXVIII. §. 5. *Incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt.* Adde lib. VII. cap. LIX. §. 4. & lib. III. Bell. Civ. cap. XXVIII. §. 6. Ita *Incolumes perduxit* apud *Frontinum* lib. I. Strat. cap. XV. ex. 17. *Millia Graecorum incolumia reversa sunt* apud Eund. lib. IV. cap. II. ex. 8. & *incolumes Canusium pervenerunt* lib. IV. cap. VII. ex. 7. ARNTZ.

Civica corona.] Quae lineis inclusa sunt absunt in MSS. & vero glossema apparet. Parisinus tamen ea habebat addebatque *obsidionali scilicet aurea.* Sed res digna non est, ob quam vadimonium deseratur. De *corona* autem *civica* videndus *Agellius* lib. V. cap. VI. *Plinius* lib. XVI. cap. IV. *Sueton.* in August. cap. XXV. *Tacitus* lib. II. & XII. Annal. civicam *servati civis decus* vocat. SCHOTT. Haud invitus accesserim eis membranis, quibus tantum adest: *Ob hoc ab exercitu civica corona donatus est.* Nam cetera profecto respiunt nauteam Librariorum; & alioquin post coronam civicam accipere obsidionalem, ordo fuerit praeposterus; cum civica coronarum omnium sit honestissima, agnoscunt tamen MSS. Palatini. GRUT. *Civicam coronam civis salutis suae causa servatus in proelio dabat quae erat ilignea, frondem habens perennem. Festus. Aurea* tamen *corona* donatum fuisse Decium testatur *Liv.* lib. VII. cap. XXXVII. *Consul advocata concione, P. Decii non coeptas solum ante, sed cumulatas nova virtute laudes peragit: & praeter militaria alia dona, aurea corona eum, & centum bobus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat.* ANNA. Omnes quidem Editiones, quas vidi, & quatuor MSS. integram servant orationem. Solus Leid. sec. & Haun. delent sequentia: *quae dabatur ei, qui cives in bello servasset, obsidionali.* Errori caussam dedit vocula *quae*, cum neglecto priori *quae* in sequentem paragraphum oculos conjicerent Librarii, quo errore ab illis peccatur quam saepissime. Leid. pr. *Gramm.* Fran. & *Boend.* eodem modo ut in Parisino se inveniisse testatur *Schottus*: *obsidionali scilicet aurea.* Quod additamentum ficti

ves in bello ſervaſſet; obſidionali, quae dabatur ei qui obſidione cives liberaſſet] donatus eſt. Conſul bello Latino, collega Manlio Torquato, poſitis apud Veſerim fluvium caſtris, cum utrique Conſuli ſomnio obveniſſet, eos victores futuros, quorum dux in praelio cecidiſſet. Tum collato cum collega ſomnio, cum conveniſſet, ut cujus cornu in acie laboraret, Diis ſe Manibus voveret, inclinante ſua parte, ſe & hoſtes per Valerium Pontificem Diis Manibus devovit. Inpetu in hoſtes facto, victoriam ſuis reliquit.

CA-

ti nemini placere poteſt, cum obſidionalis corona non fuerit aurea, ſic non dubito, quin illae voces, quas ſuſpectas habent Viri docti, omnino veram efficiant lectionem. duas enim Coronas accepit Decius, unam a toto exercitu, *civicam*, quia tot cives ſervaſſet, alteram ab his, qui cum eo in ſuperiori loco fuerant obſeſſi, *obſidionalem*. *Feſtus* in *obſidionalis*. *Nam & P. Decio datae duae ſunt, una ab exercitu univerſo, altera ab iis, qui fuerunt in praeſidio obſeſſi.* & tum paucis interpoſitis diſtinguit: *Inter obſidionalem & civicam hoc intereſt, quod alterum ſingularis ſignum ſalutis eſt, altera diverſorum Civium ſervatorum.* Duas etiam Coronas Decio tribuit *Livius* lib. VII. cap. XXXVII. Sed ille loco coronae civicae ei auream inponit, unde ortum fortaſſe, quod MSS. hoc loco addant, *ſcilicet aurea*. Vide quae dixi ad cap. XVII. §. 2. ARNTZ.

De quercu.] *Lucanus.*

Servati civis referentem praemia quercum.

Querna autem fiebat ad oſtendendum victum glandium antiquorum. MACH. *Claudianus* in II. Conſ. Stil. verſ. 72.

Mos erat in Veterum caſtris, ut tempora quercu

Velaret, validis fuſo qui viribus hoſte
Caſurum potuit morti ſubducere civem.

Et in Laude Serenae verſ. 182.

Hunc cingit muralis honos, hunc civica quercus

Nexuit, hunc demitis ambit roſtrata carinis.

Obſidionalis.] Graminea dabatur, quia in locis obſeſſis & deſertis naſcitur. MACH. A legionibus. *Livius* eodem loco. *Secundum Conſulis donationem legiones gramineam coronam obſidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt.* ANN.

4 *Conſul.*] *Decius Conſul* Libri veteres. SCHOTTUS *Not. Min.* Et ita nonnulli ex Noſtris ſcripſere.

Bello Latino.] Anno mundi 3614. ab urbe C. 417. ante C. N. 334. Vide *Florum* lib. I. cap. XIV. ANNA.

Veſerim.] Prope montem Veſuvium. *Liv.* lib. VIII. cap. VIII. *Pugnatum eſt haud procul radicibus Veſuvii montis, qua via ad Veſerim ferebat.* ANNA. Ut propria nomina ab inſciis Librariis praecipue in veteribus Scriptis ſunt corrupta, ita & hic varie balbutiunt. *Boend. Verſeirum.* Fran. *Verſem.* Haun. *Vereſim.* Omnes corrupti. *Veſeris* fluvius ſub monte Veſuvio, licet dubitet, an oppidum, vicus an flumen fuerit, Erudit. *Cellarius* Geogr. lib. II. cap. IX. p. 546. Sed oppidum non fuiſſe ex eo colligo, quod perpetuo huic nomini praepoſitionem addant Scriptores, & ex apertis Noſtri *Aurelii* teſtimoniis hic & c. XXVIII. Confer *Camerarium* ad *Cicer.* lib. I. de Fin. cap. VII. & *Torrenium* ad *Val. Maximum* lib. VI. c. IV. exemp. I. ARNTZ.

Somnio.] Afuit a Pariſino, quod *obvenire* hoc illi ſignificare videretur. Nihil tamen expungo. SCHOTT. Leid. ſec. *ſomno*. Vide ad cap. VII. §. 10.

Quorum dux in praelio cecidiſſet. Tum, &c.] Haec propter interpunctionem laborant. Removendum eſt punctum integrum, quod poſt *cecidiſſet* poſitum eſt. Nam quae ſequuntur pendent ab antecedentibus, hoc modo: *Conſul bello Latino*, &c. *Inclinante ſua parte, ſe & hoſtes per Valerium Pontificem devovit.* Quod ni ita ſit quid fiet τῷ Conſul? ANNA.

5 *In acie.*] *In aciem Boend.*

Inclinante.] Quidam Codices: *inclinata parte ſua.* SYLB.

Sua parte.] Laevo cornu. ANNA.

Se & hoſtes.] MSS. *ad hoſtes.* Manifeſto falſum, neque enim transfugit exercitus Romanus. Pariſinus *inclinante ſua parte ſecum hoſtes*, rectius. SCHOTT. *Secum* Fran. & *Gramm.* Sed receptam retineo.

Per Valerium Pontificem.] Nam Pontifex verba praeibat, & qui ſe devovebat, ea ipſa reſpondebat. Unde infra in Decio filio. *Sollennia verba reſpondens.* Vide *Liv.* lib. VIII. c. IX. ANN.

Devovit.] Praeeunte patre patrato, & verba

quaedam in ſignum vetuſtatis latentia canente, quae libro VIII. *T. Livii* leges, etiam canente *Juvenale*:

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna.
MACH.

CAPUT XXVII.

ARGUMENTUM.

De Samnitibus triumphat, & Cereri ſpolia conſecrat, multa domi militiaeque gerit, bello Gallico ſe & hoſtes Diis Manibus devovet, ſuis victoriam relinquit, laudatur & magnifice ſepelitur P. Decius filius.

1 Publius Decius Decii filius, primo Conſul de Samnitibus trium-
2 phans, ſpolia ex his Cereri conſecravit. Iterum & tertio Conſul,

1 *Primo Conſul.*] Cum M. Valerio Maximo anno mundi 3640. ab U. Cond. 443. ante C. N. 308. ANNA.

Triumphans.] Vulgo *triumphavit*. Ex veteribus Libris MSS. & ex Lapide, quem Romae vidit *Magius* lib. III. cap. IX. Miſcell. ſcripſi *triumphans*. Decium aegrotaſſe ſcribit *Livius*, ſine ulla *triumphi* mentione. Collegam quidem reliquias belli in Samnio perſequutum eſſe & *triumphaſſe* Capitolini Lapides notant: qui tamen nullum Decianum *triumphum* agnoſcunt: Suſpicor hunc *triumphum* Decio IV. & Q. Fabio V. Conſule accidiſſe anno CDLVIII. quo tempore cum Samnitibus ab utroque Conſule proſpere pugnatum eſſe memoriae proditum: quod tamen affirmem nihil habeo. SCHOTT. Conſul uterque, & in Tabulis Capitolinis & in Inſcriptionibus *triumphaſſe* dicitur. Quanquam *Livius* Decium ait aegrum Romae manſiſſe, dum Valerius Samnitici belli reliquias perſequebatur. Illum vide lib. IX. ANNA. Plerique ex antiquioribus Editionibus & Manuſcriptis: *triumphavit*. Sic certe *Gronn.*, uterque Leid. & *Boend.* Sed nulla eſt neceſſitas, quae adduceret, ut hanc potius praeferrem lectionem. Offendebat ſcilicet Librarios conjungi hoc loco *Samnitibus* & *de his*. Verum ſolent haec pronomina ſubſtantivis ſuis & nominibus propriis ita jungi, ut abundare videantur. Auctor lib. VIII. de Bell. Gall. cap. XVIII. §. 1. *Hoſtes in inſidiis poſiti, cum ſibi delegiſſent campum, hunc inſidiis circumſederunt. Caeſar* lib. I. Bell. Gall. c. XLI. §. 1. *Pons, qui fuerat tempeſtate interruptus, neque erat refectus, hunc noctu perfici juſſit. Livius* lib. XXVI. cap. XXIV. *Laevinus Zacynthum (parva inſula eſt propinqua Aetoliae) eam praeter arcem vi cepit. Terentius* Eunucho Act. V. Sc. IV. verſ. 5.

- - - Virginem
Quam amabat, eam conſeci ſine moleſtia.

Salluſtius Jug. cap. VII. §. 1. *Jugurtha, quod erat manu promtus, ſtatuit, eum objectare periclis.* ubi conferatur Doct. *Cortius* & ad Catil. cap. XXXVII. §. 4. *Suetonius* Domit. cap. III. §. 2. *Uxorem ſuam Domitiam, eandem Paridis Hiſtrionis amore deperditam, repudiavit.* Quo loco *eandem* ejicere malebat *Terrentius*, utpote minus neceſſariam. Judicium ejus non ſequor. *Plinius* Paneg. cap. V. *Omnis turba quae limen inſederat, illa quidem ut tunc arbitrabatur Deum, ceterum, ut docuit eventus, te conſalutavit.* Sed & ibi pro *illa quidem*, *Hearne* edidit *jam quidem*, quomodo aliquot veteres Editiones. Melius ſententiae conſulunt, qui *illa* defendant. Noſter inf. cap. L. *Cum Claudio Nerone inimico ſuo Conſul, ne Reſp. diſcordia male adminiſtraretur, amicitiam cum eo junxit.* & quae notantur ad cap. XLIII. Sic l. 9. §. ult. ff. de Poenis. *Statuliberum, quaſi liberum eum jam puniendum.* Pro *eum* ſubſtituit *Raevardus* lib. II. Varior. cap. XI. *eſſe*; ſi quid foret mutandum, poſſet legi *tum jam*, ut *Virg.* Ecl. VIII. verſ. 39.

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.

Dict. Cretenſis de Bell. Troj. lib. II. cap. XLIII. *Tum jam cedentibus acrior inſiſtens. Terent.* Andr. Act. I. Sc. I. verſ. 68. *Cicero* pro *Arch.* cap. V. & cet. Verum praeſtat nihil mutare. *Livius* lib. I. cap. XIX. *Urbem novam conditam vi & armis, jure eam legibusque condere parat.* In ſimilibus igitur

ſul, multa domi militiaeque geſſit. Quarto conſulatu cum Fabio 3
Maximo, cum Galli, Samnites, Umbri, Tuſci contra Romanos
conſpiraſſent, ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante, ex-
emplum patris imitatus, advocato M. Livio Pontifice, haſtae inſi-
ſtens, & ſollennia verba reſpondens, ſe & hoſtes Diis Manibus de- 4
vovit. Inpetu in hoſtes facto, victoriam ſuis reliquit. Corpus a 5
collega laudatum, magnifice ſepultum eſt.

igitur loquendi generibus emendandis non debemus eſſe nimis faciles. ARNTZ.

Spolia ex his.] Scripſi ex eodem Lapide, & veteribus Libris MSS. SCHOTT. *De his Boend.* Fran. & *Gramm. de iis* aliquot Editi.

Cereri.] *Cererem* terram *Varro*, ac alii Philoſophi interpretantur, quia gerat omnia, id eſt, procreet: inde multus fabulae locus datus eſt. MACHAN.

2 *Iterum.*] Tertio anno poſt primum Conſulatum. Tunc Tarquinienſes ſubegit, & Hetruſcos coëgit pacem petere. ANNA.

Tertio.] Decimo anno poſt primum Conſulatum, Apulos devicit, & inde Samnium profectus. ANNA.

3 *Quarto conſulatu.*] *Varronis* ſententia, qua *Quartum Conſul* tempus adſignificare, & ter ante factum: & *Quarto Conſul* locum, ac tres ante factos, fruſtra eſt: ut his confirmari poteſt. Vide *Agellium* lib. x. cap. 1. Sane *Hieron. Magius* lib. III. cap. IX. Miſcell. antiquiſſimam Lapidis inſcriptionem Romae vidiſſe ſe affirmat, in quo capitis hujus initium ita, ut edendum curavimus, inſculptum erat. SCHOTT. Anno mundi 3655. ab U. C. 458. ante C. N. 293. ANNA.

Fabio Maximo.] *Q. Fabio Maximo* Rulliano. ANNA. Praenomen *Quinto* addit Leid. pr.

Cum Galli.] *Cicer.* II. de Finibus & in Catone. In Tuſculanis vero ait cum *Etruſcis* decertaſſe: alii cum *Gallis*. *Oroſius* lib. III. c. XXI. SCHOTT.

Cornu inclinante.] Vide *Liv.* lib. x. c. XXVIII. ANNA.

Marco Livio Pontifice.] *M. Livium Pontificem, quem deſcendens in aciem digredi vetuerat ab ſe, praeire juſſit verba, quibus ſe legionesque hoſtium pro exercitu populi Romani Quiritium devoveret. Livius* loco ſupra laudato. EAD.

Haſtae inſiſtens.] *Livius* ubi de Decio Patre, lib. VIII. cap. IX. *Pontifex eum* (Decium) *togam praetextam ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere*, &c. EAD.

Sollennia verba reſpondens.] Quae apud *Livium* lib. VIII. *Macrob.* lib. III. cap. IX. SCHOTT. *Not. Min.* Vide quae ſupra in Decio Patre notata ſunt. *Sollennia verba* ſic *Livius* lib. VIII. cap. IX. *Jane Jupiter, Mars Pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novenſiles, Dii Indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumque, Diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti Populo Romano Quiritium vim victoriamque proſperetis, hoſtesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis Populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hoſtium mecum Diis Manibus, Tellurique devoveo.* ANNA. *Taubman.* ad *Virgilii* Culicem verſ. 357. Et *Gruter.* ad *Senecam* Epiſt. LXVII.

CAPUT XXVIII.

ARGUMENTUM.

Audito patri diem a Pomponio dictam dimittere eum accusationem a patre rus relegatus, nocte urbem petens stricto gladio compellit, Gallum provocatorem occidit, bello Latino filium securi percutit, & hostes superat T. Manlius Torquatus.

1 Titus Manlius Torquatus ob ingenii & linguae tarditatem a patre rus relegatus, cum audiſſet ei diem dictam a Pomponio Trib. 2 pleb. nocte urbem petiit. Secretum colloquium a Tribuno inpetravit, & gladio ſtricto dimittere eum accuſationem terrore multo 3 compulit. Sulpicio Dictatore Tribunus militum Gallum provoca- 4 torem occidit. Torquem ei detractam, cervici ſuae induit. Conſul

1 *Torquatus.*] Primus in ea familia agnomen hoc a *torque* adepto habuit. MACH. De *Torquatis* vide *Agellium* lib. IX. cap. XIII. *Stephanum Pighium* in *Val. Max.* lib. VI. cap. IV. & Faſtos. SCHOTT.

Ob ingenii & linguae tarditatem.] *Quia infacundior eſſet & lingua impromptus. Liv.* lib. VII. cap. IV. ANNA. Et *Gruterus* ad *Senecam* lib. III. de Benef. cap. XXXVII. loco *rus*, *rure* eſt in Leid. ſec.

A patre.] Quidam Codex *a patribus* ſcripſerat. Manifeſto falſum. Pater enim fuit L. Manlius Imperioſus. *Cic.* III. Officiorum. SCHOTT.

Ei.] Planius Mediolanenſis *patri*. ID.

Diem dictam.] *Diem* alicui *dicere*, id eſt, aliquem accuſare; quia tunc accuſatores reis certum *diem* denuntiabant, quo ſe ii coram populo ſiſterent, ut criminibus diluendis vacarent. ANNA.

Pomponio.] Qui *Pompejo* pro *Pomponio* legerunt errant. SCHOTT. Lege *Pomponio*. *Livius* lib. VII. cap. IV. *Q. Servilio Abala*, *L. Genucio ſecundum Conſulibus dies Manlio dicitur a M. Pomponio Tribuno plebis.* ANNA. Sine dubio ſcribendum *Pomponio*, & ita Codices Noſtri tantum non omnes, *Aldus*, *Gryphius* & ceteri, quibus adſtipulantur auctoritates Veterum, qui Manlium a *Pomponio*, non vero a *Pompejo* in jus vocatum tradant. *Cicero* lib. III. de Off. cap. XXXI. *Val. Maximus* lib. V. cap. IV. exemp. 3.

Dimittere.] Ac jurate coëgit *ſe patris ejus accuſandi cauſſa conſilium plebis nunquam habiturum, aliter extemplo eum transfixurum.* MACH. In MSS. eſt *omittere*. SCHOTT. Imo *prae ſe deinde tulit ea vi ſubactum ſe incepto deſtitiſſe. Nec perinde ut maluiſſet plebes, ſibi ſuffragii ferendi de tam crudeli & ſuperbo reo poteſtatem fieri. Livius.* ANNA.

3 *Sulpicio Dictatore.*] Faſti Capitolini Conſulem fuiſſe loquuntur hoc bello Gallico *C. Sulpicium Peticum* cum C. Licinio Stolone Calvo II. qui & anno CCCXCIX. collega ejus fuerat: *Dictatorem* non item niſi anno poſt tertio CCCXCV. *Dictator* autem erat T. Quinctius Pennus Cincinnatus, ut *Livius:* vel T. Quinctius Barbatus Capitolinus Criſpinus, ut eadem Capitolina monumenta ſignant, non *Sulpicius*. SCHOTT. Vide tamen *Fabricium* ad *Oroſium* lib. III. cap. VI.

Gallum.] Bello Gallico de quo *Flor.* lib. I. cap. XIII. ANNA.

Provocatorem.] *Quem nunc*, maxima voce inquit, *Roma fortiſſimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noſter duorum eventus oſtendat, utra gens bello ſit melior.* MACH. Caeterum de Torquati *μονομαχίᾳ*, & Corvini cum *provocatoribus* Gallis, vide *Agell.* lib. IX. Noct. Attic. quibus lucem attulit doctiſ. *Lipſius* III. & IV. lib. Epiſtolic. Quaeſt. ex optimis membranis *Viſt. Giſelini* Medici: & *Lud. Carrio* lib. II. Antiq. Lect. cap. I. SCHOTT.

Detractum.] Vulgatos libros *detractam* ſcribere monuit in margine *Schottus* & ita quoque Leid. pr. Quod ferri poteſt, cum *torques* etiam genere feminino efferatur. *Gellius* ſeu potius apud eum *Claudius* Hiſtoricus lib. IX. Noct. cap. XIII. *Torquem detraxit, eamque ſanguinolentam ſibi in collum inposit.* Adde *Voſſium* de Art. Gramm. lib. III.

fil bello Latino filium ſuum, quod contra imperium pugnaſſet, ſecuri percuſſit. Latinos apud Veſerim fluvium, Decii collegae devotione ſuperavit. Conſulatum recuſavit, quod diceret, neque ſe 5
populi vitia, neque illum ſeveritatem ſuam poſſe ſufferre.

C A-

III. cap. XXIX. in fine. & Nob. *Heinſium* cum Cl. *Burmanno* in add. ad *Ovidium* lib. I. Faſt. verſ. 599. *Aureum detractum* Fran. ARNTZ.

Cervix.] Pars ea colli dicta, quia inde a *cerebro* canale oritur. MACH.

Induit.] *Indidit* MSS. Libri. Rectius. SCHOTTUS. Receptam tamen ruentur quatuor Scripti, & priores, quas inſpexi, Editiones, quas deſerere nolui, cum nulla ſit ratio, cur *indidit* rectius praeferri cenſerem. Immo potius ſequor ipſum *Ciceronem* lib. II. de Fin. cap. XXII. *Ex ejus ſpoliis ſibi & torquem & cognomen induit. Ovidius* Epiſt. XXI. Her. verſ. 90.

Et veſtes humeris induit ipſa meis.

Et lib. II. Amor. Eleg. XV. verſ. 4.

Protinus articulis induat illa ſuis.

Livius lib. XXX. cap. XIII. *Sibi arma adverſus hoſpitem atque amicum induerit.* ARNTZ.

4 *Latino.*] *Plutarchus* in Parallelis bellum *Albanum* vocat. Idem & in bello advetſus Samnites creatum Manlium Conſulem ait & Ἐπιτράχηλον, id eſt, *Imperioſum* appellatum, quod de filio, qui injuſſu ſuo in hoſtem pugnaverat, ſupplicium ſumpſiſſet, licet victor rediret. Sed errat, tunc enim foederati erant, verum cum *Latinis* bellum erat. *Cato* apud *Salluſtium* Catilinaria bellum Gallicum nominat & Auli praenomen tribuit: *Apud majores noſtros*, inquit, *A. Manlius Torquatus bello Gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnaverat, necari juſſit, atque ille egregius adoleſcens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit.* Et non longe ab initio: *In bello ſaepius vindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius revocati praelio exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant.* Vide *Cicer.* I. de Divinat. de Deciis, qui ſe vitamque ſuam Reip. condonavere. Idem III. Offic. non longe ab extremo: *T. Manlius ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio Conſulatu Latini ad Veſerim fuſi & fugati: magnus vir inprimis, & qui perindulgens in patrem, idem acerbe ſeverus in filium.* Quem locum attuli libentius, cum quia hiſtoriam breviter explicat, tum quia varie legitur: *Nonius* enim, ubi de torque, *Anienum* ſcribit, quomodo & Hiſtorici aliquot MSS. & *Verſerim* alium fluvium appellant. Noſtri vero ſcripti Libri, *qui nuper indulgens* praeferunt, & vulgati *idem acerbus & ſeverus*, ſecus longe atque *Nonius*. SCHOTTUS. Confer Commentatores ad *Salluſtium* Catil. cap. LV. p. 179. Edit. *Waſſ.*

Pugnaſſet.] Licet victor inde. unde *Imperia Manliana* ſuperba dicta fuere. MACH.

Securi percuſſit.] Vide *Liv.* lib. VIII. cap. VII. ANNA.

Veſerim.] Supra in Decio Patre. ANNA.

5 *Conſulatum recuſavit.*] Recedit ab hiſtoriae veritate, recedit a tempore: ſaepe enim Conſulatum geſſit, ſed poſteriorum quidam, & gentilis, T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, bis Conſul IↃXVIII & IↃXXIX. qui anno U. C. IↃXLIII. magiſtratum ob valetudinem oculorum detrectavit. Q. Fabius quoque Conſulatum ſibi non petenti oblatum recuſavit anno CDLIV. SCHOTTUS. Totum iſtud male heic adtextum, & ad alium ſpectare Manlium, bene monitum *Schotto* noſtro. GRUT. Fuit hic *T. Manlius Torquatus* alius longo poſt tempore, bello ſcilicet punico ſecundo, creatus Conſul cum T. Otacilio. Ejus verba apud *Livium* lib. XXVI. cap. XXII. ſunt: *Neque ego veſtros mores Conſul ferre potero, neque vos imperium meum.* Hanc tamen paragraphum apud nos retinent omnes Scripti & Editi, ut ſine dubio error ab ipſo Auctore ſit profectus. ARNTZ.

Nec illum.] Ita ſcripſimus cum Leid. ſec. Editur vulgo, *neque illum*. Non quidem, quod putem minus recte dici, *neque*, *neque* vel *nec*, *nec*: Vid. Erud. *Cuningamium* Anim. in *Bentl.* cap. IV. p. 43. Sed quod exiſtimem varietatem hanc admodum captaſſe Veteres, quorum elegantiam corrupit poſteriorum temporum negligentia. *Lucretius* lib. II. verſ. 38.

- - - Neque *nobilitas* nec *gloria regni.*

Sic eſt in Editione principe, quod poſtea mutatum, ſic in eadem lib. III. verſ. 468.

Unde neque *exaudit voces*, nec *noſcere vultus.*

Lib. V. verſ. 37.

Quo neque *noſter adit quisquam*, nec *barbarus audet.*

Lib. III. verſ. 439.

Nec *creſcit*, neque *poſt mortem durare videtur.*

Sic omnibus illis locis, & aliis, quae praetereo, expreſſit antiquiſſima *Lucretii* editio, quod deinde de mutatum in *neque neque*, vel *nec nec*. *Plinius*

in Paneg. cap. XXXIII. *Inde non enerve*, neque *fluxum*, nec *quod animos Virorum molliret*. Ita praeferunt excerpta *Voſſiana*. *Cicero* pro Milone cap. XIX. *Cur* neque *ante occurrit*, *ne ille in villa reſideret*, nec *eo in loco ſubſedit*. Adde Cl. *Graevii* Var. Lect. ad eandem Orat. cap. X. *Cicero* iterum lib. III. ad Fam. Epiſt. V. Neque *enim obſcuris perſonis* nec *parvis in cauſſis res agetur*. *Tibullus* lib. I. El. I. verſ. 65.

Nam neque *tum plumae*, nec *ſtragula picta*
ſoporem.

Ubi alii etiam *neque ſtragula*. *Juſtinus* lib. VI. c. IV. §. 12. Nec *animus* neque *vires pares fuere*. *Ovidius* Epiſt. II. Her. verſ. 89.

Sed neque *conſului*, nec *te mea regia tanget*. *Caeſar* lib. I. Bell. Civ. cap. V. §. 1. Neque *docendi Caeſaris propinquis ejus ſpatium datur*, nec *Tribunis* &c. Sed ne in re non maximi momenti longior ſim, adeatur *La Cerda* ad *Virgilium* Ecl. V. verſ. 26. *Rivius* & *Graevius* ad *Cicer.* lib. X. ad Fam. Epiſt XI. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. XXX. §. 2. & *Oudend.* ad *Lucanum* lib. I. verſ. 349. & lib. X. verſ. 38. ARNTZ.

CAPUT XXIX.

ARGUMENTUM.

Senonum reliquias Camillo perſequente, adverſum Gallum provocatorem procedit, illumque a corvo adjutus devincit, & multitudinis aere alieno oppreſſae ſeditionem comprimit M. Valerius Corvinus.

1 Reliquias Senonum Camillus perſequebatur. Adverſum ingentem Gallum provocatorem ſolus Valerius Tribunus militum, omni-
2 bus territis, proceſſit. Corvus ab ortu ſolis galeae ejus inſedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli verberavit. Hoſte devicto, Va-
3 lerius Corvinus dictus. Hic, cum ingens multitudo aere alieno op-

1 *Reliquias Senonum.*] Hanc hiſtoriam *Titus Livius* ſeptimo ab urbe condita, *Gellius* lib. VIII. cap. XI. eleganter tradidere: hoc autem fuit L. Furio, Cl. Appio Conſulibus. MACH.

Camillus.] Vide *Florum* lib. I. cap. XIII. ANNA. Melius cohaereret oratio, ſi legas: *cum Camillus perſequebatur, adverſum.*

Valerius.] Praenomen a *L. Annaeo Seneca* Epitomae *T. Livii* auctore, *Lucii*: a Faſtis Capitol. *Marci* tribuitur. SCHOTT. *Florus* lib. I. cap. XIII. & *Liv.* lib. VII. cap. XXVI. ANNA. *Valerius Corvinus* Leid. ſec. & *Boend.*

Et inter pugnandum ora.] Sic noctua Turni cum Aenea dimicantis & ora & clypeum verberavit. *Virgil.* XII. Aeneid.

\- - - *Turni ſe peſtis ad ora*
Fertque, refertque ſonans; clypeumque everberat.

ANNA.

Corvinus.] De *Corvini* agnomine, ſeu cognomine pugnant docti. *Sigonius Corvus* ſcribi vult ex Capitolinis Marmoribus, & ratione aſſentiente. Quemadmodum, inquit, *Albus*, *Rufus*, *Craſſus*, *Luſcus*, *Longus* cognomina primum inventa ſunt, poſt autem *Albinus*, *Rufinus*, *Craſſinus*, *Luſcinus*, *Longinus*, ſubſequuta ſunt: Sic qui primus cognomen hoc tulit *Corvus*, poſteri *Corvini* dicti. Tamen MSS. hoc loco & in P. Decio conſtanter *Corvinus* ſcribunt, nec enim commode *Corvus* appellari videtur. Aſſentior igitur *M. Antonio Mureto*, qui in his rebus non magnopere contendendum cenſet. Quod enim praeter *Euſtathium* illud *Propertii* advocent, non me movet:

Et cui cognomen Corvus habere dedit.

Nihil enim convincit. *Claudiani* auctoritatem opponam, qui ſic in Eutropium:

Agmina Brutorum Corvinorumque caterva.

Ubi & Brutum, qui Reges ejecit, reſpicit, & *Corvinum*, qui primus hoc cognomen tulit. Et *Manilius* Auguſti aequalis *Corvinum* diſerte vocat:

Et

oppreſſa, Capuam occupare tentaſſet, & ducem ſibi Quinctium neceſſitate compulſum feciſſet, ſublato aere alieno, ſeditionem compreſſit.

Et cum militia volueris Corvinus adeptus,
Et ſpolia, & nomen, qui geſtat in alite Phoebum.

SCHOTT. Quotquot tamen hodie inveniuntur Eruditi, omnes *Sigonii* & Faſtorum ſequuntur auctoritatem. *Hearne* ad *Eutropium* lib. II. cap. VI. *Valeſius* ad *Gellium* lib. IX. cap. XI. *Torrenius* ad *Val. Maximum* lib. III. cap. II. exem. 6. & quos laudavit Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. c. XIII. §. 20. *Corvinum* ex ſententia *Mureti* ad *Propertium* lib. III. El. IX. hic tuetur *Schottus*, *Ciofanus* ad *Ovidium* lib. I. Faſt. verſ. 602. & *Britann.* ad *Juven.* Sat. I. verſ. 108. quorum ego opinioni calculum adjicio. Movent me aperta Poëtarum teſtimonia, quae fallere non poſſunt. Illis addo *Juvenalem* Sat. VIII. verſ. 4.

Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum.

Et hinc fortaſſe erit, quod *Corvinos* & *Torquates* junxerit *Lucanus* lib. VII. verſ. 584.

Corvinosque ſimul, Torquataque nomina, Regum
Saepe duces.

Secundo loco hac in parte me confirmat unanimis MSS. conſenſus. Apud *Gellium* lib. IX. cap. XI. *Cenſorinum* de Die Natali cap. XVII. *M. Valerio Corvino, C. Petilio Coſſ.* & ſic in Chronico ſuo *Caſſiodorus*, & lib. X. Variarum Epiſt. XI. *Atque nobis Marios vel Corvinos annoſior vita ſervaſſet. Tacitus* lib. I. Ann. cap. IX. *Numerus etiam Conſulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvinum & C. Marium ſimul aequaverat.* Neque apud *Eutropium* ulla varietatis ex MSS. mentio, & ſic apud *Val. Maximum*, *Florum*, *Ciceronem* Orat. V. Phil. cap. XVII. *Oroſium* lib. III. cap. VI. *Auxiliante corvo alite, unde poſtea Corvinus eſt dictus.* Quo loco *Corvinum* ex *Manilio* etiam tuetur *Fabricius*. *Plinium* lib. VII. Hiſt. Nat. cap. XLVIII. & *Auſonium* in Paneg. cap. XI. §. 2. Ubi omnia exemplaria *Corvinum* retinere teſtatur *Vinetus*. Apud Noſtrum autem Leid. pr. *Corvinius*. Fran. *Corvius*: & ſic κόρβιος dicitur apud *Suidam* in Ἀμβρακία. Pro *devicto* habet *victo* Haun. Leid. pr. & *Boend.* ARNTZ.

Dictus.] Et una a Conſule centum bobus & corona aurea donatus eſt. MACH.

3 *Hic.*] Ita ſcripſimus cum O. S. & Editt. neſcio unde in minore *Schotti* & aliis ſequentibus irrepſerit *hinc*.

Capuam occupare tentaſſet.] Hanc hiſtoriam fuſe, ſed paullo aliter *Liv.* lib. VII. cap. XXXVIII. XXXIX. & ſequentibus. ANNA.

Neceſſitate compulſum.] Scribunt antiqui Libri *compulſa*, ut ad multitudinem referatur. Conſtat enim ducem deſideratum a transfugis. Alterum aeque quadrat, quod animadvertenti facile perſuaſero: vi enim & minis coactus Quinctius imperium accepit. SCHOTT.

Sublato.] Unde haec? nil enim *Livius*. ANN.

Aere alieno.] *Aes alienum* dicitur quod nos aliis debemus, vulgo debitum vocant. MACH.

CAPUT XXX.

ARGUMENTUM.

Bello Samnitico in inſidias inducitur, exercitu ſub jugum miſſo foedus a Romanis poſtea improbatum icit, Samnitibus deditur, & non recipitur Spurius Poſtumius.

Cajus Veturius & Spurius Poſtumius Conſules bellum adverſum Samnites gerentes, a Pontio Theleſino duce hoſtium in inſidias

1 *Titus Veturius.*] *Cajus* erat in *Aldino*, Mediol. ceteroſque antiquis, ſed *Titus* in Faſtis Capitolinis. *Poſtumius* vero a *Plutarcho*, ubi de clade caudina ſcribit, *Albinus* vocatur. Fuere primo

2 dias deducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Roma-
nis dicerent, Luceriam Apulam a Samnitibus obsideri, quo duo
itinera ducebant, aliud longius & tutius, aliud brevius & periculo-
3 sius. Festinantibus itaque cum insidias statuisset (qui locus Fur-
culae

Coss. simul anno CDXIX. iterumque hoc bello CDXXXII. SCHOTT. Anno mundi 3631. ante C. N. 317. ab U. Cond. 434. Vide *Flor.* lib. I. cap. XVI. & *Liv.* lib. IX. initio. ANNA. *Titi* praenomen huic quoque Consuli tribuit *Cicero* lib. III. de Officiis cap. XXX. & de Senectute cap. XII. *Eutropius* lib. II. cap. IX. *Livius* lib. IX. cap. I. & alii: quod recte etiam vidit, & errorem *Aurelii* agnovit *Pighius* tom. I. Ann. p. 348. Nam Librariis adscribere hoc vitium non audeo, cum *Schotti* Codices, Nostri & Editiones *Cejum* exhibeant. ARNTZ.

In insidias deducti.] *Per insidias seducti* hactenus lectum, sincerior lectio, *in insidias inducti*, quam posui ex vetustis Codicibus depromtam. SCHOTT. *Per insidias seducti* Editiones priscae. *In insidias seducti.* quinque Scripti. Multo melius est, quod intulit *Schottus* ex vetustis, ut dicit, Codicibus. *Nepos* sic in Annib. cap. V. *Iterum Consulem in Lucanis absens* in insidias inductum *sustulit.* & *Orosius* lib. IV. cap. XVI. *Ab hospite suo Lucano quodam* inductus in insidias. Leviori & longe faciliori mutatione ego cum Leid. sec. praefero *deducti.* Inf. Epit. cap. XLIII. §. 2. *Illic a transfuga quodam* in insidias deductus. *Justinus* lib. XLIV. cap. V. §. 4. In insidias deductus *occiditur.* & *Orosius* lib. V. cap. XVIII. *At Marsis* deductus *in* insidias *cum exercitu trucidatus est.* ARNTZ.

2 *Simulatos transfugas.*] *Milites decem pastorum habitu misit, pecoraque diversos alium alibi haud procul Romanis pascere jussit praesidiis: ubi inciderint in praedatores, ut idem omnibus sermo constet, legiones Samnitium in Apulia esse: Luceriam omnibus copiis circumsedere. Liv.* lib. IX. c. II. ANN.

Romanos docerent.] Venustius magisque ex usu Historicorum, quam *Romanis dicerent*, quod glossarium est. SCHOTT. *Docere* proprie dicuntur, qui per Legatos vel litteras aliquid alteri indicant, ut simul pateat, eam ob causam tales legatos vel epistolas esse missos. *Corn. Nepos* Dat. cap. V. §. 3. *Haec Pandates, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet.* & *Caesar* lib. V. Bell. Gall. cap. I. §. 7. *Piruslae Legatos ad illum mittunt, qui doceant.* Sed transfugae non eam ob causam mittuntur, ut publice aliquid annuncient, & palam profiteantur, sese ideo venisse, ut hoc vel illud efficerent. Quare non repudianda est omnium Codicum & Editionum scriptura *Romanis dicerent*, pro narrarent, ut solent transfugae, ea indicare, quae in suis castris agantur. *Romano* solus Fran. scilicet singularis pro plurali Historicis etiam non infrequens. Sed nihil tamen mutandum. ARNTZ.

Apulam.] Sic praeter MSS. Parisinus ille Codex elegantius, quam in vulgatis *in Apulia*, quod & aliunde hic delatum. SCHOTT. Ad distinctionem: erat enim & Luceria in Picentinis. Erat & apud Umbros: quin & alia etiam alibi fuit. ANNA. Nostri *apud Lamiam* seu *Lamam.* Olim Editi *in apulia*, quod defendi posset ex *Livio* lib. IX. cap. II. *Schotti* emendationem, donec certiores obferantur Libri, secutus sum, &, ut puto recte, eam etiam receperat *Cellar.* Geogr. lib. II. cap. IX. p. 563. ARNTZ.

Aliud longius & tutius.] *Livius* ibidem. *Duae ad Luceriam ferebant viae, altera praeter oram superi maris patens apertaque, sed quanto tutior, tanto fere longior: altera per furculas Caudinas brevior* &c. ANNA. Propius ad hunc locum, quamvis in alia re, scribit *Livius* lib. XXII. cap. II. *Quum aliud longius, ceterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit.*

3 *Festinantibus itaque cum insidias statuisset.*] Vulgata ea lectio est, quae ad Pontium refertur: quam dum quidam impeditam & perturbatam videret, sic immutavit: *Festinantibus cum insidias statuisset Pontius ad eum locum qui Furculae Caudinae vocatur, accitum*, &c. Praeclare Libet optimae notae *Pulmanni* & *Sequani*, scriptus uterque, quibus loci restitutionem acceptum refero. In Mediolanensi certe *Festinantibus* abest, legebatque: *Itaque cum.* Et *eligi* MSC. habebat, ego *elegit* scripsi, quod propter vocem sequentem abiisdem litteris inchoatam, *t*, literam omissam crederem: si quis alteram tueatur, non repugnabo. Ellipsis enim frequens Scriptoribus antiquis; intelligaturque *praecipit, monet*, aut simile verbum. SCHOTT. *Schotti* lectionem, cum duobus Codicibus confirmetur, praeferre vellem, ut scribatur: *Festinatio brevius eligit. Itaque cum in insidias venissent (qui* &c. Substantiva enim talia saepe ponuntur pro ipsis hominibus, qui res perficiunt, *festinatio*, pro festinantes. *Quinctil.* Decl. V. cap. VI. *Insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit. Livius* lib. XXII. cap. XXXIX. *Omnia non* properanti

culae Caudinae vocabatur) Pontius, accitum patrem Herennium rogavit, quid fieri placeret. Ille ait, aut omnes occidendos, ut vires frangerentur; aut omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur. utroque inprobato consilio, omnes sub jugum misit ex foedere, quod a Romanis postea inprobatum est. Postumius Samnitibus deditus, nec receptus est.

CA-

ti *clara certaque erunt*, festinatio *improvida est & caeca. Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. XXI. *Et cum spei nihil est, sumit arma formido. Seneca* de Tranq. Animi cap. III. init. *Ejus libertatem libertas non tulit. Horatius* Art. Poët. vers. 184.

- - - Quae mox narret facundia praesens.

Livius lib. XLV. cap. XXXV. *Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit.* Sic *Ira fecit* apud Eundem lib. XXI. cap. XV. Similia apud *Cortium* ad *Sallustium* Catil. cap. XIV. §. 1. & cap. XXVIII. §. 5. Jugurt. cap. XV. fin. Sed vulgata *Victoris* scriptura unanimi consensu ab omnibus Codicibus recipitur, eamque expressêrunt Editi, ut religio mihi fuerit, eorum consensui quidquam opponere, praesertim cum eadem maneat sententia. Ante *statuisset* intellige *Pontius*, vel sic distingue: *Insidias statuisset* (q. l. *F.* C. v.) *Pontius, accitum.* Nec male tamen *statuissent* retineri posset cum Fran. ARNTZ.

Qui locus Furculae Caudinae.] Circa Ausidum fluvium, ubi Caudium urbs. ANNA.

Accitum Patrem.] Antequam patrem acciret Pontius, bis eum per nuntium consuluerat. Vide *Liv.* lib. IX. c. III. ANNA. *C. Pontius* addito praenomine ediderunt posteriores, sed Prisci simpliciter *Pontius* cum omnibus MSS. & sic *Florus* lib. I. cap. XVI. §. 1. *Orosius* lib. III. cap. XV. Pro *Herennium* scribit *Heremum* Leid. sec. *Heremium Boend.*

4 *Ex foedere.*] *Ictο foedere* reposui ex vetustis Libris, nam *ex foedere* ferri non potest. *Florus* in Epit. lib. IX. *foedere cum Samnitibus facto. Claudius* quoque *Quadrigarius foedus* appellat, a quo *Livius* nominis Romani perstudiosus dissentit, qui *sponsionem* interpretatur. Videsis *Sigonium* lib. I. de Antiquo Jure Civium Romanorum copiose de his dissertantem. SCHOTTUS. *Livius* cap. V. *Consules*, inquit, *profecti ad Pontium in colloquium, quum de foedere Victor agitaret, negarunt injussu populi foedus fieri posse: nec sine fecialibus ceremoniaque alia sollenni. Itaque, non ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est.* ANNA. *Ex foedere* tamen omnes & Editi & Scripti, quod quo minus ferri non possit, nullus video. Certe illi, qui ad summas angustias redacti se hosti dedere deberent, & eam contumeliam subire, ut sub jugum mitterentur, prius *sponsionem* aliquam faciebant, ut incolumes abirent, qualis *sponsio* apud optimos quosque Scriptores etiam *foedus* appellatur. Voces quidem hae, si proprie loqui velimus, distinguendae erunt, cum *foedus* componatur S. P. Q. R. consensu, *sponsio* vero neque Populo jubente nec auctore Senatu. Quam tamen differentiam non ubique observari notarat jam *Sigonius* lib. I. de Jure Italiae cap. I. & *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. XVI. §. 12. De Mancini deditione, qui pacem cum Numantinis fecerat injussu S. P. Q. R. *Cicero* lib. III. Off. cap. XXX. *Ut Numantinis, quibuscum sine Senatus auctoritate* foedus *fecerat, dederetur.* & *Eutropius* lib. IV. cap. XVII. *Ut in illo, quem auctorem* foederis *habebant, injuriam soluti* foederis *vindicarent. Augustinus* lib. III. de Civ. Dei cap. XXI. *Numantinum* foedus *horrenda ignominia maculosum. Val. Maximus* lib. I. cap. VI. exem. 7. *Turpi* foedere, *deditione funesta.* & lib. II. cap. VII. exem. 1. Eodem modo apud *Sallust.* Jug. cap. XXXVIII. §. 9. *Si secum* foedus *faceret, incolumes omnes sub jugum missurum.* & cap. XLIII. §. 1. *Post Auli* foedus *exercitusque nostri foedam fugam.* Confer *Livium* lib. XXI. cap. XVIII & XIX. Et ut propius accedamus, ipsa illa pactio cum Samnitibus inita *foedus* appellatur. *Florus* lib. II. c. XVIII. §. 7. *Non minus Numantini, quam* Caudini *illius* foederis *flagrans ignominia. Rutilius* lib. I. Itin. vers. 126.

Samnis *servitio* foedera *saeva luit.*

Augustinus lib. III. de Civ. Dei cap. XVII. *Quando in Caudinas furcas a* Samnitibus *obsessi ambo cum exercitu Coss.* foedus *cum iis foedum facere coacti sunt.* Adeoque *ex foedere* idem erit ac si dixisset *ex sponsione*, ex legibus pacis, quae convenerat inter eos. Et quid, si vulgarem opinionem secutus sit *Aurelius*, cum tradat *Livius* lib. IX. cap. V. vulgo credi & a *Claudio* affirmari *foedere* pacem Caudinam esse factam. Si ita accurate omnia vellemus examinare, & excutere, multo minus *Schotti* haec emendatio posset ferri, cum ut foedus *iceretur* adhiberi deberent Feciales, qui porcum ferirent. Atqui sine Fecialibus hanc rem

peractam fuisse patet ex eodem *Livio* loco laud. ARNTZ.

§ *Postumius Samnitibus deditus.*] Ut hac deditione turpitudinem foederis dirimeret, populumque Romanum religione exsolveret, ne quid divini humanive obstaret, quo minus justum piumque de integro bellum susciperetur. Vid. *Liv.* c. VIII. ANNA.

Nec receptus.] A Pontio scilicet. EAD. *Est* in fine addunt omnes Scripti & Editi.

CAPUT XXXI.

ARGUMENTUM.

Ominibus adversis profectus ad auspicia repetenda Romam regreditur, Fabium Rullianum contra imperium pugnantem, & securi feriendum patriis lacrimis & populi precibus condonat, de Samnitibus triumphat, & radicem ambulantibus incommodam jocorum studiosus exscindi jubet L. Papirius Cursor.

1 Lucius Papirius, a velocitate Cursor, cum Consulem se adversis ominibus adversum Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia

1 *Lucius Papirius.*] Is est, quem *Livius* Alexandro Magno comparat, si is in Italiam venisset. MACH.

A velocitate Cursor.] Idem *Liv.* lib. IX. cap. XVI. *Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit, victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt.* Quasi vero hic Papirius primus *Cursoris* nomen habuerit, & non ante eum multi. ANNA. Praepositionem ignorant potissima pars MSS.

Consulem.] Fuit cum *Consularem*, aut *Dictatorem* ex historiae fide reposuerim, neque enim *Consules* eo anno CDXXIX. fuisse *Sigonius* observat: *Consulem* tamen facit Papirium *Orosius* lib. III. cap. XV. & *Eutropius* lib. I. *Livius* quoque ambigi dicit, magister ne equitum an *Consul* tunc fuerit. SCHOTT. *Dictatorem* hic nobis exhibebat, vetantibus Scriptis & Editis, *Schottus*, quod non erat committendum, cum ipsi dissenserint Veteres. Vide *Fabricium* ad *Orosium* lib. III. cap. XV.

Adversis.] Non *adversis:* sed *incertis. Livius* lib. VIII. cap. XXX. *In Samnium incertis itum auspiciis est: cujus rei vitium, non in belli eventum, quod prospere gestum est, sed in rabiem atque iras Imperatorum vertit. Namque Papirius Dictator a pullario monitus, quum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur*, &c. ANNA.

Ominibus.] *Adversis ominibus contra Samnites profectum*, antiqua lectio est, vulgo, *adversis omnibus adversum Samnites progressum.* Illud concinnius. *Omina* saepe in veteribus Auctoribus corrupta esse in *omnia* olim admonuit *Guil. Canterus* vir doctissimus in Novis Lectionibus; qui magno sui relicto desiderio satis ereptus est. SCHOTTUS. Multo est concinnius, ut edidit *Schottus.* Sed non audeo concinnos reddere Scriptores contra auctoritatem MSS. & Editt. quae hic omnia *adversum* seu *adversus. Ominibus* probant & nostri Codices & sollennis est ille Librariorum lapsus, qualia innumera exempla notarunt Viri docti, quae addere non est operae pretium, cum omnes sciant. Neque *profectum* ferunt Nostri vel Scripti vel Editi, qui omnes *progressum.* Prius quidem mallem, vide sup. cap. XIV. §. 1. sed posterius tamen non damno. *Brutus* apud *Cicer.* lib. XI. ad Fam. Ep. IV. *Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu.*

Adversus Samnites.] Anno mundi 3628. ante C. N. 320. ab U. C. 431. ANNA.

Sensisset.] A pullario monitus. EAD.

Ad auspicia repetenda.] Nihil enim *inauspicato* gerebant Romani. Quare si egressi male pugnassent, vel etiam si ante pugnam vitiose capta omina meminissent, Romam revertebantur ad captanda rursus *auguria.* Idque dicebant, *redauspicare* & *repetere omina. Virg.* II. Aeneid.

Omina ni repetant Argis.

Et hoc servatum a ducibus Romanis, donec ab his in Italia pugnatum est propter vicinitatem. Postquam vero ministerium longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad

ſpicia repetenda Romam regreſſus, edixit Fabio Rutilio, quem exercitui inponebat, ne manum cum hoſte conſereret. Sed ille opportunitate ductus pugnavit. Reverſus ſecuri eum ferire voluit; ille in 2
urbem confugit, nec ſupplicem Tribuni tuebantur. Dein pater la- 3
crymis, populus precibus veniam inpetrarunt. Papirius de Samni- 4
tibus triumphavit. Item cum Praeneſtinum Praetorem graviſſime 5
incre-

renovanda auſpicia de longinquo revertiſſet, conſtitutum ut unus locus de captivo agro Romanus fieret in ea provincia, in qua bellabatur, ad quem, ſi renovari opus eſſet *auſpicia*, dux rediret. EAD. In hac Elegantiſſimae *Annae* nota pro *miniſterium* rectius leges *imperium*. Vitioſis utebatur *Servii* Editionibus, poſtea melius de eo loco meritus *Marvicius*. Vide *Servium* ad *Virgilium* lib. II. Aen. verſ. 178. & ad eundem locum *La Cerdam*. *Val. Max.* lib. II. cap. VII. exem. 4. Ad auſpicia repetenda *Meſſanam tranſiturus*. lib. III. cap. XI. exem. 9. *Propter* auſpicia repetenda *in Urbem proficiſcente*. *Livius* lib. VIII. cap. XXX. *Quum* ad auſpicium repetendum *Romam proficiſceretur*. & c. XXXII. *An* auſpicia repetenda, *ne quid dubiis Diis agerem*. ARNTZ.

Rutilio.] *Rutilio* Pariſinus. *Rullo* MSS. omnes hic & ſequenti capite, & *Livius*: quomodo & *Plutarchus* in Pompejo vocat, quanquam in *Fabio* nomen corruptum ſit. *Q. Fabium Maximum Rullianum* nominant *Val. Max.* lib. V. & qui Capitolinos Conſules digeſſerunt. SCHOTT. Maxime Librarii, niſi ab ipſis Scriptoribus haec varietas proficiſcatur, ſuis mutationibus hanc vocem agitarunt. Fran. *Rullo*. Leid. uterque *Rutilano*. *Gramm.* & *Boend. Rutilio*. omnes antiquae Editiones *Rutiliano*. *Rullianus* eſt in Faſtis Capitolinis, ex quibus alia Auctorum loca, in quibus varie legitur, emendanda eſſe cenſet *Pighius* tom. I. Ann. p. 342. Quem hic ſecutus eſt *Schottus*. Sed cum nullus MS. ita habeat, turiſſimum putavi exprimere, quod in optimo Pariſino noſtrisque duobus exſtat *Rutilio*, quomodo etiam appellatur apud *Frontinum* lib. IV. Strat. cap. I. ex. 39. Conſer *Sigonium* ad *Livium* lib. VIII. cap. XXIX. & *Vorſtium* ad *Val. Maximum* lib. III. c. II. exem. 9. ARNTZ.

Inponebat.] MSS. iidem legunt venuſtius quam *praeponebat*. Reliqua quae mutavimus a MSS. ſunt. SCHOTT. Recte nobis videtur *Schottus* reduxiſſe genuinam lectionem, pro qua *praeponebat* habebant alii, quia ſcilicet haec vox ea ſignificatione magis eſſet obvia. Et id velle etiam videntur omnes Noſtri, & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. III. verſ. 393. Hae duae voces ejusdem ſunt notionis, adeo ut perinde ſit, quid elegas. Malo tamen adſenſum *Schotto* praebere, cum ignotam vocem multo facilius corruperint Scribae. *Livius* lib. XXV. cap. XXV. *Praerat huic arci Philodemus Archivus ab Epidyce inpoſitus*. lib. XL. cap. XII. *Ut quem vellent, inponerent Macedoniae Regem*. & lib. XLII. cap. XLI. *Praefectum a me inpoſitum ita occiderunt*. Ex uno *Tacito* vel centum talia loca dari poſſent, ut norunt, qui eum unquam inſpexerunt. *Spartianus* Hadr. cap. XXI. & XXIII. *Quem Praetura honorevit, & ſtatim Pannoniis inpoſuit*. & in *Aelio Vero* cap. III. *Pannoniis dux & rector inpoſitus*. *Capitol.* in Pertin. cap. II. *Primae Legioni regendae inpoſuit*. adde cap. VI. & XIII. *Dictys Cret.* lib. IV. de Bell. Troj. c. XXII. *Expers omnium, quae geſta erant, petitu Heſionae, regno inpoſitus eſt*. Plura collegit Cl. *Cortius* ad *Salluſt.* Catil. cap. LI. §. 28. & Jugurtha cap. C. §. 3. ARNTZ.

Ne manum cum hoſte conſereret.] Sic *Livius*: *Ut ſeſe loco teneret, neu abſente ſe cum hoſte manum conſereret*. ANNA.

2 *Reverſus.*] Primus *Schottus* edidit: *Reverſus Papirius ſecuri*. Nomen ignorant antea Editi & MSS. omnes. Melius videtur abeſſe, cum ex praecedentibus per ſe commode procedat oratio. *Feriri* malebat Leid. ſec. ARNTZ.

Nec ſupplicem Tribuni tuebantur.] Imo *tuebantur*, ſed precarium, non juſtum auxilium ferebant, ut patet ex *Livio*. ANNA.

3 *Pater lacrymis.*] Nam adoleſcens, & pater M. Fabius contentionis die prorupere ad genua, & deprecati, dictatoriaeque dignitatis obliti ſunt, & multa alia, quae Libro octavo Hiſtoriae *Livianae* eleganter videbis. MACH.

5 *Item.*] Scripſimus: *Idem comis & jocorum ſtudioſus*. Sed tota haec linea in vulgatis deſiderata hactenus, verum in MSS. paullo aliter. In *Putmanni* Apographo: *Idem comes Etruſcorum & jocorum cum praeſtudioſus Neſtinum Praetorem*. Sed *vò Etruſcorum* in *Metelli Sequani* Schidis abeſt, unde eam, quam excudendam curavi, lectionem erui: vidi enim praepoſitionem ſede motam ab eo, qui Preneſtinam urbem ignorabat, quod teſte *Volaterrano* lib. VI. Geographiae diruta hodie

ſit.

6increpuiſſet, expedi, inquit, lictor ſecures. Et cum eum metu mortis attonitum vidiſſet, incommodam ambulantibus radicem excidi juſſit.

ſit. Caeterum ingenii laudes, morum facilitatem, bellicamque virtutem *Livius* lib. IX. copioſe praedicat, adeoque Alexandro Magno Papirium comparat. *Plinius* quoque lib. XVII. cap. XI. hujus rei geſtae meminit & *Ammianus* Hiſt. lib. XXX. SCHOTT. Neque hujus paragraphi ulla apud Scriptos vel Editos exſtant veſtigia, quare in textum admittere nolui, cum non ex MS. ſed a ſolo ingenio profecta ſit, & ita etiam, ut ne verba quidem ſenſui ſatisfaciant. Quae enim haec eſt *comitas*, aliquem timore mortis attonitum reddere. Eſt enim *comis*, qui verbis & factis blandus, mitis eſt, non qui aſperiora jubet. *Item* habent MSS. ſed editum ſemper *Idem*. prius tamen mallem, ut inſerviat connectioni in narrandis duobus factis, ex quibus pateat, quam diligenter imperia curarit Papirius, quamvis juſſa ſeveriora deinde clementia mitigarit. ARNTZ.

Cum Praeneſtinum.] Ne quem offendat ſine diphthongo urbem prima ſyllaba pingi. ſic enim juſſi; *Servius* enim in VII. Aen. *ἀπὸ τῶν πρίνων*, ab ilicibus, quibus ager ille abundabat, deflectit. SCHOTT. Ex *Liv.* lib. IX. cap. XVI. *Praeneſtinus Praetor per timorem ſegnius ex ſubſidiis ſuos duxerat in primam aciem. Quem quum ambulans ante tabernaculum vocari juſſiſſet; lictorem expedire ſecurim juſſit. Ad quam vocem examini ſtante Preneſtino, age dum lictor, exſcinde radicem hanc*, inquit, *incommodam ambulantibus; Perfuſumque ultimi ſupplicii metu, multa dicta dimiſit.* ANNA. Sed Graeci ſemper ſcribunt Πραι ver⊙. *Stephanus* hac voce. *Strabo* Geogr. p. 364. &c. V. *Grang.* ad *Juven.* Sat. III. verſ. 190. & *Dausquium* part. II. Orthogr. p. 250. ARNTZ.

6 *Excidi.*] Malui *exſcindi* auctoritate Codicis antiqui, tametſi alter *excindi* haberet. Hinc enim *exſcidium* apud *Plautum* Curculione ſcriptum obſervavi: *diſcidium* apud *Terentium Gabriel Faërnus*: *obſcidium* apud *Varronem* lib. IV. de L. L. *Ad. Turnebus.* Porro *exſcidium* a *ſcindo* deduco: *Feſti* Collectanea a *caedendo*, non recte; poëtae enim ſecundam corripiunt. A *caedendo* vulgus Grammaticorum derivat *exciſium*. SCHOTT. In hoc jocus eſt, quod cum lictorem ſecurim expedire juſſerit, quaſi in reum animadverſurus, praeter exſpectationem ei radicem *exſcindendam* objecerit. ANNA. *Excidi* & MSS. & antiquae Editiones ſervant, & recte quidem, cum *caedere*, & quod ab eo deducitur, *excidere* proprie de arboribus adhibeatur, quae ſecuribus eruuntur. *Varro* de L. L. lib. IV. p. 36. *Ab ſilva laurea, quod ea ibi* exciſa, *& aedificatus vicus. Lucretius* lib. V. verſ. 1265.

Ut ſibi tela parent, ſilvasque excidere *poſſint.*

Cicero lib. XV. ad Att. Epiſt. IV. Exciſa *enim eſt arbor, non evulſa.* Et hanc elegantiam ſervat Verſio Vulgata apud *Matthaeum* cap. III. verſ. 10. *Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum,* excidetur. *Seneca* Herc. Fur. verſ. 1285.

Aut omne Pindi Thracis excidam *nemus*
Bacchique luces.

Sic ibi Codex Etruſcus, & firmant duo Noſtri, quibus omnino habenda eſt fides. *Sidon. Apollinaris* Carm. II. verſ. 131.

Protulit exciſus *jam non ſua germina palmes.*

Sed haec verba ita ſolent ſaepe confundi. Conf. Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 37. *Gronovius* ad *Senecam* lib. I. de Clem. cap. I. & nos infra cap. LXXVII. fine. ARNTZ.

CA-

CAPUT XXXII.

ARGUMENTUM.

Maximus dicitur, ob Samnitem victoriam ſecuri paene percutitur, de Apulis, Nucerinis, Samnitibus, Gallis, Umbris, Marſis, Tuſcis triumphat, libertinos tribu amovet, ut equites ab aede Honoris in Capitolium tranſeant inſtituit, & mortuus publice ſepelitur Q. Fabius Rutilius.

Quinctus Fabius Rutilius, primus ex ea familia ob virtutem Maximus; Magiſter equitum a Papirio [Curſore ob Samnitem victoriam] ſecuri paene percuſſus, primum de Apulis & Nucerinis; iterum de Samnitibus; tertio de Gallis, Umbris, Marſis, atque Tuſcis triumphavit. Cenſor libertinos tribubus amovit. Iterum Cen- 1 2

1 *Ob virtutem.*] Quod forenſem turbam in quatuor tribus conjecit, ideo ei *Maximi* cognomen datum dicit *Livius* extremo lib. IX. infr. §. 8. ANNA. *Maximus appellatus* Leid. pr. Paullo poſt verba: *Curſore ob Samnitem victoriam* delent omnes Scripti & Editi, niſi quod hi *Curſore* admittant. Nos ne cuiquam haec fraudi eſſent, & ut a genuinis diſtinguerentur, adpoſitis ſignis indicavimus, in aliis deſiderari.

Securi paene percuſſus.] Superiori capite. ANN.

Nucerinis.] Pro *Lucerinis*, *Nucerinis* alii. *Livius* Fabium III. Conſ. Anno U. CDXLV. ſubegiſſe ait *Nuceriam Alphaternam*. Sic enim ex *Diodoro* legendum docuit *Sigonius*. *Glareanus* vero *Luceriam* ſcribit, cujus & *Horatius* in Odis meminit. *Sigonius* contra *Nuceriam* tuetur. Haec in Picentibus ſeu Campania eſt IX. millium paſſuum diſtans a mari, ut & Alphaterni, auctore *Plinio*: illa in Apulia eſt. Lubricus profecto locus, & in quo mihi aqua haereat, nec pudet fateri, cum nihil everſorum locorum veritate incertius. *Ptolemaeus* enim tres *Nucerias* facit. Paulo ante *ob Samnitem Victoriam* e MSS. duobus exſcripſi, & infra *albis equis*. SCHOTT. *Lucerinis* tuetur etiam *Pighius* tom. I. Annal. p. 343. Sed quamvis admodum difficile ſit in hiſce rebus certi aliquid ſtatuere, non dubito tamen, quin vera ſit omnium Codicum ſcriptura, *Nucerinis*. Patet hoc ex ipſa hiſtoriae veritate & ſitu locorum. Evenerat enim Fabio Provincia Samnium. Is antequam cum illis bellum gereret prius exercitum duxit in agros Nucerinos, ut eſt apud *Livium* lib. IX. cap. XLI. Ubi dicitur Fabius ad Nuceriam profectus, mox cum Samnitibus (quibus ſe junxerant Apuli. *Pigh.* tom. I. Ann. p. 347.) dimicaſſe. Hoc in urbe *Nuceria* verum eſſe poteſt, quae a parte Orientali propinqua eſt Samnio, non vero procedit in *Luceria*, quae ad partem Septentrionalem Italiae jacet, ita ut Samnium intermedia ſit, quare ad *Luceriam* non poterat ducere exercitum, niſi Samnites prius debellaſſet. Huic rationi accedit etiam hoc, quod *Livius* loc. laud. hanc urbem appellet *Nuceriam Alphaternam*. Jam nulla unquam fuit *Luceria Alphaterna*, ſed quidem *Nuceria* ad diſtinctionem alterius Nuceriae, ut indicaretur urbem illam eſſe Campaniae. *Servius* ad *Virgil.* lib. VII. Aen. verſ. 738. *Populi Campaniae ſunt a Sarno fluvio - - - - - Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt. Livius* lib. IX. cap. XXXVIII. *In Campaniam acta, cum appulſa Pompejos eſſet, ſocii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti.* Hinc *Pompejos* & *Nuceriam* conjungit *Cicero* Orat. II. in Rullum cap. XXXI. & XXXV. Adde *Silium* lib. VIII. verſ. 534. &, quem ibi adnotat Cl. *Drakenb.* inter Geographos Principem *Cluverium* lib. IV. Ital. Ant. cap. V. *Harduin.* in *Numm.* Popul. p. 363. *Cellarium* Geogr. Ant. lib. II. cap. IX. Hae voces ita confunduntur, quia & *Luceria* & *Nuceria* notae erant Urbes in Italia: vide *Salmaſ.* ad *Florum* lib. II. cap. XVIII. §. II. & *Oudendorp.* ad *Lucanum* lib. II. verſ. 473. Ad cujus loci veram lectionem fortaſſe facit *Celſus* in Vita Caeſ. p. 186. ARNTZ.

Marſis.] *Marſi* populi Campaniae a *Marſo* Circes & Ulyſſis filio, qui etiam excantare venena dicebantur. MACH.

Triumphaſſe.] Fabium tantum bis in Tabulis invenio,

Cenſor fieri noluit, dicens non eſſe ex uſu Reipublicae eosdem Cen-
3 ſores ſaepius fieri. Hic primus inſtituit, uti Equites Romani Idibus Quinctilibus ab aede Honoris, equis inſidentes in Capitolium tranſ-
4 irent. Mortuo huic tantum aeris populi liberalitate congeſtum eſt, ut inde filius viſcerationem & epulas publice daret.

C A-

venio, ſemel cum primum Conſul eſſet, Collega L. Furio Curvo An. Mundi 3630. ante C. N. 318. ab U. C. 433. Iterum de Hetruſcis ſecundum Conſul C. Martio Rutilio Cenſorio, duodecimo anno poſt priorem Conſulatum: Apulos quidem vicit Fabius quartum Conſul cum Publio Decio Mure; Anno Mundi 3653. Idem etiam Gallos, Tuſcos, Marſos, Umbros devicit v Conſul Anno Mundi 3655. Sed *triumphaſſe* non legitur. ANNA. Non accurate Faſtos Triumphales inſpexit Doct. Femina, in iis enim Fabii tres Triumphi celebrantur. Anno U. C. CCCCXXXI. CCCCXLI. & tandem CCCCLVIII.

2 *Cenſor.*] Collega P. Decio, P. Decii filio Anno CDXLIX. quo in Magiſtratu ob feliciter rem geſtam *Maximi* cognomen ſortitus eſt, non ob res militiae geſtas. Luſtrum etiam hoc tempore conditum XXVIII. SCHOTT.

Libertinos.] Hos *forenſem turbam* vocat *Liv.* lib. IX. in fine. *Fabius ſimul concordiae cauſa, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanaſque eas appellavit. Adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* ANNA.

Tribu.] *Tribus* Vulgati habent inepte & ruſtice. alii *Trib.* ſcribunt, *tribu amovit.* Pariſinus MS. & Mediolanenſes *tribubus. Senatu amovit* legendum videtur ex *Livio. Valerius Maximus* libro ſecundo, capite ſecundo legendus. SCHOTTUS. Non perſpicio, quo modo ex *Livio* lib. IX. cap. ult. hic malit *Senatu amovit* legere Erud. *Schottus*; ille enim cum Noſtro facit. Appius namque forenſem turbam per tribus diviſerat, in cujus manu, abundabant enim multitudine, comitia eſſent, ſed eos iterum *aliis tribubus* amotos in quatuor urbanas deſcripſit Fabius. Malim igitur cum Fran. legere *tribubus.* Confirmatur hoc *Schotti* Codicibus & Veteribus aliquot Editionibus.

Iterum Cenſor fieri noluit.] Vide *Valer. Max.* lib. IV. cap. I. ANNA.

Ex uſu Reipublicae.] *Populi Romani* Mediolanenſis impreſſerat: hinc forte quod P. R. *Populum Romanum* ſignet: quas litteras ſi invertas R. P. *Rempublicam* notant. ſin conjungas P. R. Praetorem in antiquis Schidis ſignificant. Ex qua quidem ignorantia, ſeu oſcitantia errores infiniti in Libros irrepſere. *Plutarchus* in Coriolano refert, Manlium Cenſorinum legem tuliſſe, ne cui bis Cenſuram gerere liceret: & in Catone inter ejus ſcite dicta, *Livius* libro quarto & nono de C. Marcio Rutilo Cenſore ſecundum CDXCVIII. & CCCXIX. qui populum increpavit, quod bis Cenſorem feciſſent, quam dignitatem majores coartaſſent. *Valer. Max.* lib. IV. cap. I. initio, & ſimile ibidem de hoc ipſo Q. Fabio Maximo Rulliano. SCHOTT. *Populi Romani* expreſſit Editio *Machanei.*

3 *Uti Equites Romani.*] Quod *tranſvectio* dictum fuit. *Livius* de eodem. *Ab eodem inſtitutum dicitur, ut Equites Idibus Quinctilibus tranſveherentur.* ANNA.

Equis.] *Albis Equis* Libri veteres ſcribunt. Transvectio autem antiquitus dicebatur, qua de *Livius* lib. nono, *Dionyſius* ſexto, *Plinius* XV. capite quarto, *Valerius* lib. ſecundo, & *Sueton.* Auguſto cap. LVIII. SCHOTT. *Not. Min.* & SYLBURG. Ediderat ex duobus Scriptis *albis equis Schottus*, quod miratur *Lipſius* de Mil. Rom. lib. I. Dial. V. Quis credat, inquit, tot unius coloris fuiſſe? reſcribit ergo: *alti equis. Ovidius* Epiſt. IX. Her. verſ. 28.

- - - Rapidis qui tonat altus equis.

Sed hoc paullo aliter intelligendum. Nec requiritur in Hiſtorico, ut narret equo ſedentes alte ſedere; de eo enim nemo dubitaret. Sed intruſit *Schottus* hanc vocem contra rei veritatem, contra antiquas Editiones, & manu exaratos Codices: Sanus igitur erit locus, ſi Scriptor ſuis verbis reſtituatur. ARNTZ.

4 *Liberalitate.*] In MSS. tribus eſt, *ubertate*, quod & in Pariſino poſtea reperi, non *liberalitate*. SCHOTT. *Ubertate Gramm. libertate* utergue Leid.

Filius.] Pariſinus, *filius ejus.* SCHOTT.

Viſcerationem.] *Viſceratio*, largitio carnaria, qua pecudes integrae populo dabantur. *Viſcera* enim non ſolum inteſtina; ſed quidquid ſub corio eſt. *Servius.* ANNA.

Epulas.] Lego *epulum* ex MSS. tribus, quibus uſus ſum, rectius, ni fallor. *Symmachus* Auſonio: *Quaſ*

ego

ego coenas dapales & Saliare convivium, tum viscerationem atque epulum postulassem. Quid autem haec differant, docet e Glossario *Isaacus Casaubonus* ad *Suetonii* Caesarem cap. XXXVIII. ubi & haec conjungit. SCHOTT. Secutus est Vir Erud. vulgarem Grammaticorum distinctionem, qui *Epulum* ad publica, *Epulas* ad privata referunt convivia. Vera est haec differentia, & ab optimo quoque observata. *Horatius* lib. II. Sat. III. vers. 85.

- - - Gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum arbitrio
Arri.

Livius lib. XXXIX. cap. XLVI. *Post ludos epulum.* & Epit. CXV. *Seneca* lib. I. de Benef. cap. XIV. *Nec convivam dantis Epulum, ubi dici potest. Vell. Paterculus* lib. II. cap. LVI. §. 1. *Suetonius* Caes. cap. XXVI. §. 6. *Sulp. Severus* lib. II. Hist. Sacr. cap. VI. l. 22. pr. ff. de Legat: pr. & l. 17. §. 4. de Cond. & Dem. Haec tamen observatio adeo vera non est, ut non aliter loquantur Veteres, & *epulas* de publicis etiam coenis adhibeant. *Cicero* de Haruspic. Resp. cap. X. *Ludi, libationes Epulaeque ludorum publicorum.* & *Justinus* lib. XXI. cap. IV. §. 3. *Itaque plebi Epulas in publicis porticibus, Senatui in domo sua parat.* Non itaque statim rejicienda sunt, quae nobis usui vulgari repugnare videntur, talia enim a Librariis facilius corrupta quam in ignotiorem sensum detorta sunt. Secutus igitur MSS. & Editiones *epulas* expressi. ARNTZ.

CAPUT XXXIII.

ARGUMENTUM.

De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphat, Pyrrhum Italia expellit, populo viritim & sibi agri quaterna dena jugera dividit, Samnitum legatos aurum offerentes rejicit, pecuniae interversae frustra arguitur, patres comitiis, quibus plebejus magistratus creabatur, auctores fieri cogit, & domo, agrique jugeribus quingentis publice donatur Marcus Curius Dentatus.

Marcus Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit, quos 1
usque ad mare superum perpacavit. Regressus, in concione ait: 2
Tan-

1 *Marcus.*] Vitiose hactenus, ut & in *Valerio Maximo* scripserant scioli quidam, qui *Manius* est. Non viderant lippis oculis supra virgula, vel semilunula M'. in MSS. notari. *Frontinus* male *Cajum* vocat Strateg. IV. 3. SCHOTT. In Vulgatis libris perperam est M. pro M'. ut docet *Sigonius* 345: 10. SYLB. *Manium* verum esse praenomen constat hodie ex Fastis, quibus certior haberi potest fides. Adde *Cicer.* de Senect. cap. XIII. & XVI. & *Pighium* tom. I. Ann. p. 403. Sed in Editionibus Auctorum admodum variatur. Apud *Frontinum* lib. I. cap. VIII. ex. 4. & lib. IV. cap. III. ex. 12. *Manium Curium* pro vulgato *Cajo* edidit *Scriverius*, *Marcum* vero lib. II. cap. II. ex. 1. Apud *Gellium* lib. X. c. XVI. Noct. Att. *Depugnavit adversus M. Curium.* Ubi *Manium* esse in Vett. Editt. monuit Cl. *Grotevius. Manius* etiam editur apud Eundem lib. XIV. cap. I. pag. 638. eadem varietas est apud *Plinium* lib. XVI. Hist. Nat. cap. XXXVIII. *Marcus* est in omnibus Scriptis *Eutropii* lib. II. cap. IX. quorum magnum numerum adfert Cl. *Havercampus* in Var. Lect. & sic Metaphrastes eodem lib. cap. XIV. Μάρκος Κούριος. nec aliter editur apud *Vellejum Paterc* lib. I. cap. XIV. §. 6. & ita in MSS. suis invenerat Doct. *Torrenius* apud *Val. Maximum* lib. IV. cap. III. exem. 5. & lib. VI. cap. III. exem. 4. Nostri etiam omnes *Marcus* cum Editionibus, quae ante *Schottum* prodiere. ARNTZ.

Dentatus.] Non celabo Lectorem, Codicem unum scriptum *Dematum* legisse. Non probo. *Plinius* enim avunculus lib. VII. cap. XVI. diserte inde appellatum tradit, quod cum *dentibus* natus esset. *Varro*, *L. Sicinium Dentatum* quendam celebrat apud *Fulgentium Nefrendes*, & *Plinius* lib. VII.

Tantum agri cepi, ut ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum
3 cepiſſem; tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuiſſent,
4 niſi tantum agri cepiſſem. Iterum de Sabinis triumphavit. Tertio
5 de Lucanis ovans urbem introivit. Pyrrhum Epirotam Italia expulit.

cap. XXVII. & alibi, qui *Siccium* nominat. Mirum profecto eodem anno Conſulem tertium triumphaſſe, & ſemel ovantem urbem iniviſſe, quae Auctor noſter ordine recenſet. SCHOTT. *Dentatus* recte omnes Scripti. *Seneca* de Brevit. Vitae cap. XIII. *Livius* in Epitoma XI. & *Freinsh.* ad *Florum* lib. I. cap. XV. §. 2.

De Samnitibus.] Triumphi hujus meminit *Cicero* in Catone, *Oroſius* lib. III. cap. XXII. & *Florus* lib. I. cap. XV. rei tantum in Sabinis geſtae meminerunt. *Eutropius* collegam ejus in Conſulatu Anni CCCCLXIII. P. Cornelium Rufinum *Samnites* ſimul viciſſe ait. Idemque quatuor Elephantos primum Romam induxiſſe Lucanis devictis refert, indeque *Lucas boves* dictos. Vide *Plinium* & *Varronem*. SCHOTT. De Samnitibus triumphavit Anno Mundi 3660. ante C. N. 288. ab U. C. 563. ANNA.

Superum mare.] Dictum, quod tendit *ſupra* polum arcticum verſus. *Virgilius:*

An mare quod ſupra, memorem, quodque alluit infra.

Hadriaticum & Venetum aliter dicunt. MACH. *L. Annaeus Seneca* in Epitoma *Livii* lib. I. cap. XV. *Omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus mari igne ferroque vaſtavit, qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut in utro plus eſſet nec ipſe poſſet affirmare qui vicerat.* Hinc *Cicero* lib. IV. Epiſt. XV. ad Atticum Lacum Velinum ait a M'. Curio monte interciſo in Nar emiſſum, & *Varro* apud *Servium* in VII. Aen. ad illum verſum,

Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.

Sed triumphorum quatuor meminere *Cicero* in Catone, *L. Florus Livii* Abbreviator lib. XI. *Appulejus* Apologia I. *Oroſius* lib. III. cap. XXII. *Frontinus* lib. I. SCHOTT. Poſt pro *regreſſus, reverſus* eſt in Leid. ſec.

2 *Tantum.*] Ex frequenti errore Librariorum, qui per incuriam oculos conjicientes in easdem voces, quae eadem paragrapho occurrunt, aliquam orationis partem omittunt, hic varie peccatum eſt, quia variae earumdem vocum repetitiones occurrunt. *Grammii* Codex non agnoſcit: *Hominum cepiſſem, tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuiſſent, niſi tantum.* Franeq. omittit: *tantum porro h. c. ut f. p. f. n. t. agri cepiſſem.* in Leid. ſec. deſiderantur tantum haec verba: *tantum hominum cepiſſem.* Qualia exempla paſſim ſunt obvia; ſed haec adſcripſi, ut videant Theologi cauſſam, cur in plerisque exemplaribus Sacri Coditis Epiſt. I. Joan. cap. V. intercepta ſit paragraphus ſeptima, quia ſcilicet par. 8. eadem verba habeat: Τρεῖς εἰσιν &c. Apud nos talia multa ſunt exempla, propter convenientiam vocis aliquid eſſe omiſſum, nullà autem propter talem convenientiam ſuppletam eſſe ſententiam. Quare illum locum merito tueantur illi, quibus veritas cordi eſt. Similia collegit Erudit. *Clericus* in Arte Crit. part. III. Sect. I. cap. V. Pro *fuerint*, cum Haun. utroque Leid. & *Boend.* ſcripſi *fuiſſent*. Alii hoc dictum de capto agro non ad bellum *Samniticum*, ſed ad *Sabinum* referunt, quod jam viderant Viri Docti ad *Florum* lib. I. cap. XV. Utrumque enim eodem Anno CCCCLXIII. fuit geſtum, uti recte obſervat in Annalibus ſuis *Pighius*. ARNTZ.

3 *Iterum de Sabinis.*] Eodem Anno quo de Samnitibus, ANNA. *De Samnitibus* Fran.

4 *Tertio de Lucanis.*] Hujus triumphi Annales non meminere. Incidit forſan An. Mundi 3656. ante C. N. 282. ab U. C. 469. quo Curius Gallos, Lucanos, Brutios, Samnites vicit. Quamquam dubito cum de iisdem anno poſt hunc ſecundo Fabricium triumphaſſe Tabulae notent. De *Lucanis* quidem & de Pyrrho triumphavit Curius Anno Mundi 3675. ANNA. Male *Schottus* ad §. I. exiſtimat tres triumphos egiſſe & ſemel ovaſſe uno anno Curium, cum duorum & unius ovationis tantum mentionem facit Noſter. Neque Erud. *Anna* hic litat. Sequor potius *Pighium*, qui tom. I. Ann. p. 405. duos triumphos de Sabinis & Samnitibus refert ad Annum CCCCLXIII. Ovationem ad Annum CCCCLXIV. p. 406. fine. unde in Faſt. Triumph. ad eum Annum *M'. Curius Dentatus* III. *Pro Coſ. ovans de Lucaneis.* Anno autem CCCCLXXVIII. Triumphum duxit de Pyrrho ib. p. 441. Neque obeſt mihi, quod ceteri ovationem omittant, & tres tantum triumphos numerent, illi enim Ovationem Triumphum eſſe non putarunt. ARNTZ.

Ovans.] i. minori triumpho utens. Nam in *ovatione* magnum a triumpho diſcrimen fiebat; incedebat namque *ovans* equo albo, corona myrtea coronatus: ſed triumphans in curru, laurea inſignitus. MACH. Sed nullus temere pulcrior

fit. Quaterna dena agri jugera viritim populo divisit. Sibi deinde 6
totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui non tantum
sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse in fo- 7
co rapas torreret: Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse, & au-
rum habentibus inperare. Cum interversae pecuniae argueretur, 8
cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium pro-
tulit,

in urbem aut speciosior triumphus intravit. Tantum abest ut *ovatio* triumphus ille fuerit. ANN.

Introivit.] Mediolanensis legit *introiit*. SCHOTTUS.

5 *Pyrrhum.*] Qui arcessitus a Tarentinis stipendio, dux primus ductu elephantorum Romanum terruit imperium. MACH.

Epirotam.] Sequutus sum veteres Libros & Parisinum. Vulgati enim *Regem Epirotarum*, quasi hoc cuiquam esset ignotum. SCHOTT. Et sic Nostri.

Italia expulit.] Mediolanensis sic, *ex Italia pepulit*. SCHOTT. *Ex Italia pepulit* uterque Leid. Haun. & *Machanei* Editio.

6 *Quaterna dena.*] Brevius MSS. *quaterdena*: vulgati partim *septena dena*, partim *septemdena*: unde colligi posset, *septena* legi oportere, tot enim *Plinius* lib. VIII. cap. III. attribuit. vide *Columellam* non semel, & *Ciceronem* II. de Legibus, ibidemque *Turnebum*. *Valerius* vero *septena* ait divisa populo lib. IV. cap. III. SCHOTT. *Quater dena* Leid. pr. *dena* omittit *Gronn.* & Editio Vet.

Deinde totidem.] MSS. simul omnes: *sibi idem constituit*. Accessit vox *civem* ex *Pulmanniano*. *Esse* pro *edere Machaneus* ridicule exponit. SCHOTTUS. *Totidem* non recipiunt uterque Leid. *Boend.* & Fran. cum *Mach.* Edit. Sed servat Editio Veneta, *Aldus*, *Gryph.*, & ceteri cum duobus Scriptis, & requirit sententia. *Esse debere civem* expresserat *Schottus* contra omnes MSS. & Editt. quare vocem minime necessariam rejeci. ARNTZ

Dicens neminem.] Refert idem *Frontinus* lib. IV. cap. III. Strateg. Non dissimile Pittaci apud *Probum* in Thrasybulo, *Plutarchum* & *Laërtium* abstinentiae exemplum. SCHOTT.

Esse.] Comedere. In Xeniis *Martialis*: *Romulus esse solet*. MACH.

7 *Samnitum.*] Abstinentiae Romanae exemplum, quod apud *Cic.* in Catone, *Plin.* lib. X. cap. V. *Plutarch.* in Cat. Majore & Apophtheg. aliosque juste laudatur. Verum ne illud silentio involvam, *Athenaeus* lib. X. Δειπνοσοφ. e *Megacle* libro de Viris Illustribus aurum a *Sabinis* oblatum tradit: & *Agellius* Fabricio *Samnites* detulisse grandem pecuniam scribit lib. I. cap. XIV. Noct. Attic. ex *Julii Higini* libro de Vita Virorum Illustrium & *Seneca* patre Controversiarum IX. SCHOTTUS. Confer *Rutilium* lib. I. Itin. vers. 558. Verbo monendum in Fran. legi *Samnitium*, quae solennis est varietas, ut duobus hisce modis terminetur genitivus Pluralis. vide Notas ad *Val. Maximum* lib. IV. cap. III. exem. 5. Vocalem frequentius videntur interponere Prosae Scriptores, ut *Frontinus* lib. I. Strat. cap. VIII. ex. 3. & cap. XI. ex. 2. *Plinius* lib. VII. Hist. cap. XX. *Vellejus* lib. II. cap. XXVII. fine. *Orosius* lib. V. cap. XVIII. *Millia Samnitium eo praelio caesa sunt.* ut editur, in MS. inveni *Samnitum.* quomodo ap. *Cicer.* lib. II. de Orat. cap. LXXX. *Silius* lib. I. vers. 664.

Moenia depulso Samnitum robore.

Pro *offerentibus*, *afferentibus*, est in Leid. sec. & Haun. ARNTZ.

Torreret.] Non inficeta lectio Haun. *coqueret*. sic enim *coquere lapides* apud *Justinum* lib. I. cap. II. §. 5. *Coquere liba Ovidius* lib. VI. Fast. vers. 532. Sed cum reliquis MSS. & Editionibus receptam tuentur alii Scriptores, qui in narranda hac historia *torrere* dicunt. Ad ipsum vero responsum respicit *Gunth. Ligurinus* lib. III. de Gest. Barb. vers. 469.

Non sibi quaerit opes, sed pulcrae laudis honores,
Nec habet ille suum, sed habentibus inperat aurum.

Et *Frontinus* lib. IV. Strat. cap. III. exem. 2. ARNTZ.

8 *Guttum ligneum.*] Sic arbitror legendum de MSS. tribus & *Plinio* lib. XVI. cap. XXXVIII. qui *guttum faginum* appellat. *Valerius*, *ligneo catino*, vel melius catillo coenantem facit lib. IV. *Plinius* lib. XXX. cap. VI. *aquam bibere catillo* dixit. Et *Appulejus* Apologia I. *Diis immortalibus sympulo & catino fictili sacrificat.* Simile de Augusto refert *Suetonius* cap. LXXI. qui Alexandria capta nihil sibi praeter unum myrrhinum calicem ex instrumento regio retinuerat. Vulgati hic *cadum ligneum* habebant, unde & *fagum* cudi queat. *Ovidius* quinto Fastorum:

Terra rubens crater, pocula fagus erant.

tulit, juravitque se nihil amplius de praeda hostili in domum suam
9 convertisse. Aquam deinde Anienem de manubiis hostium in urbem

Verior tamen scripta lectio. *Guttum* enim inter sacrificii vasa numerat *Varro* libro primo de Vita Populi Romani apud *Nonium* in *Cymbia*. Alii rursum *rapa*, alii *rapam* legunt, qua de re disceptent, qui eas in deliciis habent, & qui cum Romulo apud Superos possint *ferventia rapa vorare*, ut ait ille. SCHOTT. Quidam Codices *rapas*. alii sing. Num. *rapam*. *Schottus rapa* maluit, ut *Seneca* in Apocol. *ferventia rapa vorare*. & *Martial*. lib. XIII.

- - - *Gaudentia frigore rapa.*

SYLBURG. Equidem mallem lectionem illam *guttum ligneum* a Codicibus nostris affirmari, cum veritati videatur convenientior. Adi Eleg. *Broukhus*. ad *Tibullum* lib. I. El. XI. vers. 8. & *Cerdam* ad *Virgil*. Ecl. III. vers. 37. Sed cum omnes *Cadum* unanimi consensu recipiunt, non audeo his repugnare, praesertim cum ita olim etiam Editi omnes. Atque defendi posset, quod *cadus* fuerit inter vasa vinaria, ut centum testimoniis posset ostendi. Inspice modo *Plautum* Amph. Act. I. Sc. I. vers. 273. Aulul. Act. III. Sc. VI. vers. 35. *Ovid*. lib. V. Fast. vers. 518. *Martial*. lib. I. Ep. XIX. lib. XII. Ep. XLVIII. & lib. XIII. Ep. CXVIII. *Apulej*. lib. II. Met. p. 119. lib. VIII. p. 215. lib. IX. p. 232. & alios. Jam ad Sacrificia vinum adhibebatur in honorem Deorum, ut cuilibet notissimum est, ad quem usum etiam hunc cadum destinare potuit Curius. Quare factum, ut Noster *cadum* posuerit, cum *guttum* seu *catillum* ponere debuisset. Et quid si *cadum* acceperit in genere pro quocunque instrumento, quo liquida conduntur vel infunduntur, quod nunc potissimum crediderim, cum proprii cadi non ita e ligno fierent. *Rapas* cum Editt. & MSS. praetulimus, cum utrumque dicatur. ARNTZ.

In Domum.] Quasi hoc substantivum sine praepositione construi non posset, illam abjiciunt Fran. & Leid. sec. sed manifestum produnt errorem. *Livii* Epit. LII. *Nec quidquam ex iis opibus ornamentisque in domum ejus pervenit*. *Apulejus* lib. III. Met. p. 134. *Ad domum suam perduxit*. *Plaut*. Capt. Act. IV. Sc. IV. vers. 3.

Intemperies modo in nostram advenit domum. *Terent*. Eun. Act. II. Sc. III. vers. 90.

Si in domum meretriciam deducar.

Attulit ad domum apud *Ascon*. ad Arg. *Cicer*. pro Mil. p. 776. Ed. *Graev*. *Livius* lib. XXVI. cap. L. *Sponsoque ab domo accitis*. & lib. XLIV. cap. XLV. *Rex in domum se recepit*. *Tacitus* lib. XII. Ann. cap. V. & lib. XIV. cap. LXIII. *Capitol*. Anton. Phil. cap. III. *Tamen ad domum Apollonii veniret*. Ceterum *suam* omittunt Haun. & uterque Leid. Infra tamen cap. LX. fin. *In domum suam nihil contulit*. & *Cortius* ad *Sallustium* Jug. cap. LXXVI. §. 6. ARNTZ.

9 *Anien.*] Sive *Anio*, fluvius est, quem vulgo *Fiveronum* dicunt: oritur autem ex Trebanorum montibus. Insignis est victoria Tulli Hostilii Regis. MACH. De *Aniene Plinius* videndus lib. III. cap. XXI. *Anio in monte Trebanorum*. Ubi legendum *Trebulanorum* antiquis Libris auctoribus. SCHOTT. *Anienis* Haun.

Manibus hostium.] Insigne hic mendum, monstrumque horrendum ingens a nobis confectum. Vulgata enim lectio recedit a libris MSS. recedit ab historia. Conjecturam meam proponam, deinde confirmabo. Credebant quidam majestate Romana dignum, si *hostium* opera aquam deductam dicerent, praesertim cum jam tam multos a Curio captos legissent: meminerant ad haec in Superbo cloacam maximam populi viribus factam, unde fossae Quiritium dictae sint. Cum ergo *de manubiis* reperissent, emendarunt bardi homines, *deinde manibus*. Nos lectionem sarcivimus, quam miror a Commentatoribus, doctis quidem & copiosis, non observatam. Eant nunc qui antiquorum Librorum opem contemnunt, vulgatosque non immutandos barbare jactant. Sed longius provehor. *Frontinus* libro de Aquaeductibus: *Vetus Anio post annos 40. quam Appia perducta est, Anno ab U. C. CCCCLXXXI. M'. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papirio Cos. gessit* (Anno CDLXIV. ut *Sigonius* conjectat) *Anienis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis curavit, Sp. Carvilio, L. Papirio Coss.* Hos autem Consules iterum fuisse Anno CDXXCI. ex *Livii* XXIV. libro & Capitolinis Tabulis discere licet. Similem locum nuper in *Cornelio Nepote* corruptum vidi in iis quidem Libris, quibus usus sum: Is est in Cimonis Vita: *His ex navibus*. Lege *His e manubiis Plutarcho* auctore. Itemque in *Sidonio Apollinare* sic olim *manubiis* pro *manibus* de veteribus Membranis reposui libro septimo epist. VII. initio. SCHOTT. Eadem fere reperies apud *Keuchenium*, neque hoc illi homini novum, ad *Frontinum* de Aquaed. p. 375. nisi quod ille: *aquam deinde Anienem manubiis*. Ceterum eandem sibi de emendatione *Nepotis* vindicat gloriam. Vide *Pighium* tom. II. Ann. p. 20. Et ita hoc loco textum

iumu-

bem induxit. Tribunus plebis Patres auctores fieri coëgit comitiis, 10 quibus plebejus magiſtratus creabatur. Ob haec merita domus ei apud Tiphatam; & agri jugera quingenta publice data.

iumutavit *Sylburg.* Viros itaque Eruditos ſecutus ſum licet invitis Scriptis, ex quibus ſeu hiſtoriae fidem ſeu miraculum auget *Boend. Anienem manibus hauſtum in Urbem induxit.* Solenne hoc erat, ut publica opera extruerent ea pecunia, quam ex hoſtibus ceperant, quod dicebant *de manubiis* fieri, qualia loca vide apud Comment. ad *Florum* lib. I. cap. VII. §. 8. *Aſconium* ad *Cicer.* in Verr. de Praet. p..m. 108. & *Cicer.* Orat. II. Agrar. in Rullum cap. XXIII. *Livium* lib. XLIII. cap. IV. *Ut is eo tempore in agro ſuo Antiati eſſet, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinae duceret. Deinde* tamen contra ſententiam *Schotti* retinui, quia nulla neceſſitas eam ejiceret. ARNTZEN.

Induxit.] *Introduxit* alii. *Induxit* autem non ipſe Curius, ſed Fulvius Flaccus alter Duumvirum aquae perducendae: Curio mortuo intra quintum diem quam eſſet Duumvir creatus anno U. C. CDXXCIX. SCHOTT. *Eutropius* lib. II. cap. IX. *Appius Claudius Cenſor aquam Claudiam induxit. Lampridius* in Alex. Sev. cap. XXV. *In his thermas nominis ſui juxta eas, quae Neronianae fuerunt, aqua inducta.* l. 2. §. 36. ff. de O. J. *Aquam Claudiam induxit.*

10 *Tribunus plebis.*] In MSS. longe aliter periodus habet: *Tribunos plebi patres ſe auctore fieri coegit comitiis, quibus plebei mag. creabantur.* Nihil tamen demuto. *Cicero* enim de Claris Oratoribus & *Livius* lib. X. Anno CDLIV. M. Fulvio Paeto, T. Manlio Torquato Coſſ. tuliſſe M'. Curium Dentatum Tribunum plebis ait, ut ante curiata comitia magiſtratuum Patres auctores fierent. Miror equidem quid *Franciſco Hottomanno* viro alioqui doctiſſimo, & in antiquitate diu multumque cum laude verſato in mentem venerit, quod in Catalogo Legum Romanarum ad hanc legem Curiam, *Probum* de Viris Illuſtribus Libelli noſtri laudarit Auctorem, cum in lege Sempronia agratia, tanquam ſui oblitus, Auctorem de Viris Illuſtribus, ut plerique omnes docti, appellet. An quia de externis Imperatoribus ſcripſiſſe quidam putant, & de Romanis quoque extremo libro ipſe faſtearur? Video *Eliam Vinetum* eruditiſſimum virum hunc foetum ad *Plinium* Nepotem perpetuo referre: ſemel vero ad *Suetonium Carolum Sigonium* lib. II. de Jure Provinciarum, forte Librariorum incuria. SCHOTT. *Plebei M. creabantur Gramm.* & Ed. Ven.

Patres auctores.] Nam antea Plebejo Magiſtratui decretum ſuum non interponebant. MACH. Legem tulit ut Patres ante comitia auctores fierent, hoc eſt, ut decreto ſuo eos Magiſtratus ſe probare dicerent, quos populus creaſſet. Ea lex a Curio, Curia dicta. *Cic.* de Claris Oratoribus, *Liv.* lib. X. ANNA.

Tiphatam.] *Tifatam* Veteres ſcribebant, quod *f* cum *ph* Graecorum gemina ſit, atque ita & *Georgius Fabricius* in Roma, ſed genere neutro *Tifata*, montesque juxta Capuam veterem locat. Juxta hunc *Tifata* montem pugnaſſe Syllam cum C. Norbano auctor *Vellejus* lib. II. SCHOTT. Propius vero *Tifata.* Item *quinquaginta*, quemadmodum indicarunt dudum Viri docti. Et vero illud *quinquaginta* viſitur etiam in Palatino altero. GRUT. *Tiphata* locus in urbe fuit. quod de Campania dicunt viri docti, nugae ſunt ad hunc quidem locum. ANNA. Cum *ph* tamen omnes, qua Scripti, qua Editi.

Quingenta.] Vetus lectio *quinquaginta*, quae lectio propius a vero abeſt. SCHOTT. *Quinquaginta* quatuor Codd.

CAPUT XXXIV.

ARGUMENTUM.

Libertinos in Senatum legit, tibicinibus epulandi - - - - jus in publico adimit, Potitiis pretio corruptis - - - - caecatur, ne conſulatus cum plebejis communicaretur reſiſtit, ne Fabius ſolus ad bellum mitteretur contradicit, Sabinos, Samnites, Etruſcos domat, viam usque Brundiſium ſternit, Anienem in urbem inducit, cenſu-

ram

ram ſolus obtinet, conditiones pacis cum Pyrrho ineundae oratione diſcutit Appius Claudius Caecus.

I Appius Claudius Caecus in cenſura libertinos quoque in Senatum legit. Epulandi decantandique jus tibicinibus in publico ade-
2 mit. Duae familiae ad Herculis ſacra ſunt deſtinatae, Potitiorum
3 & Pinariorum. Potitios Herculis ſacerdotes pretio corrupit, ut ſacra Herculea ſervos publicos edocerent, unde caecatus eſt; gens
4 Potitiorum funditus periit. Ne conſulatus cum plebejis communicaretur,

1 *Claudius.*] Conſtat, *Livio*, *Suetonioque* teſtibus, *Clauſios* a Sabinis Romam migraſſe, inde *Claudios* dictos, quorum familia duplex exſtitit, *altera patritia*, *altera plebeja*. MACH.

In cenſura.] Quam geſſit anno ab U. C. 443. ANNA.

Quoque in Senatum.] MSS. partim *quosque in Senatum*, partim *quoque e Senatu*. Vulgatam praefero. *Suet.* in Claudio cap. XXIV. *Appium Caecum Cenſorem generis ſui proauctorem libertinorum filios in Senatum allegiſſe docuit, ignarus temporibus Appii & deinceps aliquamdiu, libertinos dictos, non ipſos qui manu mitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Ad quem locum plura *Laevinus Torrentius* noſter. *Juſtinianus* tamen lib. I. titul. IV. dictos ait *libertinos*, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt. Q. Fabius Rullus Cenſor *libertinos* omneis tribu amovit, ut ſupra cap. XXXII. dixit: & Nero eosdem quoque curia amovit, *Suetonius* cap. XV. SCHOTT.

Epulandi.] In aede Jovis. Tibicinibus enim antiquitus traditum erat, ut in ea veſcerentur. Et paullo poſt idem iis jus reſtitutum. ANNA. *In publicum Boend.*

2 *Duae familiae.*] Vidi qui haec, ut falſa, ſpongia obducta delenda putarent, ſcribendumque praeter Librorum fidem: *Una familia ad Herculis ſacra erat deſtinata. ſcilicet Potitiorum; Potitios Herculis* &c. vel *quos Herculis ſacerdotes.* Cum ignorarent utramque *familiam* deſtinatam quidem, at alteram Pinariorum, quod ſerius ad rem divinam veniſſent, poſt ab Hercule repudiatam. De quo copioſius quam *Livius* lib. IX. in Commentario de Origine Urbis Romae quem ex MSC. noſtro edendum curavimus. Ego ſic tentabam: *Quae familiae ad Herculis ſacra ſunt deſtinatae Potitiorum, pretio corrupit.* Nam XII. ea tempeſtate Potitiorum *familiae* erant. *Livius* lib. I. & IX *Val. Max.* lib. I. cap. II. Et illud, *Pinariorum & Potitios Herculis ſacerdotes* gloſſema olet. SCHOTT. Sed nihil eſt mutandum, nam Pinarii, licet non eodem jure ad haec ſacra acceſſerint, miniſtri tamen fuerunt, ut pluribus eſt apud *Servium* ad illa *Virgilii* lib. VIII. verſ. 269.

- - - Primusque Potitius auctor
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Quare poſt exſtinctos Potitios ſacrorum curam etiam *penes ſolos Pinarios reſedisſe* eſt ſup. de Orig. Gent. Rom. cap. VIII. ARNTZ.

Potitiorum.] *Potitii* namque ab Euandro edocti, antiſtites ejus ſacri per multas aetates fuerant, quia invitati ad ſollenne Herculeum convivium, praeſto adfuere. MACH. *Si Potitiorum Boend.* & Fran. quod erit *ſcilicet.* Et ſic expreſſerat magna pars Editorum.

Pinariorum.] *Pinarii* extis adeſis ad caeteram dapem venere, unde non veſcebantur extis ſollennibus. *Virgilius.*

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

MACH.

3 *Pretio.*] *Pecunia* eſt in Haun. & Leid. ſec. Gloſſatoris culpa, qui hanc vocem exponere voluit. *Cicero* pro Caec. cap. XXV. *Ne* pretio *quidem* corrumpi *judex poteſt.* & lib. III. in Verr. cap. LXVIII. *Apronius ipſum Metellum non* pretio *poſſet* corrumpere. *Valer. Maximus* lib. VIII. cap. I. damn. I. *Non puto, quod* pretio corruptus *erat.* l. 8. ff. de Cuſt. & Exhib. Reor. *Carceri praepoſitus, ſi* pretio corruptus. ARNTZ.

Sacra Herculea.] *Herculanea* MSS. *Herculana* Pariſinus & Colonienſis. SCHOTT. *Herculana Gramm.* & Fr.

Unde caecatus eſt.] *Liv.* lib. IX. cap. XXIX. ANNA.

Gens.] Bene *gens.* Duodecim enim ea tempeſtate erant Potitiorum familiae. Inde tamen, quam hic *gentem* dicit, ſupra familiam vocat, *duae ſemiliae*, &c. Auctor libelli de Origine Urbis Romae *familiam* dixit. ANNA.

4 *Ne conſulatus.*] Hoc ad Appium Claudium Regillanum Decemvirum referendum videtur, nam abhinc annis prope C. illud factum fuiſſe memoriae

retur, acerrime reſtitit. Ne Fabius ſolus ad bellum mitteretur, con- 5
tradixit. Sabinos, Samnitas, Etruſcos bello domuit. Viam usque 6
Brunduſium lapidibus ſtravit, unde illa Appia dicta. Aquam Ani- 7
enem 8

riae proditum. Legendum ex *Livio* libro decimo, *Ne Pontificatus & Auguratus.* vel potius, *Ne Sacerdotia cum.* SCHOTT. Et Cl. *Gronovius* lib. I. Obſerv. cap. XXV.

Cum plebejis.] Pariſinus & Colonienſis *cum plebe.* SCHOTT.

Acerrime reſtitit.] Quamvis obtinere non potuit. Creber autem eſt hic Hiſtoricus in exornatione rhetorica ſimiliter deſinenti dicta, quando in eandem terminationem verba deſinunt, de qua vide abunde *Ciceronem* libro ultimo ad Herennium. MACH.

5 *Ne Fabius ſolus.*] Sed cum Decio Mure. ANNA.

Ad bellum.] Samniticum, quo ſe Decius devovit. EAD.

Sabinos.] An. ab U. C. 456. quo Appius ſecundum Conſul fuit. EAD.

Samnites.] Pariſinus & Colonienſis *Sampnitas* ſcribunt. SCHOTT. *Samnitas* Scripti etiam meliores. Utramque lectionem complectitur Ed. Venera *Samniteas.*

Bello domuit.] Hic iterum breviori ſtilo Haun. & Leid. ſec. *bello* omittunt. Fortaſſe, quod praecedens *bellum* Librarios offenderet. Sed tales repetitiones in hoc Scripto ſunt frequentiſſimae, uti & ipſa phraſis apud alios. *Ovidius* Epiſt. II. Her. verſ. 72.

Et domitae bello Thebae, fuſique bimembres.

Noſter ſup. cap. V. *Latinos bello domuit.* & cap. VI. ARNTZ.

7 *Brundiſium.*] Urbs Apuliae habens portum a Lucano in formam cervinam deſcriptum, inde Meſapiorum lingua urbi nomen. MACH. Immo, *Capuam usque lapide ſtravit Diodorus Siculus* libro vigeſimo, & *Frontinus.* MSS. tamen cum tertia vocali in ſecunda ſyllaba *Brundiſium lapide ſtravit.* SCHOTT. *Not. Min.* Falſum eſt. Nam ea tempeſtate ex veteris hiſtoriae fide, ea via ad *Brundiſium* uſque perduci non potuit. *Pater meus.* A porta Capena usque ad Capuam ſtravit Appius. ANNA. *Brunduſium* omnes Noſtri; ſed ſibi in certa hujus vocis ſcriptura non conſtant Veteres. Vid. Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. XX. *Keuchenium* ad *Frontinum* lib. I. cap. V. ex 5. *Nic. Heinſium* ad *Silium Italicum* lib. VIII. verſ. 576. & *Columnam* ad *Ennium* p. m. 120. Ceterum *ad Brunduſium* volunt Leid. pr. & *Gramm.* Sed hoc iterum a Librariis profectum, qui ignorabant, *usque* etiam ſine praepoſitione poni. *Cicero* Orat. IV. In Verr. c. XLIX. *Tamen usque Ennam profecti ſunt.* & in Piſon. c. XXII. *A Brunduſio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem. Juſtinus* lib. I. c. I. §. 6. *Alter usque Aegyptum exceſſit.* lib. II. c. V. §. 8. *Usque tempora Jancyri Regis. Acidalius* ad *Curtium* lib. IV. c. III. fine. *Cort.* ad *Sall.* Jug. c. XIX. §. 7. & *Berneccerus* ad *Juſtinum* lib. XVII. c. III. §. 21. Neque quidquam certius eſt, quam errare hoc loco Noſtrum, cum non ab Appio usque *Brunduſium* haec via munita ſit, non enim tam longe tum temporis propagati erant imperii fines, quamvis a quo potiſſimum hoc factum ſit, pro certo dici non poſſit. Conſer Erud. *Lipſium* lib. III. de Magn. Rom. cap. X. & *Keuchenium* ad *Frontinum* p. 374. ARNTZ.

Lapide.] Quod *litboſtratum* dicitur, ingrediente & latina dictione. MACH. *Lapidibus* quatuor Scripti, verum *Boend.* & Fran. expungunt.

Stravit.] An. ab U. C. 443. ANNA.

Appia dicta.] Viarum omnium maxima fuit. De hac ita *Sextus Julius Frontinus* libro primo de Aquaeductibus: *Aqua Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coſſ. Anno* XX. (lege ex Faſtis Capitolinis An. XXXI. & CDXLI. U. conditae) *poſt initium Samnitici belli inducta eſt ab Appio Claudio Craſſo Cenſore: cui poſtea Caeco fuit cognomen, quê & viam Appiam a porta Capena, uſque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Inde Brundiſium usque munita eſt, ut docet *Strabo* Libro quinto Geographiae: ἐτειμήσατο μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντεσίου. Libet in *Pontii Paullini* carmine ad Cytherium numeros etiam in Antverpienſi editione longe optima corruptos reſtituere:

Poſt haec & ad nos pergere incoeptat viam,
Qua ſternit aggerem ſilex,
Cui munitor Appius nomen dedit.

Scribe

Munitor Appius cui nomen dedit.

SCHOTT. Fran. & *Boend. Unde via appia.* ſed non opus eſt, ineptas vocum repetitiones admittere, ubi aliud ſuadent major MSS. pars & Veteres Editiones. Praeſertim cum apud alios etiam ſimpliciter haec via dicatur *Appia. Propertius* lib. IV. El. VIII. verſ. 17.

Appia, dic, quaeſo, quantum te teſte triumphum
Egerit.

Et *Livius* lib. XXII. cap. XV. *Ne immunito Appiae*

9 enem in urbem induxit. Cenſuram ſolus omni quinquennio obti-
10 nuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per lega-
tum Cineam pretio quaereretur, ſenex & caecus lectica in Senatum
latus, turpiſſimas conditiones magnifica oratione diſcuſſit.

limite Poenus pervenire in agrum Romanum poſſet. Vide de hoc Appii facto *Almelov.* in Faſt. Conſ. p. 46. & *Keuchen.* ad *Frontinum* de Aquaed. p. 374. ubi tamen ſui ſimilis *Schottum* deſcribit.

8 *Anienem.*] *Appiam* libenter legerem ex *Frontino* de Aquaeductibus, & veritate, vel *Claudiam*, ſi Libri paterentur, qui *aquam Anienis* conſtanter ſcribunt. Vetus enim *Anio* in urbem deductus fuit primum anno quadrageſimo nono poſt, quam Appia perducta eſt, a Curio & Fulvio Flacco Duumviris. Cenſor autem fuit Anno CDXLI. Appius Claudius, Craſſus in Capitolinis Tabulis dictus, cum C. Plautio, quem Venocem appellatum ſcribit *Frontinus* lib. 1. ob inquiſitas aquae venas. Aqua vero ab *Appio* collega in urbem perducta Claudia nominata eſt. Incidit in manus meas, cum haec ſcripſiſſem, *Aldi Manutii P. F.* Libellus de Quaeſitis per Epiſtolam, percurri obiter & de aquis in urbem Romam olim influentibus caeterisque antiquitatis monumentis non poenitenda legi. Utinam *Frontinum*, ut pollicetur, nobis det emendatiorem. SCHOTT. Quam inanem gloriolam ex aliorum conjecturis ſibi vindicandis famae ſuae ſaepe captent homines, videbis in *Keuchenio* ad *Frontinum* de Aquaeduct. p. 373. Potius putarem, per oſcitantiam Librarii hanc periodum ex praecedenti capite huc eſſe tranſlatam, cum ibi eadem verba reperiantur. Qua in ſententia confirmat me id, quod plenius *Boend.* Codex habeat: *Aquam Anienem deinde manibus hoſtium in urbem induxit.* Plane eodem modo, ut ſuperiori loco praeferebant Codices. ARNTZ.

9 *Cenſuram ſolus.*] *Liv.* lib. IX. cap. XXIX. *Appius jam inde antiquitus inſitam pertinaciam familiae gerendo, ſolus Cenſuram obtinuit.* ANNA.

Omni.] Pariſinus & Colonienſis *omnium.* SCHOTT. Et ita quatuor Scripti cum Editione Veneta. Sed nulla eſt neceſſitas, cur quidquam mutemus; *omnis* enim hic idem eſt quod *totus.* *Cicero* pro Sulla cap. v. *Ut eo tempore omni Neapoli fuerit.* *Ovidius* lib. 1. Met. verſ. 261.

- - - Ex omni nimbos dimittere coelo.

Pomponius Mela lib. 1. cap. 1. *Haec ergo ab ortu porrecta ad occaſum ambitur omnis oceano.* *Florus* lib. III. cap. III. §. 14. *Per omnem diem conciditur Barbarus.* Ubi confer Cl. *Dukerum*, & ita lib. III. cap. XVIII. §. 5. *Corn. Nepos* Annib. cap. III. §. 1. *Equitatui omni praefuit.* *Curtius* lib. III. cap. I. §. 23. *Omnisque haec regio paruit Regi.* *Servius* ad *Virgilium* lib. IV. verſ. 122. *Cioſan.* ad *Ovidium* lib. IV. Met. verſ. 660. & Erud. *Cortius* ad *Salluſtium* Jug. c. XIII. §. 2. ubi recte addit, vice verſa, *totum* pro omni poni. *Apulejus* lib. VII. p. 193. *Totos iſtos tuos hoſtes ſtatim captivos habebis.* & paullo poſt: *Totis ergo prolatis eruſisque rebus.* qui ita ſaepius. ARNTZ.

10 *Ageretur.*] Iidem *tractaretur*, non *ageretur.* Vulgata tamen lectio in his ſervanda. SCHOTT.

Cineam.] Per ὦτα Graeci ſcribunt. Munera autem non accipiebant continentes Romani. *Plutarchus.* SCHOTT. Hanc ſcripturam praefert quoque *Salmaſius* Lect. *Plin.* p. 36. a. & *Dausq.* de Orthogr. tom. II. p. 84. Quatuor tamen hoc loco Scripti *Cyneam*, rectius duo reliqui & veteſtae Editiones, uti exprimi curavimus. Tamen nulla notatur varietas apud *Valer. Maximum* lib. IV. cap. III. exem. 6. ARNTZ.

Pretio quaereretur.] Affectabat Cineas, ut Rex Pyrrhus componendae pacis cauſſa in urbem reciperetur, quo diſſuadente noluit. MACH.

Oratione.] Quae exſtat apud *Plutarchum* in Pyrrho, meminitque *Cicero* Philipp. 1. & ipſe Appius Oratione pro Coelio, *Pacem*, inquit, *Pyrrhi diremi.* Verſibus vero *Ennius* apud *Ciceronem* expreſſit,

Quo vobis mentes, rectae quae ſtare ſolebant
Antehac, dementes, ſeſe flexere viai.

Sic enim legendum cenſeo. Vulgati enim: *dementi ſeſe flexere ruina.* Dicitur autem *mentes dementes* venuſte, ut nuptiae innuptae, & Graecis νύμφαι ἄνυμφοι, &c. *quo viai* dictum, ut *Terentii* illud *huic viciniae*: & *eo loco* alii dixere. Caeterum de Appii eloquentia *Cicero* in Bruto, & *Livius* lib. X. *conſultum Juris & Eloquentiae* vocat. SCHOTT.

CA-

CAPUT XXXV.

ARGUMENTUM.

Orbis imperium agitans Romanis bellum infert, Laevinum Consulem elephantorum novitate turbat, captivos gratis reddit, superatus Tarentum refugit, in Siciliam trajicit, Locros regressus Proserpinae pecuniam avehere tentat, Argos oppugnans tegulae ictu prosternitur, & ab Antigono magnifice sepelitur Pyrrhus Epirotarum Rex.

Pyrrhus Rex Epirotarum materno genere ab Achille, paterno ab 1
Hercule oriundus, cum imperium orbis agitaret & Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambigue re- 2
spondit:

Ajo

1 *Paterno genere.*] Praeposterus ordo narrandi quem ipsi immutavimus. Vide *Plutarchum* in Pyrrho. *Justinus* lib. XVII. Achillis filium facit. Sed de his statuere melius liceret, si exstaret Commentarius Timaei Siculi, quem Pyrrhi bellis praecipue dicavit, teste *Halicarnasseo* Antiquitatum Romanarum lib. I. SCHOTT. Qui ediderat: *paterno genere ab A. materno.* contra omnes omnino MSS. & vetustas Editiones, quare merito revocavi pristinam lectionem, licet conjuncta sit cum errore Auctoris. Non enim id agitur, ut quaeramus, quid scribere debuerit, sed potius, quid scripserit. Satis erit Lectorem monuisse. Respicit huc *Virgilius* lib. VI. Aen. vers. 839.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli.

Uti voluit *Servius*, quamvis alii rectius ad *Persen* retulerint. ARNTZ.

Agitaret & Romanos.] Sic Lib. MSS. SCHOTTUS. Tres tamen apud me Codices antiquum *Agitans Romanos* retinent.

Apollinem.] Delphicum. MACH.

2 *Ambigue respondit.*] Quia incertum est, ab Aeacida Romanos vinci posse, an ab Romanis Aeacidam. Id Graecis ἀμφιβολογία dicitur, *Ambiguus sermo.* Cum vitio compositionis in *ambiguo* posita est sententia: *Sed aptissimum maxime fuit responso* (*Priscian.* lib. XVIII.) *etiam confusione ordinis propriam oraculi obliquitatem servare.* ANNA. *Arnobius* adv. Gentes lib. IV. p. 143. *Numquid Apollinem ditem factum* ambiguitate *fefellisse responsi.* Ubi alia *Elmenhorst.* *Seneca* Oedipo vers. 214.

Ambage nexa Delphico mos est Deo
Arcana tegere. Oed. *Fare, sit dubium licet*
Ambigua *soli noscere Oedipo datur.*

Tertullianus Apol. cap. XXII. *In Oraculis autem quo ingenio* ambiguitates *temperent in eventus.* Adde illic Cel. *Havercampium. Lucanus* lib. V. vers. 225.

Terreat ambiguis *frustratum sortibus, Appi.*

In Leid. pr. est *ambiguo.* ARNTZ.

Ajo te Aeacida Romanos vincere posse,

3 Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinorum bellum Romanis intulit. Laevinum Consulem apud Heracleam elephantorum 4 novitate turbavit. Cumque Romanos adversis vulneribus occisos vide-

Ajo te Aeacida.] *Cicero* de Divin. II. Et inde *Arnobius* Libro ultimo adversus Gentes *Ennii* versum esse docet, & falsum, quod nunquam Latine Pythius oracula reddiderit. Vide & *Priscianum* lib. XVIII. qui ὑπέρβατον appellat, Dialectici ἀμφιβολίαν. SCHOTT. Hoc de Pyrrho finxisse *Ennium* probat *Cicero* lib. II. de Divinatione, ut & *Herodotum* istud de Craeso.

Craesus Halin penetrans magnam pervertet opum vim.

Cur autem, inquit, *hoc credam unquam editum Craeso? aut* Herodotum *cur veraciorem ducam* Ennio? *Num minus ille potuit de Craeso, quam de Pyrrho fingere* Ennius? *Quis enim est qui credat, Apollini ex oraculo Pyrrho esse responsum?*

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.

Primum Latine Apollo nunquam loquutus est. Deinde ista sors inaudita Graecis est. Praeterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. Postremo, quanquam semper fuit, ut apud Ennium *est,*

- - - Stolidum genus Aeacidarum
Bellipotentes sunt magis quam sapientipotentes.

Tamen hanc amphiboliam versus intelligere potuisset. Vincere te Romanos, *nihilo magis in se, quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quae Craesum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere, haec vero ne Epicurum quidem.* ANNA. Confer cum hac nota *Merulam* ad *Ennium* lib. VI. p. 366.

Aeacida.] Ab *Aeaco* Jovis & Europae filio, Achillis avo. ANNA.

3 *Hoc dicto.*] Proprie *dicto*, hoc est, *dictione*, quae propria Apollinis oraculi vox est. *Pacuvius* in Armorum Judicio.

Apertae fatur dictio, si intelligas.

Dictio Apertae oraculum Apollinis qui *Aperta* dicebatur. Idem in Dulorestе:

Sed incertat me dictio, quin rem expedi.

ANNA. Quae habet *Anna* forte ab hoc loco alieniora esse censebit is, qui ignoret haec sublata *Merulae* ad *Ennium* p. 367. qui *hac dictione* restituebat, eaque loca firmandae sententiae attulerat. Sed *dictum* erit retinendum, cum eodem modo de Oraculo & praedictionibus dicatur. *Ovidius* lib. V. Fast. vers. 626.

Talia fatidici dicta fuere Dei.

Et lib. IV. vers. 664. de responso a Deo in somnis dato:

Edidit a dextro talia dicta loco.

Et lib. III. Met. vers. 527.

Dicta fides sequitur, responsaque vatis aguntur.

ARNTZ.

Tarentinis.] Quibus indictum erat bellum, quia spoliaverant mercatores Romanos, atque legatos lotio asperserant. MACH. Quidam *Tarentis*. Vulgata haec scriptura est MSS. concisior, *auxilio Tarentinorum bellum Romanis*. SCHOTTUS. *Auxilio Tarentinis bellum* Haun. *Gramm. Boend.* & Fran. *Auxilio Tarentinis venit bellum* uterque Leid.

Laevinum.] MSS. *Laevinium* scribunt. *Plutarchus* in Pyrrho Λαβίνον corrupte haud dubie pro Λαβίηνον vocat. Annales enim Consulares Romae effossi P. Valerium Laevinum & T. Coruncanium Consules ejus Anni CDLXXIII. faciunt. SCHOTT. Anno Mundi 3670. ante C. N. 278. ab U. C. 473. ANNA. *Laevinium* solus Leid. pr.

Heracleam.] Urbs inter Apuliam & Metapontum & Siciliam, ab ipso Hercule dicta, qui Graece Ἡρακλῆς dicitur. MACH. *Heream* MSS. *Plutarchus Heracleam* & Pandosiam ad flumen Sirim in Campania collocat, & *Frontinus* lib. IV. *Orosius* vero lib. IV. cap. I. *Lyrim* fluvium appellat, qui per i scribi debet. *Ptolemaeus* enim, *Strabo*, & *Dionysius* Λιρις aut Λῖρις semper, nunquam Λῦρις efferunt: Poëtae adhaec producunt. SCHOTTUS.

Elephantorum.] *Elephantos Plinius boves Lucas* VIII. VI. appellat, & *Varro* libro sexto de L. Latina, quod in *Lucania* primum visi Romanis, & *Ausonius* Tetradio:

Cur me propinquum Santonorum moenibus
Declinas, ut Lucas boves,
Olim resumpto praeferoces praelio
Fugit juventus Romula?

Lactantius de Opificio, capite tertio: *Potest ne igitur aliquis, cum videat etiam boves Lucas cum immanissimis corporibus servire homini, queri de opifice rerum Deo?* ubi de vetere Codice glossema *vaccas* primus sustulit *Erasmus*. Meminit & *Claudianus Mamertus* lib. II. de Statu Animae cap. XVIII. SCHOTT. Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. XVIII. §. 6. & *Stewech.* ad *Vegetium* lib. III. de Re Mil. cap. XXIV.

Turbavit.] Quia Romanos contriverunt Equos.

MACH.

videret, Ego, inquit, talibus militibus brevi orbem terrarum ſubigere potuiſſem. Amicis gratulantibus, quid mihi cum tali victoria, inquit, ubi exercitus robur amittam? Ad viceſimum ab urbe lapidem caſtra poſuit. Captivos Fabricio gratis reddidit. Viſo Laevini exercitu, eandem ſibi ait adverſus Romanos, quam Herculi adverſus hydram, fuiſſe fortunam. A Curio & Fabricio ſuperatus, Taren-

MACHANEUS. *Plinius* lib. VIII. cap. VI. *Vegetius* lib. III. cap. XXIV. Alii *fugavit*. Verum modeſtius *turbavit* dixit, quod terrorem injicere & perterrefacere ſignificat. *L. Annaeus Seneca* lib. I. de hac Tarentina pugna: *Tam atrox fuit, ut Ferentanae turmae praefectus Obſidius invectus in Regem turbaverit, coëgeritque projectis inſignibus praelio excedere.* SCHOTT. Talia in bellis maximi ſaepe ſolent eſſe momenti. *Curtius* lib. VIII. cap. XIV. §. 23. *Magnum belluae injecere terrorem, inſolitusque ſtridor non equos modo, ſed viros quoque ordinesque* turbaverat. *Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. XXIV. *Elephanti in praeliis formae ipſius* novitate *homines equosque* conturbant. & *Frontinus* lib. II. Strateg. cap. IV. ex. 12. *Camelorum gregem oppoſuit, quorum* novitate *& horrore conſternati equi.* ARNTZ.

4 *Talibus Viris.*] Veteres libri ſignanter *militibus*. & *ſubire* non *ſubigere*. *Plutarchus* ſecunda pugna ad Aſculum dixiſſe hoc refert. SCHOTT. Praeſtat, quod ait ſignanter exſtare in vetteribus Libris *Schottus*, *Talibus militibus*, invenique item in membranis Palatinis. haud tamen ita inepta ſcriptura prior. imo ne quid diſſimulem, praepoſuerim fere ſecundae. GRUT. *Militibus* recepimus ex Editione Ven. & MSS. omnibus. *Viris* expreſſerant reliquae Editiones, quae vox elegantet ſaepe pro militibus ponitur. *Silius* lib. X. verſ. 7.

--- Ac ſine vulnere terga
Ad manes deferte, Viri.

Salluſtius Jug. cap. LXXXVII. §. 1. *Caſtella & oppida natura & Viris parum munita.* & cap. LXXXVIII. §. 4. *Ovidius* Epiſt. XVI. Her. verſ. 329.

Troïa claſſis adeſt, armis inſtructa Virisque.

Sic &. ἀνδρες apud Graecos. *Herodian.* lib. VI. cap. III. §. 5. *Homerum* Il. Γ. verſ. 241. & apud eum centies. Potius tamen cum MSS. ſentio. *Machaneus* pejus ediderat *vulneribus*. Pro *ſubigere* antiqua ſcriptura *ſubicere* pro *ſubjicere* eſt in Leid. pr. Confer *Drakenb.* ad *Silium* lib. XIII. verſ. 298. & Comment. ad *Lucan.* lib. VII. verſ. 574. Sed receptam tuentur illa *Cortii* ad *Salluſt.* Catil. cap. II. §. 2. & c. X. §. 1. ARNTZ.

5 *Quid mihi cum tali:*] *Oroſius* reſpondiſſe ait: *Nae ego, ſi iterum eodem modo vicero, ſine ullo milite revertar.* Mox *gratus reddidit* pro *gratis*. SCHOTT. Elegantiam corrupit Leid. ſec. *quis mihi* ſcribens, quaſi non ſolennis illa eſſet formula. *Ovidius* Epiſt. XIVI Her. verſ. 65.

Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae?

Plinius lib. I. Epiſt. V. *Quid tibi cum meis mortuis.* ARNTZ.

Exercitus robur.] Nam optimos certe ex amicis, & ex ducibus, & quibus maxime fidebat, amiſit. MACH.

6 *Ad viceſimum.*] *Eutropius* lib. II. ac *Plutarchus* Preneſte milliari ab urbe octavo decimo veniſſe ſcribit. *Florus* a nobis ſtat. SCHOTT.

Gratis dedit.] Cognita magnanimitate illius, quando pecuniam a Rege capere noluit; hoc tamen pacto dati ſunt, ut ſi pax non fieret, poſtquam cum parentibus & domeſticis Saturnalia peregiſſent, ad eum reverterentur. MACH.

7 *Laevini exercitu.*] Immo vel *Fabricii*, vel *Curii Dentati*. *Laevinus* enim ſemel cum Pyrrho manum conſeruit. ANNA.

Eandem ſibi ait.] Cineae oratori ad Pyrrhum tribuit dictum hoc *Plutarch.* in Pyrrho. SCHOTTUS. *Flor.* I. XVIII. *Video me, inquit, plane Herculis ſydere procreatum, cui quaſi ab angue Lernaeo tot caeſa hoſtium capita de ſanguine ſuo renaſcuntur.* ANNA.

Ait.] *Ut* Leid. pr. *aut* Leid. ſec. & omnino delet Fran. Adi, quae dicemus infra ad cap. LXXIII.

Hydra.] Eadem & *excedra* eſt, quae ſecundum fabulas, diverſa gerebat capita, hiſtorice aqua fuit: cum Hercules occluſiſſet rivum, enaſcebantur alii, nam ὕδωρ, unde, aquam ſignificat: ita Pyrrhus finito uno praelio Romano alia experiri cogebatur. MACH.

8 *A Curio & Fabricio.*] *L. Annaeus* hos quoque male conjunxit: conſtat tamen ex Magiſtratuum Triumphorumque Romanorum Tabulis in foro Romae erutis, collegas minime fuiſſe. *C.* enim *Fabricius* Luſcinus cum Q. Aimilio Papo annis duobus poſt Laevinum manum cum Pyrrho conſeruit, victorque rediit Anno U. C. CDLXXV. M'. *Curius* Dentatus III. cum L. Cornelio

9 Tarentum refugit; in Siciliam trajecit. Mox in Italiam Locros re-
greſſus, pecuniam Proſerpinae avehere tentavit. Sed ea naufragio
10 relata eſt. Tum in Graeciam regreſſus, cum Argos oppugnaret,
11 ictu tegulae proſtratus eſt. Corpus ad Antigonum Regem Mace-
doniae relatum manifice ſepultum.

ARGU-

nelio Lentulo Conſul Anno poſt quinto, (ſecundum *Oroſium* lib. IV. cap. II. ſexto, ut *Plutarchus*: quarto, ut *L. Florus* eſt auctor) de Pyrrho triumphavit CDLXXVIII. Cum vero Tarentum pulſus eſt, P. Sulpicius & P. Decius Coſſ. fuere Anno CDLXXIV. SCHOTT. Vid. Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. XVIII. §. 9.

Tarentum.] Urbs eſt Apuliae a *Tara* Neptuni filio dicta. MACH.

Refugit.] *Confugit* legitur in aliis. SCHOTT. *Profugit* Leid. ſec. & Haun.

In Siciliam.] Legendum videtur: *inde in Siciliam.* SYLB. Poſtquam cum Fabricio pugnatum eſt, & antequam cum Curio pugnaret. ANNA.

Trajecit.] *Trajicit* legitur in aliis. SCHOTT.

9 *Mox in Italiam.*] Credidi aliquando legendum, *Mox in Italiae*, quod ſint & in Sicilia & alibi Locrenſes, teſte *Strabone* lib. IX. & *Servio* in II. & III. Aeneidos. SCHOTT. *Aggreſſus Boend.* ut legi poſſet: *In Italia Locros aggreſſus.* ſed nihil mutandum.

Proſerpinae.] De *Proſerpina* Locrenſi *Lactantius* lib. II. cap. VIII. SCHOTT.

Avehere tentavit.] *Valerius Max.* de Neglecta Religione: *cum onuſtus neſaria praeda navigaret, vi ſubitae tempeſtatis tota cum claſſe vicinis Deae littoribus eliſus eſt, in quibus pecunia incolumis reperta, ſanctiſſimi theſauri cuſtodiae reſtituta eſt.* MACHAN. Leid. ſec. *auferre.* Fran. *habere. Boend. ducere.* omnes perperam. *Caeſar* lib. VII. Bell. Gall. cap. LV. §. 8. *Frumenti quod ſubito potuerunt, navibus avexerunt. Livius* lib. XLV. cap. XXXIII. *Non in uſum modo praeſentem, ſed etiam quod domos aveberent. Virgilius* lib. II. Aen. verſ. 43.

Creditis avectos hoſtes.

Et verſ. 179.

Quod pelago & curvis ſecum avexere quadrigis.

Ubi male alii *advexere. Lucanus* lib. VI. verſ. 362.

- - - Nec fortior undis
Labitur avectae pater Iſidis.

Ibi eodem modo peccatur in MSS. v. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. IV. verſ. 318. *Seneca* Medea verſ. 975.

Tum quoque ipſa corpus hinc mecum avebam. Vitio Librariorum uterque Trajectinus, *advebam. Juſtinus* lib. XX. cap. II. §. 14. *Haud ſecus laeti, quam ſi Deos ipſos ſecum avecturi eſſent, pulvinaria iis in navi componunt.* Ita recte hunc etiam locum conſtituerunt Viri docti, vulgo circumferebatur *advecturi.* Conferantur, quae notavimus ſupra ad cap. XIX. §. 2. ARNTZ.

Relata eſt.] Eximie. Vulgati *elata eſt.* SCHOTTUS. *Data* Haun. *electa* Leid. ſec. *Elata* Fran. *Gramm.* & Editt. ſed vera lectio ſollicitanda non eſt, quam etiam recte judicio ſuo comprobavit *Schottus.* Hac in hiſtoria *Livius* lib. XXIX. cap. XVIII. *Pecuniam omnem conquiſitam in theſauros Proſerpinae* referri *juſſit.* ARNTZ.

10 *Argos.*] Vitioſe quidam repetita eadem litera *m. Marſos.* Recte *Argos. Polyaenus* enim l. VIII. Strategematum virtutes mulierum laudans *Argivam* Pyrrhum interfeciſſe ait. SCHOTTUS. In Peloponeſo. Vide *Juſtin.* lib. XXV. cap. V. ANNA. Corrupte *agros* transpoſitis litteris Fran. & uterque Leid. hic autem & verſu praecedenti pro *regreſſus* in Haun. eſt, *reverſus.* Ex Scriptis vero & Veteribus Editionibus recepimus *oppugnaret*, pro quo *Schottus* in prima Editione *oppugnat* receperat, quem ſecuti ceteri Editores, neſcio quo jure, neque enim quidquam de mutationis ratione monuerat Vir Eruditiſſimus. Ideo fortaſſe id fecit, quod ſciebat, *dum* in ſignificatione temporis praeſentis requirere indicativum, ut diximus ſup. cap. VIII. §. 4. Nos leviori mutatione ſcripſimus: *cum Argos oppugnaret. Servius* ad *Virgilium* lib. VI. Aen. verſ. 840. *Nam cum Argos obſideret ictu tegulae periit.* Habet paſſim multa *Servius*, quae a Noſtro, vel ſaltem ex eodem Auctore, deſumta ſunt. Interpres tamen *Ovidii* ad Ibid. verſ. 303. *Pyrrhus Rex Epirotarum, dum Argos oppugnaret, tegula percuſſus interiit.* ARNTZEN.

Tegula.] Haſta percuſſus per thoracem, cum in percuſſorem telum adegiſſet, mater forte deſuper cum caeteris feminis pugnam ſpectabat, quae cognito filii periculo, & ob id formidans ambabus manibus ſublatam tegulam in caput Pyrrhi dimiſit. Plura a *Plutarcho* in vita ejus excerpe. MACHAN. *Juſtinus ſaxo* interfectum narrat: *Plutarchus*

tarchus tegula de muro jacta, ut Noſter, quam κεραμίδα nominat & *Strabo* lib. VIII. SCHOTTUS.

11 *Delatum.*] *MSS. relatum, non delatum.* SCHOTT. Et ſic Editio Ven. & omnes Scripti excepto Fran. qui ſimpliciter *latum*. Pejus etiam idem Codex vocem *magnifice* extrudit, quod non erat committendum, cum adhibeatur ſaepe de exſequiis ſplendidioribus & illuſtriori funeris pompa. Noſter ſup. cap. XXVII. §. 5. *Corpus a collega laudatum* magnifice *ſepultum eſt*. & infra cap. XLIV. magnifice *ſepultus*, *oſſa Romam remiſſa*. *Caeſar* lib. VI. Bell. Gall. cap. XIX. §. 4. *Funera ſunt pro cultu Gallorum* magnifica *& ſumtuoſa*. *Livius* lib. XLI. cap. XVI. *Funere* magnifico *elatus ſepultusque eſt*. *Cicero* lib. II. de Legibus cap. XXVI. *Eam funerum ſepulcrorumque* magnificentiam. *Salluſtius* Jug. cap. XI. §. 2. *Miſipſa paucis diebus moritur*. *Poſtquam illi more regio juſta* magnifice *fecerant*. *Curtius* lib. IV. cap. VIII. §. 9. *Repertumque corpus* magnifico *extulit funere*. *Lactantius* lib. V. Div. Inſt. cap. III. *Cur ſibi homines ſepulcra* magnifica *comparant*. & *Sulpitius Severus* lib. I. cap. XII. §. 7. *Funus* magnifice *curatum*, *corpus in ſepulcro majorum Joſeph condidit*. Ceterum *Juſtinus* lib. XXV. cap. V. §. 2. ſcribit Antigonum *filio* inſepulti *Patris oſſa in patriam referenda tradidiſſe*. Sed nil pugnat cum Noſtro, ſi apud *Juſtinum inſepultum* interpretamur, nondum terra conditum nondum humatum & hoc loco per *ſepultum* intelligamus, crematum, rogo inuſtum. *Sepelire* enim, quod notum eſt, ſignificat omnem illum modum, quo cadaver poſt mortem tractatur. Vide *Meurſium* ad *Lycophronem* Caſſ. verſ. 154. Sic Hebraeam vocem קבר *ſepulcrum* per *crucem* expone *Jeſaiae* cap. LIII. §. 9. Etenim generis humani Servator cum homicidis cruci eſt affixus. Atque ita *crucem*, *ſepulcrum* appellat *Plautus* Mil. Glor. Act. II. Sc. IV. verſ. 19.

Scio crucem mihi futuram ſepulcrum.

Septuaginta per ταφὴν vertunt. Quia autem Romanis uſitata fere erat crematio, hinc pro cremare frequenter occurrit, cujus rei multa exempla attulit Ampliſſimus *Cuperus* lib. I. Obſ. cap. VII. Quibus addi poteſt *Livius* lib. XXVII. c. XXVIII. *Ibi inventum Marcelli corpus* ſepelit. & cap. XLII. *Suorum corpora collata in unum* ſepeliri *juſſit*. *Seneca* Thyeſte verſ. 1028.

Sepelire *liceat*, *redde quod cernas ſtatim*
Uri.

Quinctilianus Decl. VI. cap. I. *Etiam ſi nemo interpellaſſet*, *ſero* ſepelitrem. id quod exponit cap. ſeq. *Mater ignem ultimum filio negat*. Idem Decl. XII. cap. XIV. *Circumdati ſunt quidam flammis*, *ipſa tamen poena habuit* ſepulturam. Adde ibidem cap. XII. & cap. XIII. *Lucanus* lib. VI. verſ. 526.

- - - *Et accenſo rapuit quae tura* ſepulcro.

Florus lib. III. cap. XXI. §. 21. & 26. & multis locis *Juſtinus*. *Tacitus* lib. II. Ann. c. LXXIII. *Corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochenſium*, *qui locus ſepulturae deſtinabatur*. Atque hinc *tumulum* & *ſepulcrum* diſtinguit *Quinctilian.* Decl. II. c. XIII. *Cum maxime inferimus in* tumulos *oſſa* inſepulta, id eſt, non cremata. ARNTZ.

ARGUMENTUM.

Contra Pyrrhum miſſus, quarta regni parte fruſtra ſollicitatur, Pyrrhi medicum Pyrrhum veneno occiſurum ad Pyrrhum vinctum reduci jubet, & a Pyrrho illum admirante laudatur Fabricius.

Pyrrhus cum ſecundo praelio a Romanis eſſet pulſus Tarentum, 12 interjecto anno contra Pyrrhum Fabricius miſſus eſt, qui prius inter

12 *Pyrrhus.*] Caput hoc integrum a MSS. eſt, in quis eadem litera ſcriptum inveni. In tertio ad oram erat adjectum tanquam praetermiſſum. Certe mihi non ſit veriſimile praeteritum ab Auctore tantum virum, praeſertim cum proxime illius meminiſſet, & ſuo more vitas ſubjicere ſolerat. Non ignorabam in *Eutropio* eadem fere legi, verum hic ne a Noſtro mutuatus ſit, an contra, quis auſit pronuntiare? *Paullus* enim *Diaconus*, ut *Feſtum Pompejum* tranſcribendo corruperat, ita & *Eutropium* rugendo contaminarat, ut quae *Eutropii* eſſent dijudicare vix poſſes: immo *Eutropium* amplius appellandum eſſe negares. Notabimus quaedam. SCHOTT. Haec a Librario poſtea ex

Eutropio

inter legatos ſolicitari non poterat quarta regni parte promiſſa.
13 Cum vicina caſtra ipſe, & Rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens ſe Pyrrhum veneno occiſurum, ſi ſibi quid-
14 quam pollicitaretur; Quem Fabricius vinctum reduci juſſit ad dominum, Pyrrhoque dici, quae contra caput ejus medicus ſpopondiſſet.
15 Tum Rex admiratus eum, dixiſſe fertur: Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a ſuo curſu averti poſſet.

Eutropio lib. II. cap. XIV. inſerta eſſe, & falſo *Aurelio* adſcripta, colligi poſſet ex hiſce verbis: *Qui prius inter Legatos ſolicitari non poterat, quarta regni parte promiſſa.* Narrarat hoc antea *Eutropius* cap. II. ſed apud Noſtrum nihil tale exſtat, nec de ullis muneribus Fabricio oblatis mentio fit, ut facile conficiatur, haec non eſſe ab *Aurelio* profecta. Certe in omnibus Noſtris deſideratur, & ſic oportebat. ARNTZ.

Secundo praelio.] Anno U. C. CDLXXIV. Ducibus P. Sulpitio Saverrione, P. Decio Pyrrhico Coſſ. quorum hic in pugna cecidit, teſte *Cicer.* II. de Finibus. Rex vero ex altera parte vulneratus eſt: de XL. millibus dimidia pars exercitus amiſſa: apud Romanos quinque millia deſiderata, *Frontinus* lib. II. & *Eutropius*. SCHOTT. Illud *Plutarchus*. Et alii verius in ſequentem conſulatum rejiciunt. ANNA.

Interjecto Anno.] Immo Anno ſequenti. EAD.

Qui prius inter legatos.] Ait Fabricium, cum inter *legatos* a Populo Romano ad Pyrrhum ipſe *legatus* etiam intereſſet, non potuiſſe moveri quarta regni parte illi a Pyrrho promiſſa. EAD.

Soliciari non potuit.] Vide *Val. Max.* lib. IV. cap. III. *Agellium* lib. I. cap. XIV. *Juſtinum* lib. XVIII. & *Frontinum* lib. IV. cap. III. SCHOTT. *Lucanus* lib. III. verſ. 160.

Quo te Fabricius regi non vendidit auro.

Claudianus Bell. Get. verſ. 131.

- - - Et nulli pervia culpae
Pectora Fabricii domis invicta vel armis.

Et lib. IV. de Conſ. Honorii verſ. 414.

Pauper Fabricius, Pyrrhi cum ſperneret aurum.

14 *Vinctum reduci.*] *Val. Antias Timocharem* Regis amicum veniſſe dicit: *Quadrigarius Niciam* familiarem non medicum: quem Niciam corrupte opinor appellat *Aelianus Cineam* lib. XII. Ποικιλ. Ιστορ. Vide *Agellium* lib. III. cap. VIII. *Plutarchum* in Pyrrho & Apophthegmatibus. *Valerium* lib. VI. *Cicer.* Offic. I. *Juſtinum* lib. XXIII. *Senecam* Ep. CXX. & *Ammianum* lib. XXX. SCHOTTUS. Adi Cl. *Perizonium* ad *Aelianum* lib. XII. Var. Hiſt. cap. XXXIII. *Barthium* ad *Claudian.* Bell. Gild. verſ. 272. & *Frontinum* lib. IV. Strat. cap. IV. ex. 2.

CAPUT XXXVI.

ARGUMENTUM.

Servos a Volſiniis manumiſſos, in curiam lectos, & dominos opprimentes ſuperat, in carcere necat, aut dominis in ſervitutem reſtituit Decius Mus.

1 Volſinii, Etruriae nobile oppidum, luxuria paene perierunt. Nam cum temere ſervos manumitterent, dein in curiam legerent, conſen-

1 *Volſinii.*] Variant in ſcribendo Libri omnes. Ex Impreſſis quidam *Volſini*. MSS. *Vulſinia*, ut hoc opidi, *Vulſinii* populi nomen ſit, unde *Annaeus Florus*, *Volſinii opulentiſſimi Etruriae populi.* *Vulſinii* autem tetraſyllabum in Marmoribus Romanis, inde *Vulſinienſes*. *Strabo* & *Ptolemaeus* Ουολσίνιον

conſenſu eorum oppreſſi. Cum multa indigna paterentur, clam 2 Roma auxilium petierunt. Miſſusque Decius Mus mox libertinos omnes

Οὐολσίνιον oppidum appellant quinque ſyllabis. Nec defuere, qui *Volſcinios* nominarent, quaſi a *Volſcis* oriundos. SCHOTT. Varie hic turbant Manuſcripti Codices. *Vulſini* Fran. & *Boend. Volſini Gramm. Volſchini* Haun. *Voluſcini* Leid. pr. *Romeni*. Leid. ſec. In tanta varietate ſecutus ſum *Schottum* & Cl. *Graevii* judicium ad *Florum* lib. 1. cap. XXI. ut *Haverc.* ad *Tertullianum* Apol. c. XL. p. 346. ARNTZ.

Luxuria.] Omnium rerum ſuperfluitas dicitur. Quod ille indicavit ſignate:

Luxuriam fugito ſimul & vitare memento.

MACH. *Silius Italicus* lib. XV. verſ. 92.

- - - *Idem adſpice, late*
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.

Juſtinus lib. XX. cap. IV. §. 6. *Vitia luxuriae, caſusque civitatium ea peſte perditarum enumerabat.* & *Kuhnius* ad *Aelianum* lib. 1. Var. Hiſt. cap. XIX. ARNTZ.

Perierunt] MSS. *periit.* SCHOTT. *Oroſius* lib. IV. cap. V. *Vulſinienſes Etruſcorum florentiſſimi luxuria pene perierunt.* ibi in MS. eſt *luxuriae poena.*

Manumitterent.] i. liberarent, quaſi extra *manum* i. poteſtatem *emitterent.* MACH.

Dum in curiam.] Antiqua lectio, *dein curiam*, unde feci *dein in curiam.* Praepoſitio omiſſa quod repeteretur. Si quis tamen legat, *dum temere ſervos manumitterent, dum in Curiam*, facile patior. Mox *conſenſu eorum* ex iisdem ſcripſimus, addidimusque *ſuperavit*, unde *aut* factum erat. Sic enim habent MSS. *decius lib. o. ſuperavit, necavit in carcere, aut dom.* SCHOTT. Retinere malo cum *Schotto dein*, quamvis ut ingenue fatear, omnes vel Scripti vel Editi: *dum in cur.* Eam vero quam proponit Lectionem amplecti non poſſum, *dum* enim hoc in loco indicativum requireret, ut diximus ſup. cap. VIII. §. 4. Praeterea pro *eorum* retinuimus nos *ſervorum*, volentibus omnibus Scriptis & Editis, quibus ſine neceſſitate non libenter me oppono. Et fortaſſe, ſi quis *ſervorum* retinere mallet, cum Leid. pr. ſuperius *ſervos* non male delereur. ARNTZ.

2 *Indigna.*] Optime hanc vocem ſuo hic loco adhibet, ſumma enim indignitas cenſeri debet, ſi ſervi ſe noſtri nobis praeponere audeant. *Livius* lib. XXI. cap. XLI. *Sed cum* indignatione *quadam atque ira, velut ſi ſervos videatis veſtros arma repente contra vos ferentes. Seneca* lib. III. de Benef. cap. XXVIII. *Ut beneficia a ſervis* indignemur *accipere. Juſtinus* lib. III. cap. V. §. 3. *Quod adverſus ſervos dimicandum videbatur. Itaque cum hinc injuria, inde* indignitas *animos acueret.* & lib. XVIII. cap. III. §. 6. *A ſervis ſuis multitudine abundantibus* indigna *ſupplicia perpeſſi ſunt.* & *Oroſius* lib. II. cap. XII. Indignam *de ſervis victoriam deſuper etiam ſua morte foedaverit.* Male Leid. pr. *indigne.* poſtea *Romae* expreſſimus ex MSS. & Editione Veneta & *Mach.* ARNTZ.

Decius Murena.] A vivariis *murenarum* piſcium primus in ea familia cognomen meruit. *Martialis:*

Quae natat in Siculo grandis murena profundo.

MACH. Mediolanenſis *Decius Mus* impreſſerat, nam vulgati male *Murena*, vel *Muraena*, ut *Gryphius.* In uno ſcripto *Mus* aſuit, in altero *Decimus* erat, & ἐπιγραφὴ talis. At annales Capitolini hoc Anno CLXXCVIII. Conſ. hoc nomine negant fuiſſe. *L. Annaeus* lib. 1. cap. XXI. & de Graecis *Zonaras*, Q. Fabium Maximum Gurgitem tertium Conſulem L. Mamilii Vituli collegam ei bello praeficiunt, in quo vulnere accepto periit. Inſequenti vero Anno finem ei impoſuit, & triumphavit de Volſinienſibus M. Fulvius Flaccus. Labor itaque, ut in occiſi Fabii locum miſſum, aut utriusque Conſulis legatum in eo bello multa praeclare geſſiſſe cum *Vineto* credam. *Zonaras* enim Conſulem alterum mortuo Fabio ſupplicium de ſervis ſumpſiſſe & opidum evertiſſe ait, quem *Decium* fuiſſe liceat divinare. *Cicero* tamen Tuſcul. III. *P. Decium Murem* exemplo patris avito ſe bello Tarentino devoviſſe. Vide aliam belli iſtius cauſſam apud *Plinium* libro XXXIV. cap. VII. Notandum & illud Tiberium Coruncanum quindecim ante annos de iisdem populis Triumphaſſe teſtibus Capitolinis Triumphis. SCHOTT. Vulgati *L. Decius Murena:* Itemque *Valerius, Tacitus, Frontinus*; alii *Decimus*, ut notat *Schottus. Sigonius* M. Fulvio Flacco haec adſcribit IIO: 22. SYLB. *Cicero* lib. 1. Tuſc. Quaeſt. c. XXXVII. tradit tertium *Decium* Pyrrhi Bello ſe hoſtium telis objeciſſe. Quare cum haec uno fere eodemque tempore acciderint, crederem Auctorem confudiſſe has hiſtorias, & Decio tribuiſſe, quod uni e Coſſ. illius anni tribuendum eſſet, Vide *Pighium* tom. 1. Ann. p. 461. *Murena* tamen retinent quatuor Scripti & Editi, delet vero *Gramm.* & Veneta. Solus Fran. *Decius Mus.* Sed & alibi haec ita confundi docuit Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. 1. cap. XIV. §. 1. ARNTZ.

Libertinos.] Poſuit *libertinos* pro *libertis*, ſic & alicubi *Plautus.* ANNA.

Omnes.] Quinque Codd. & omnes Editi. *omnes*

omnes aut in carcere necavit, aut dominis in ſervitutem reſtituit.

aut in carcere. Leid. ſec. *aut in arce omnes aut in carcere*, ex cujus veſtigiis fortaſſe fieri poſſet: *omnes aut in acie, aut in carcere necavit aut dominis* &c. Ediderat in Minori Editione *Schottus* & ejus Aſſeclae: *Omneis ſuperavit, in carcere* &c. Nec tamen mutationis addit cauſſam, neque ego eam video. Reſtituit aut ideo in ſervitutem, quia antiquis moribus liberti ingrati iterum ſervi fierent, quoniam liberi eſſe neſciſſent. l. 4. Cod. de Libert. & eor. lib. *Savaro* ad *Sidonium Apoll.* lib. IX. Epiſt. X. Comment. ad *Val. Maximum* lib. VI. cap. II. exem. 2. & *Samuelem Petitum* in Ampliſſimo Commentario ad Leg. Att. p. 181. ARNTZ.

CAPUT XXXVII.

ARGUMENTUM.

Ad Mamertinos liberandos miſſus, Carthaginienſes Meſſana expellit, & Hieronem praelio in deditionem accipit Appius Claudius Caudex.

1 Appius Claudius victis Volſinienſibus, cognomento Caudex dictus,
2 frater Caeci fuit. Conſul ad Mamertinos liberandos miſſus eſt, quorum

1 *Victis.*] *Johannes* vero *Grejonius* ſic locum tentabat: *Appius Claudius cognomento Caudex. Is victis a M. Fulvio collega Volſinienſibus conſul ad Mamertinos liberandos* &c. SCHOTT. Hic transpoſitione peccatum eſt: lego ex *Victoris* genio & hiſtoriae veritate. *Appius Claudius cognomento Caudex dictus, frater Caeci victis Volſinienſibus Conſul ad Mamertinos liberandos miſſus eſt.* ANNA. *Vulſinenſibus* vel *Vulſcinenſibus* MSS. non inuſitata varietate. Vide Cel. *Havercampum* ad *Tertull.* Apolog. cap. XXIV. p. 240. Poſſet fieri ut hae duae voces *Victis Volſinienſibus* culpa Librariorum irrepſerint, & hoc voluiſſe videtur etiam *Lipſius* ad *Senecam* de Brev. Vit. cap. XIII. cum ita haec verba proferat: *App. Claudius Caudex Caeci frater fuit.* Video etiam jam, haec non apparere in Editione *Machanei*, ſi ex MSS. laudo, ſed monitum oportuerat. Sed vix hoc veroſimile ex nota ſequenti. ARNTZ.

Volſinienſibus.] Debet legi *Carthaginienſibus*, teſtimonio *Senecae* in Epiſtolis ſcribentis eum primo Punico bello victis *Carthaginienſibus* claſſe id meruiſſe cognomen; quod & *Lucius Florus* in *Livii* epitomis iis verbis innuit: *Origo Carthaginienſium, & primordia urbis referuntur: contra quos, & Hieronem Regem Syracuſanorum auxilium Mamertinis ferendum cenſuit ſenatus. Tum primum mare equitibus Romanis transgreſſis adverſus Hieronem ſaepius bene pugnatum.* MACH. *Volſinienſes* retineo ex *Zonara*. *Volſinenſes* a *Volſinis* quidam ſcripſerunt. SCHOTT.

Caudex.] Vel *Codex* utrumque, ut *plauſtrum ploſtrum*. Eſt autem id dictum lignum craſſioris materiae: inde *caudicariae naves* dictae. *Salluſtius: Quaedam ibi naves codicariae per hyemem fabricatae occulte aderant.* MACH. MSS. librorum ea ſcriptura eſt, & *Caudicis* format. *Colinaeus* & vulgati *Caudax Caudacis*, non recte. liber antiquus *Caudex dictus*. Unde autem *Caudex* dictus, vide *Senecam* Philoſophum de Brevitate Vitae cap. XIII. Et *codicariae*, vel *caudicariae naves* apud *Nonium* e *Varrone* & *Salluſtio*. SCHOTTUS. Comm. ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 5. Omnes tamen Scripti & pleraeque Editiones vitioſe *audax*.

Frater Caeci.] Alii *frater dicti Caeci*, quod ante ejus meminiſſet. SCHOTT.

2 *Mamertinos.*] *Polybius:* Claudius Conſul traducere copias in Siciliam & *Mamertinis* opem ferre juſſus profectionem parabat: *Mamertini* autem de populi Romani decreto certiores facti, Carthaginienſem praefectum, qui in arce poſitus erat, circumſiſtunt, una cum praeſidio dejiciunt, poſt liberius Conſulem Romanum per literas vocant *Mamertini*. De quorum vino *Martialem* in diſtichis lege:

Amphora Neſtorea Mamertinaque ſenecta.

MACH.

quorum arcem Carthaginienſes & Hiero Rex Syracuſanus obſide- 3
bant. Primo ad explorandos hoſtes fretum piſcatoria navi trajecit, & cum duce Carthaginienſium egit, ut praeſidium arce deduceret. Rhegium regreſſus, quinqueremem hoſtium copiis pedeſtribus cepit; 4
ea legionem in Siciliam transduxit. Carthaginienſes Meſſana expulit. Hieronem praelio apud Syracuſas in deditionem accepit, qui 5
eo

MACH. Et *Sext. Pompejum* lib. XI. de Verborum Significatione ex *Aſſio* lib. I. belli Carthaginienſis. SCHOTT. In Sicilia urbem Meſſanam incolentes. Vide *Florum* lib. II. cap. II. ANNA.

Carthaginienſes.] *Carthaginenſes* quinque Scripti & Veneta, ſolus Haun. & ceterae Editt. *Carthaginienſes*, quae vera eſt ſcriptura. Haec varietas ſolet eſſe in omnibus exemplaribus, ſed nobiſcum ſentiunt Summus *Gronovius* ad *Livium* lib. XXVIII. cap. XXVI. *Boſius* ad *Corn. Nepotem* Hamilc. cap. I. & Cl. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. II. §. 6. Atque ita variari monetur etiam ad *Val. Max.* lib. I. cap. VII. exem. ext. 8. & ad *Curtium* lib. IV. cap. II. §. 10. Leid. autem ſec. *Karthaginenſes* per *K.* ſcribebat, quomodo Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. verſ. 3. & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. II. verſ. 92. ſed libentius ſequor receptam ſcripturam, quae in antiquiſſimis monumentis occurrit, quamque amplectitur etiam Cel. *Cortius* ad *Salluſtium* Catil. cap. X. §. 1. Vide *Schottum* ad cap. ſeq. §. 1. ARNTZ.

3 *Primo.*] MSS. *primus* legunt non *primo*. SCHOTT. Omnes Noſtri *primo*. Pro *fretum* non inconcinne Haun. *furtum*.

Navi.] Lembo. MACH.

Deduceret.] Quatuor Codd. *deducerent*.

4 *Rhegium.*] Urbs eſt Siciliae dicta a ῥήγνυμι. i. frangere auctore *Strabone*, nam quondam Italia conjuncta exiſtente Siciliae inde convulſa fuit, ac remanſit haec urbs in Sicilia. *Virgilius:*

Haec loca vi quondam, & vaſta convulſa ruina
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit; arvaque, & urbes
Littore diductas anguſto interluit aeſtu.

Et reliqua. MACH.

Quinqueremem.] A *quinto* ordine ſedilium, in quibus remi ducebantur, ut *biremes*. IDEM. *Copiis praeteſtibus* corrupte Leid. ſec. *Copiae pedeſtres* hic navalibus & maritimis opponuntur. *Frontinus* lib. IV. Strat. cap. VII. ex. 45. *Eodem die & navali & pedeſtri praelio victi ſunt.* & *Frontin.* lib. II. cap. V. ex. 42. *Nepos* Ageſ. cap. II. §. 1. & Conon. cap. 1. *Caeſar* lib. III. Bell. Gall. cap. XI. §. 5. *Suet.* Claud. cap. XVII. §. 3. *Pomp. Mela* lib. II. cap. II. *Juſt.* lib. II. cap. XIII. §. 11. *Claudian.* lib. II. in Ruf. verſ. 122.

- - - Cum claſſibus iret
Per ſcopulos, teſtumque pedes contemneret aequor.

Huberus Diſſ. lib. I. diſſ. V. cap. III. & in Sylloge Epiſt. *Burmanni* tom. III. Epiſt. *Gronov.* ad *Heinſ.* CXXII. CXXIII. & CXXIV. *Davies* ad *Hirtii* Bell. Alex. cap. XXVI. §. 2. & cap. XXXIII. §. 6. ARNTZ.

Ea legionem.] *Phalangem* vulgata ea lectio, Scripta & Mediolanenſis *legionem*. Corrupte vero nonnulli *legationem*. Forte ſupra adſcriptum erat *phalangem*, quae quoniam vox rarior, utpote Macedonica, teſte *Q. Curtio*, in contextum potius recepta. Hoc autem differunt quod *phalanx* octo hominum millia contineret: *legio* non amplius quam ſex millibus conſtaret, florente maxime Republica a Mario primum conſcripta. SCHOTTUS. Omnes Scripti *cepit falagionem* vel *flagionem*, ſine dubio corrupte ex *ea legionem*. Editio *Mach. eam legionem*.

Meſſana.] A quibus *Meſſalae. Martialis:*

Hunc Numidae faciunt, illum Meſſana ſuperbum.

MACH. Confer magnum *Lipſium* ad *Senecam* de Brev. Vitae cap. XIII.

5 *Hieronem praelio.*] *Polybius:* nec *Hieron* quidem detrectavit certamen, ſed obviam Conſuli egreſſus acie ſtructa dimicavit: pugnatum eſt aliquamdiu aequo Marte, tandem vero praelii exitus fuit, ut Romani victores magna parte hoſtium caeſa Regem nudatum paene omnibus copiis usque in caſtra proſequerentur. MACH. Sic MSS. ad unum omnes, vulgati *Hierona Regem*. Jam enim obliti erant prioribus aliquot verſibus *Regem* appellatum. Lege *Polybium* belli Punici ſcriptorem prudentiſſimum, qui ab his diverſa nonnihil narrat. SCHOTT.

Syracuſa.] Metropolis Siciliae, urbs quidem amoeniſſima exſtitit. MACH. *Syracuſas victum.* Leid. pr.

eo periculo territus, Romanorum amicitiam petiit, iisque poſtea fideliſſimus fuit.

Fideliſſimus fuit.] Haec confirmat *Florus* & *Polybius* Hieronis exitu: Ita tandem vero pax Hieroni iis ferme conditionibus data eſt, & poſt eam pacem Hiero in populi Romani tutela usque ad finem permanſit, felix omnium Graecorum, fortunatusque regnavit. MACH.

CAPUT XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Contra Carthaginienſes dux miſſus claſſem validam fabrefacit, manus ferreas inſtituit, hoſtes vincit & capit, & praelucente funali, praecinenteque tibicine a coena publice redit C. Duilius.

CAjus Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienſes miſſus, cum videret eos multum mari poſſe, claſſem magis validam quam

Duillus.] *Lucius Florus* libro decimo ſeptimo ita inſit: *Duellius Conſul adverſus claſſem Poenorum proſpere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum. Ob quam cauſam ei perpetuus honor habitus eſt, ut revertenti a coena tibicines canerent, & funale praeferretur.* MACH. De nomine rurſum diſſerendum, tamerſi quidam ſtolide haec rideant, aut ſupervacanea jactent, homines neſcio quibus occupati. Video itaque cum Lernaeo anguì rem eſſe, ut Herculi, quod reſecto uno alterum mendum repulluleret. *Cn. Duellium* qui vocant, contra librorum, lapidum, Faſtorumque Romanorum fidem faciunt. *Duillio* ſcribunt Codices Antverpiae olim excuſi, propius veritatem. Pariſinus neſcio quamobrem *Duillo* tribus ſyllabis, idque perpetuo, ut non operarum injuria accidiſſe putem. Scribe *C. Duilius* ſimplici lambda, ſequens Capitolinos illos Faſtos Romae magno Antiquitatis, Hiſtoriarumque bono repertos: & *Pet. Ciaconium Toletanum*, notis ad Roſtratam *C. Duilii* Columnam quae in Capitolio hodieque ſpectatur, & ab illo inſtaurata eſt. SCHOTT. Graeci auctores ſemper Δυίλιος vocant, & Columnae Roſtrata aperte BILIOS per contractionem, ſcilicet qua *bis* dixere pro *duis*; *bidentem* pro *duidentem*, & *bigas* pro *duigas*, & *bonum* pro *duonum*. ANNA. *Duellius* Leid. pr. & Haun. *Duillius* Fran. & *Gramm. Duillus* Leid. ſec. & Ven. *Duilius Boend.* Quod ſententiam Erud. *Schotti* confirmat. aliae Editiones omnes *Duillius*. Scripturam Columnae Roſtratae nobiſcum etiam amplectuntur *Sigonius* ad *Livium* lib. II. cap. LVIII. & lib. VIII. cap. XVI. *Pighius* tom. II. Ann. p. 21. *Urſinus* ad *Cicer.* pro Plancio cap. XXV. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. VI. verſ. 665. Adde *Colerum* ad *Valer. Maximum* lib. III. cap. VI. exem. 4. Cel. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 7. & *Hearne* ad *Eutrop.* lib. I. c. XXV. In quinque etiam MSS. & Editt. eſt *Cneus*, contra rei veritatem, cum melius *Caji* praenomen ei tribuant alii, & ita eſt in Columna Roſtrata. Eundem errorem ex *Frontino* lib. I. cap. V. ex. 6. ſuſtulit politiſſimus *Scriverius*. Eodem modo in antiquioribus *Livii* Editionibus Epiſt. XVII. quod tamen recte inmutarunt Poſteriores. Quare accedo *Manutio* ad *Cicer.* pro Planc. cap. XXV. pro *P.* reſtituenti *C. Duilio*. Adde *Oroſium* lib. IV. cap. VII. ARNTZ.

Dux contra.] Anno ab U. C. 493. ANNA.

Carthaginienſes.] Ex Faſtis Capitolinis ſex ſyllabis a dandi caſu, ut & *Priſcianus* lib. IV monet & *Ennii* auctoritate confirmatur. *Servius* autem in I. Aeneid. *Virgilii* a *Charta* derivat. quomodo *Chartago* ſcribendum. Non ſequor. *Solinus* enim Polyhiſt. cap. XXX. *Carthada*, inquit, *Phoenicum lingua ſonat novam civitatem: mox verſo ſermone Carthago appellata urbs, & Dido Eliſſa.* SCHOTT.

Claſſem

quam decoram fabricavit, &, [quas corvos vocavere] manus ferreas

Claſſem validam.] Sic autem ſocum emendandum amicus quidam meus ope Librorum veterum curabat: Correctio enim illa, quae in vulgatis legitur, in ſcriptis abeſt. *claſſem (magis) validam (quam decoram.)* Quis enim, inquit, in re bellica, claſſe, aut pugna pulcritudinem requirat? niſi forte armis fulgidis exercitum, navibus, apluſtris, caeterisque rebus ornatis potius quam confirmatis victoriam metiatur; ut Antiochus ille, cui Annibal illa Romanis, etſi avariſſimi ſint, ſatisfactura lepide reſpondit. *Agell.* etiam lib. v. Noct. Attic. Mihi tamen correctio illa non inanis videtur, quod claſſis Romana rudis erat ac impolita, & firmitate trabium gravis & tarda: argumento eſt celeritas comparatae claſſis, cum intra ſexageſimum diem, quam arbores caeſae erant, CLX. navium claſſis in ancoris ſtetit. *Ann. Seneca* lib. II. Rom. Hiſt. Naves autem erant roſtratae, quas Liburnas vocant. *Eutropius. Vegetius* tamen lib. IV. cap. XXXIII. poſt Auguſti ad Actium victoriam, primum a Romanis uſurpatas Liburnicas ait. SCHOTT. Neſcio quomodo mihi arrideat correctio eorum Librorum, qui exhibent, *claſſem magis validam quam decoram.* Ita ſane omnibus litteris codex Bibliothecae Palatinae uterque. Etſi enim non admodum deſideretur in re bellica ornatus pulcritudo; eam tamen minime dedecet. Plane armorum elegantiam militibus ſuis mire laudabat Philopoemen; uti videre licet apud *Polybium* lib. XI. Hiſtor. capitulo ſeptimo; apud *Plutarchum* in vita ejusdem. Verum de hac aptitudine ſumptuoſiore, & cultu concinniore, non pauca diſſerimus ad illud *Taciti* in vita Agricolae cap. XXXII. *Ne terreat vanus adſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat.* GRUT. Scripturam illam unice probavit *Gruterus.* Ea tamen mihi, meo forſan vitio, vehementer diſplicet. Fuit illa claſſis centum ſexaginta navium & intra ſexageſimum diem quam caeſa ſylva fuit, in ancoris ſtetit. Columna Roſtrata: REMEGESQUE. CLASSESQUE. NAVALES. PRIMUS. ORNAVET. PARAVETQUE. DIEBOS. LX. ANNA. Lectionem, quam dedimus, exhibent omnes MSS. & Veteres etiam expreſſi. Neque rationem video, cur ea diſplicere queat Viris Eruditis. Quis enim negabit decore factas naves, majori facilitate agitari, & hoſtes ludificare poſſe. ut patet ex *Frontino* lib. II. Strateg. c. III. ex. 24. Vide *Stewechium* ad *Vegetium* lib. I. de Re Mil. cap. V. ARNTZ.

Fabrefecit.] Mediolanenſis *fabricavit.* SCHOTT. Quod in Mediolanenſi ſe. inveniſſe teſtatur, Noſtri quoque tantum non omnes comprobant, eamque vocem reduxerat jam olim *Machaneus*, quos ſecuti ſumus. Supra Orig. Gent. Rom. cap. IX. §. I. *Ibique navibus* fabricatis *oraculi admonitu Italiam petit. Livius* lib. XXI. cap. XXVI. *Simul perlicit donis ad naves undique contrahendas* fabricandasque. lib. XXVIII. cap. XLV. *Quae ab ſociis darentur ad novas* fabricandas *naves.* & paullo poſt *Ruſellani abietem in* fabricandas *naves. Velleius* lib. II. cap. LXXIX. §. 2. *In Averno ac Lucrino lacu ſpecioſiſſima claſſe* frabricata. *Suetonius* in Aug. cap. XVI. §. I. *Donec navibus ex integro* fabricatis. *Juſtinus* lib. II. cap. XII. §. 12. *Namque Athenienſes poſt pugnam Marathoniam ducentas naves* fabricaverant. *Lactantius* lib. VII. Div. Inſt. cap. IV. *Qui navem* fabricat, *non ideo inſumit operam.* ARNTZ.

Quas.] Quae parentheſi incluſi in quibusdam Libris abſunt. SCHOTT. Ut in omnibus Noſtris & Editione Veneta, & hoc rectius eſſe judicabat etiam *Scheffer*us de Milit. Nav. lib. II. cap. VII. & *Keuchen.* ad *Frontin.* lib. II. cap. III. ex. 24. Nam *corvos & ferreas manus* diſtingunt Scriptores, ut hoc loco male pro iisdem habeantur. *Curtius* lib. IV. cap. III. §. 24. *Validis aſſeribus*, corvos & ferreas manus, *alligaverunt.* & §. 26. Corvi *vero &* ferreae manus *tormentis emiſſae plerosque rapiebant.* Add. lib. IV. cap. II. §. 12. Bortaſſe huc pertinet *Hieronymus* lib. III. Epiſt. III. init. *Remos trabunt*, ferreas manus & uncos *praeparant, diſpoſitumque per tabulata militem ſtare firmiter conſueſcunt.* ARNTZ.

Corvus.] *Polybius.* Huic igitur parti metuentes Romani, quo ludificandi facultatem praeripiant hoſti, *corvos*, quos poſſent revocare, ſingulis aptant navibus. Ea fuit machina in hunc modum ſtructa. ligneum robur in prora deſtinabatur, longitudine quatuor ulnarum, latitudine vero trium palmorum. Super id robur tabulae inhaerentes ſcalas conficiebant, quarum erat latitudo pedum quatuor: longitudo ulnarum ſex: hae rurſus ab utroque latere genua adusque munitae erant, in harum vero extremo ferrum erat in mallei formam acutum, annulusque inſuper ſune illigatus imminentem machinam ſuſtentabat: ut ergo adhaerebat hoſtium navis, laxato ſune ſcalae dimittebantur, ferrum pondere ac vi roboris ſuper hoſtilem navem delapſum figebatur. Adagium vetus, *hic corvus eſt.* i. impudicus. nam vulgus *corvos* ore coire putat. *Mart.*

Corve ſalutator, quare fellator haberis?

Et, nec minus, trahi poſſet hoc proverbium pro

reas cum irriſu hoſtium primus inſtituit, quibus inter pugnandum
2 hoſtium naves apprehendit, qui victi & capti ſunt. Hannibal dux claſſis Carthaginem fugit, & a Senatu quaeſivit, quid faciendum cen-
3 ſerent. Omnibus, ut pugnaret, acclamantibus: Feci, inquit, & victus ſum; ſic poenam crucis effugit. Nam apud Poenos dux male re

rapaci homine, ſecundum illud Graecum, βαρυ· λίχ@· τε κόλαξ. *convus aris* (de quo ſuperius in Romulo diximus) *inſidians*. Profecto illud, nullum animal *cervo* obliviosius, verum habetur. MACH.

Manus ferreas.] Vide *Frontinum* lib. II. cap. III. Strategem. & *Polybium* lib. I. Variis enim nominibus a veteribus appellantur ferramenta, quae in proximam navem retinendi cauſſa injiciuntur. *Manus ferreas* quoque appellat *Caeſar* de Bello Civili II. *Livius* lib. XXVI. & XXXVII. ab U. C. *Plinius* lib. VII. cap. LVI. & *Qu. Curtius* lib. IV. *Livius* lib. XXX. ſic: *Poſtremo aſſeres ferreo unco praefixi* (*harpagones vocant milites*) *ex Punicis navibus injici in Romanas coepti*. Vide *Joan. Brodaeum* lib. II. cap. XXX. Miſcell. & *Gyraldum* ac *Bayſium* in Navigiis. SCHOTT. Confundit Vir Erud. *manus ferreas* & *Harpagones*, quod fecerat & *Livius* & *Curtius*, ut monuerunt recte *Scheffèrus* de Mil. Nav. lib. II. cap. VII. & *Stewech.* ad *Veget.* lib. V. de Re Mil. cap. XIV. Hiſce autem ſi navem comprehenderant ſuper tabulata quaſi terreſtri praelio decertabant. *Livius* lib. XXVI. cap. XXXIX. *Quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu, ita conſerebant ex propinquo pugnam. Cellar.* ad *Curt.* lib. IV. cap. II. §. 12. *Caeſar* lib. I. Bell. Gall. cap. LVIII. §. 4. ARNTZ.

Cum irriſu.] Illud, *cum irriſu*, alii *riſu*, ſic in Mediolanenſi conceptum erat, *primus omnium cum irriſu hoſtium inſtituit. Sic inter* &c. SCHOTTUS. *Flor.* lib. II. cap. II. *Injectae enim ferreae manus machinaeque aliae, ante certamen multum ab hoſte deriſae: coactique hoſtes quaſi in ſolido decernere.* ANNA. *Inſtituit, ſic* Leid. pr. *ſicque* Haun. *qui* Fran. *Boend.* & Veneta. ceteri nihil evariant, atque receptam etiam tuentur Editi.

Naves.] *Triginta* acceſſit ex MSS. tribus, ut illud: XIII. *merſit*, quod & *Eutropius* confirmat, & *Oroſius* libro quarto, capite ſeptimo: niſi quod unam & triginta naves numeret. In quibusdam MSS. XIV. eſt: *Polybius* lib. I. Poenos in hoc praelio I. naves amiſiſſe tradit. SCHOTT. Ex *Eutropio* hoſtium naves XXXI. apprehendit, XIV. merſit. Columna Roſtrata a *Ciaconio* ſuppleta: XXXQUE. NAVES. CEPIT. CUM. SOCIIS. SEPTEMRESMOSQUE. DUCIS. QUINRESMOSQUE. TRIRESMOSQUE. NAVES. XX. DEPRESSET. Ita edidit *Ciaconius Polybium* ſequutus, qui omnes naves, quas hoc praelio Carthaginienſes amiſerunt, quinquaginta fuiſſe atque ex ipſis XXX. captas tradit. Unde etiam ſuſpicabatur vir doctiſſimus & hic, & apud *Eutropium* pro XIII. ſive XIV. ſcriptum fuiſſe XIX. ANNA. Quae hic ex ſuis adjecit *Schottus*, non reperiuntur vel in Scriptis noſtris vel Editionibus. Et ego abeſſe debere exiſtimo, praeſertim cum hic numerus cum *Polybio* & aliis non conveniat. Quare antiquavimus. Expreſſerat ille, & cum eo Variorum Collectores: *naveis XXX. apprehendit*, XIII. *merſit, qui*. Vide quae notantur ad *Eutropium* lib. II. cap. XX. ARNTZ.

Qui victi & capti ſunt.] Addit *Eutropius*: VII. *millia hoſtium cepit, tria occidit*; quomodo illud, *qui victi & capti ſunt*, explicari debet. SCHOTT. Non male Haun. *Naves adprehendit, quo Carthaginenſes* &c.

2 *Hamilco dux.*] Lego *Annibal* ex Mediolanenſi illo vetuſtiſſimo & *Val. Max.* lib. VII. cap. III. ex. ext. 7. tametſi rem aliter paullo narret. Fuit autem Giſgonis filius, ut *Polybius* & *Zonaras* appellant, *Oroſius* ſeniorem *Annibalem* vocat. Poenus & ipſe, ſed dux infelix pr. Punico bello. *Himilconis* nulla hic mentio. Judicent docti. SCHOTTUS. *Schottus* & *Sigonius* III. 14. ſequuntur *Polybium*, qui lib. I. p. 9. Ἀννίβων nominat. SYLBURG. Hiſtoriae veritas hanc lectionem requirit, quam fide *Schotti* retinuimus, praeſertim cum Codices omnes hic varient, *Homilco, Himiclo, Aimilico* praeferentes. Haun. etiam *Amilcar*. Adde *Glareanum* ad *Valer. Maximum* lib. VII. cap. III. ex. ext. 8. ARNTZ.

Claſſis Carthaginem.] Pariſinus *Claſſis Carthaginienſium*. Non ſatis placet. SCHOTT.

Cenſerent.] *Cenſeret* Leid. pr. & *Boend.*

3 *Poenam crucis effugit.*] Aliter paullo haec narrat *Oroſius* libro quarto, capite octavo: qui quod infeliciter pugnaſſet a ſuis lapidibus coopertum interiiſſe ſcribit. *Polybius* vero & Epitome *Liviana* lib. XVII. a ſuis militibus in crucem ſuffixum referunt. Vide *Marcellinum* lib. XVIII. de more Burgundionum in puniendis regibus, qui non ſatis

re geſta puniebatur. Duilio conceſſum eſt, ut praelucente funali, 4
& praecinente tibicine, a coena publice rediret.

tis proſpere pugnaſſent. SCHOTT. Anno ſequenti a Scipione victus in crucem actus eſt. ANNA. Ad hunc morem reſpicit *Livius* lib. XX. cap. ult. *Cui, ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, nihil recuſandum ſupplici foret.* Sed haec agendi ratio minime eſt laudanda, cum eo modo optimis ſaepe ducibus deſtituatur Reſp., qui, ſi res infeliciter cecidit, potius ad alios tranſire quam in Patriam reverti malunt. Praeterea ſaepe eripitur bene gerendae rei occaſio, cum illi ſe periculo exponere non audeant, timentes cum calamitate conjunctam ignominiam. Laudabilius eſt eorundem inſtitutum, cujus meminit *Liv.* lib. XXXVIII. cap. XLVIII. *Ut in crucem tollerent Imperatores, ſi proſpero eventu pravo conſilio rem geſſiſſent.* & *Valer. Maximus* lib. II. cap. VII. ex. ext. 1. Porro de interfectis Carthaginienſium Ducibus, qui infeliciter pugnaverant *Oroſius* lib. IV. cap. IX. *Asdrubal cum paucis Lilybaeum profugit, atque abſens a Poenis capitis damnatus eſt.* & *Juſtinus* lib. XVIII. cap. VII. §. 2. ARNTZ:

4 *Praelucente.*] *Cicero* Cat. majore: *C. Duilium M. F. qui Poenos claſſe primus devicerat, redeuntem a coena ſaepe videbam puer: delectabatur crebro funali & tibicine, quae ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat.* Sic enim rectius legi quam *cereo funali*, quod ex *Val. Max.* lib. III. cap. VI. quidam repoſuerant, *Carolus Langius* docuit, vir ſi qui alius, emendandis auctoribus natus, nuper immatura morte praereptus: numquam enim matura mors eorum qui bene de R. P. mereri ſtudent. Idem autem refert de Duilio *L. Annaeus Florus* hiſtoriae Romanae lib. II. & Epitomarum T. *Livii* auctor lib. XVII. aliique. *Plinius* lib. XXXI. cap. I. SCHOTT. Hujusmodi aberrationes non indecore eis indulgeri, qui Reipublicae haud tralatitiam navarunt operam, abunde oſtendi ad Aſinii verba apud *Tacitum* libro II. Annal. cap. XXXIII. *Diſtinctos Senatus & Equitum cenſus; non quia diverſi natura, ſed ut locis, ordinibus, dignationibus antiſtent, taleque ad requiem animi, aut ſalubritatem corporum parentur, niſi forte clariſſimo cuique plures curas, majora pericula ſubeunda; delinimentis curarum & periculorum cavendum eſſe.* GRUT. *Caſaubonus* ad *Suetonium* Caeſ. cap. XXXVII. & *Barthius* lib. XXXIV. Adv. cap. IX. *perlucente* ſolito errore Leid. pr.

Funali.] i. cereo e *funibus* contexto. MACH.

Publice.] *Publica* libri vetuſti. Non ſatis placet. SCHOTT.

CAPUT XXXIX.

ARGUMENTUM.

Adverſus Carthaginienſes dux miſſus ex civitatibus - - - - hoſtilia praeſidia dejicit, Panormum capit, hoſtium claſſem ſuperat, a Poenis in anguſtiis clauſus a Calpurnio Flamma liberatur & triumphat A. Atilius Calatinus.

Atilius Calatinus dux adverſus Carthaginienſes miſſus, maximis 1
& munitiſſimis civitatibus, Enna, Drepano, Lilybaeo, hoſtilia

1 *Atilius.*] Variatur in Scriptis, aliis *Attilius*, aliis *Atilius* praeferentibus, ſed hoc verius eſt, cum ita in Marmoribus & Nummis exprimatur, quorum Auctoritatem ſecuti ſunt Viri Litteratiſſimi. Vide Cl. *Jac. Gronov.* ad *Livium* lib. XXX. cap. XLIII. Viros doct. ad *Val. Maximum* lib. IV. c. IV. exem. 6. Celeb. *Burmannum* ad *Quintil.* lib. IV. Inſt. Orat. cap. II. p. 317. *Schultingium* ad *Ulpian.* tit. XI. §. 18. & *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. XX. & lib. II. cap. II. §. 17. Atque hanc Scripturam hodie ſequuntur optimae Editiones, ut apud *Cicer.* lib. II. de Nat. Deor. cap. XXIII. Ubi male *Lambinus*, *Attilio.* Orat pro Plancio cap. XXV. de Senect. cap. XVII. *Livii*

2 lia praesidia dejecit. Panormum cepit. Totam Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem, duce Hamilcare, superavit.

vii Epist. XVII. & XIX. *Gell.* lib. IV. cap. III. *Vell. Paterc.* lib. II. cap. LIII. fine. & *Gruteri* Inscr. p. 1043. num. 1. *Orosium* lib. IV. cap. X. ubi MS. tamen *Attilius*, quomodo hodie etiam editur apud *Eutropium* lib. II. cap. XXI. *Frontin.* lib. I. cap. V. ex. 15. & lib. IV. cap. V. ex. 10. *Justinum*, ceterosque quamvis minus accurate. Unde apparet peccare JCtos, qui *Atilianum tutorum* dicunt, qui *Atilianus* appellandus erat. Porro quod pleraeque Editiones expresserant *dux Romanorum* vocem hanc secundam ignorant omnes Scripti & Veneta. ARNTZ.

Calatinos.] A calando dictos docet *Fulvius Ursinus* Romanus Notis ad Orat. *Cic.* pro P. Sextio. SCHOTT.

Dux Romanorum.] Forte ex Fastis videatur *Consul* legendum. *L. Ann. Florus* male *Dictatorem* ait fuisse. IDEM.

Missus.] Anno ab U. C. 494. ANNA.

Ex maximis.] Vulgati sine praepositione. *L. Ann. Florus: Fere omnia praesidia Poenorum Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybaeo detraxit.* SCHOTT. Sic legere jubent Codd. manu exarati & vetustae Editiones, nescio unde, receperat *Schottus* & posteriores *ex maximis*, quasi verbum *dejicere* semper praepositionem requireret. *Cicero* Orat. VIII. Phil. cap. II. *Cujus praesidium Claterna dejecit Hirtius.* & Act. I. in Verrem cap. VIII. *Si me Aedilitate dejecissent. Symmachus* lib. X. Epist. LVIII. *Qui se dejectum possessione quaestus est. Valer. Flaccus* lib. III. vers. 594.

- - - Nunc ad ripas, dejectaque saxis
Flumina.

Seneca Thyest. vers. 803. *Vellejus* lib. II. cap. XXIV. §. 2. & l. 15. §. 23. ff. de Damno infect. ARNTZ.

Aena.] Urbs est Siciliae ad differentiam *Aetnae* montis. *Valerius Maximus* de cultu deorum, *Aenam, quoniam ejus sacra inde orta credebant, quindecim viros ad eam propitiandam miserant.* licet alii etiam *Aethnam* legant. MACH. Vulgati *Aetna* quasi *Aena* subjiciunt: In uno MSC. *Herna*, in Mediolanensi *Aenna* scriptum reperi. *Strabo* lib. VI. & *Stephanus* sine diphthongo. *Aetna* autem etiam urbs in Sicilia est *Plinio* tertio & quarto libris. SCHOTT. Propositio *ex* abest a vulg. libris in iisdem seq. versu *Aetna* est pro *Enna*. quae cum ambae inter mediterranea Siciliae opida numerentur a *Ptolomaeo*, ac potius maritimum opidum hic cum Drepano & Lilybaeo requiri videatur, fortasse *Catina* vel aliud opidum maritimum pro illis ab Auctore scriptum fuit. *Florus* sane illorum loco numerat *Agrigentum, Panormum, Erycem*, 390, 50. *Ennam* tamen legit hic etiam *Sigonius* supra 113, 30. in inclusis, quae sequuntur, *interpolata* esse, notat idem *Sigonius* ibidem, vers. 45. SYLB. *Ennam* recepimus, invitis etiam, quod tamen non libenter facio, omnibus Scriptis & Editionibus antiquioribus, qui *Etnam* vel *Ethnam* scribebant. Sed Atilium Calatinum *Ennam* urbem cepisse ex *Polybio* tradit Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 12. *Aetna* autem nullo modo etiam inter *maximas & munitissimas* Siciliae *Civitates* recenseri potest. Et tanto excusatius hic me *Ennam* scribere existimo, cum nihil frequentius sit apud Librarios, quam *Ennam*, talem enim urbem illi ignorabant, in *Aetnam* transmutare. Apud *Solinum* cap. V. *Ibidem campus Aetnensis in floribus semper.* & non multo post: *Purpureum Aetna mittit.* Sic edidit *Gryphius*, sed rectius *Salmasius*, *Ennensis* & *Enna*, vel potius, ut excerpta MS. Codicis apud me, *Hennensis* & *Henna*. quod etiam praefert in notis *Salmasius*. Vid. *Torrent.* ad *Val. Maximum* lib. I. cap. I. exem. I. Similia apud *Schottum* ad *Melam* lib. II. cap. VII. *Bernecc.* ad *Justinum*. lib. XXII. cap. I. §. II. *Cioſanum* ad *Ovid.* lib. II. ex Ponto Ep. X. vers. 25. Nob. *Heinſium* ad *Claudian.* lib. II. de Rapt. Pros. vers. 72. & lib. III. vers. 220. *Munckerum* ad *Hyginum* fab. CXLVI. Et, qui alia collegere *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. vers. 93. *Dukerus* ad *Florum* lib. II. cap. XIX. §. 8. & *Oudend.* ad *Lucanum* lib. VI. vers. 740. ARNTZ.

Drepanum.] Urbs in modum falcis (nam δρέπανον Graeci falcem dicunt) famosa est Anchisae morte. MACH. *Drepanum* Siciliae promontorium, & urbs versus Occidentem. ANNA.

Lilybaeum.] Triquetra Sicilia habet Pelorum Italiam versus. Pachynum Graeciam, *Lilybaeum* Africam. MACH. Promontorium & urbs non longe a Drepano meridiem versus. ANNA.

Panormum.] Oppidum, unde *Panormitano* Jurisconsultissimo perductio. MACH.

2 *Totam Siciliam.*] Μπεριοδικὸν ἀμάρτημα priscis scriptoribus familiare. non enim ab A. Atilio Consule, sed insequentis Anni CDXVI. C. Atilio Regulo praelium navale pugnatum est. Fefellit auctorem & nominis, & temporum affinitas. SCHOTT.

Magnam hostium classem.] *Polybius.* Nactique in medio hostes frequentes, eorum naves plenas capiunt, reliquae in littus adactae franguntur. Romani

vit. Sed cum ad Camarinam ab hoſtibus obſeſſam feſtinaret, a Poe- 3
nis in anguſtiis clauſus eſt, ubi Tribunus militum Calpurnius Flamma acceptis trecentis ſociis in ſuperiorem locum evaſit, Conſulem libe-

mani tribus maximis praeliis hoſtibus ſuperatis ubique victoria potiti fuerunt; fractae ſunt in his praeliis Romanorum naves quatuor & viginti, Carthaginienſium vero ſupra triginta, plena autem nulla a Carthaginienſibus capta, ipſorum vero quatuor & ſexaginta Romani plenas cepere. MACH.

3 *Ad Camarinam.*] MSS. fere *Cathynam*, vel *Catinam*. Pariſinus inde ſcribit, *ad Cecinam hoſtibus obſeſſam*. *Camarinam* libri veteres ſcribunt prima vocali in ſecunda ſyllaba, & Graeci *Strabo*, *Stephanus*, *Polybius*: Vide *Servium* in III. Aeneidos: *Apparet Camerina procul* &c. *Erasmi* Chiliades. SCHOTT. Duo MSS. *ad Catinam*. Sed *Camerinam* ſeu *Camerinenſem ſaltum* agnoſcit hic etiam *Florus* lib. II. cap. II. cur autem *Camerina* per *e* latine ſcribi ſoleat, cum Graeci Καμαρῖνα vocent, ibidem expoſui. De *Calpurnio Flamma* meminit praeter *Livium* etiam *Plinius* lib. XXII. cap. VI. *Agell.* lib. III. cap. VII. & *Frontinus* Strat. lib. I. cap. V. SYLBURG. Variis modis haec corrumpere aggreſſi ſunt Librarii. *Cum Cecinam* Leid. ſec. *Gramm.* & *Boend. Cum Catetinam.* Fran. *Cum Cecinam* Leid. pr. *Cumam* vero Haun. Mira varietas, in urbe praeſertim non ignobili, & in quam conſentiunt reliqui Auctores, qui hanc Hiſtoriam tradidere. Ceterum *Schottus* ſcribere maluit *Camarinam*, Graecorum morem ſecutus, & ſic cum Nob. *Heinſio* ad *Silium* lib. XIV. verſ. 198. Cel. *Drakenborchius*. Verum *Camerina* conſtanter editur apud *Ovidium* lib. IV. Faſt. verſ. 477. *Oroſium* lib. IV. cap. VIII. atque alios, ut facile inducar, utroque modo extuliſſe Latinos. Vide *Dausquium* Orthogr. part. II. p. 73. & Cl. *Graevium* ad *Cicer.* lib. VIII. ad Att. Epiſt. XII. Apud *Virg.* lib. III. Aen. verſ. 701. in Codice ſcripto inveni *Cimarinam*. In ſimilibus vocibus promiſcue *a* & *e* adhibere Veteres ut in *camara* & *camera* obſervat ad *Salluſtii* Catilinam cap. LV. §. 4. Eruditiſſimus *Cortius*. ARNTZ.

Tribunus militum.] *Florus* lib. II. c. II. *Trepidatum eſt ſemel circa Camarinienſium ſaltum: ſed eximia virtute Calpurnii Flammae Tribuni militum evaſimus, qui lecta trecentorum manu inſeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupavit, adeoque moratus hoſtem, dum exercitus omnis evaderet.* ANN.

Calpurnius Flamma.] Sic a *Livio* quoque lib. XXI. Tribunus nuncupatur. *M.* praenomen in *Liviana* Epitoma & in *Plinio* lib. XXII. cap. VI. *M. Cato* in Originibus *Q. Ceditium* vocat. Cl. *Quadrigarius* Annal. III. *Laberium*. Tu lege *Agell.* lib. III. cap. VII. ubi cum quadringentis militibus in hoſtem pugnaſſe Tribunum refert ex Carone illo. Vide & *Frontinum* lib. I. SCHOTTUS. Eadem *Fabricius* ad *Oroſium* lib. IV. cap. VIII. & *Freinsh.* ad *Florum* lib. I. cap. II. §. 13.

Sociis.] Ex MSS. eſt, & qui ſequitur orationis ambitus aliter paullo a nobis interpolatus ex libris antiquis. SCHOTT. Contra conſenſum tamen omnium apud nos Codicum & Editionum. Sed hac in voce facile *Schotti* Emendationem, quam ex Scriptis eſſe profitetur, potuimus admittere, in ſequentibus non item. Ibi enim repoſuerat *inventus eſt*. *Senatus*, cum antea ederetur *inventus & ſanatus*. Quod ideo non videtur toleraſſe, quia in praecedentibus ſcriptum erat, Calpurnium *cecidiſſe* cum ſuis, adeoque, ut putabat, in praelio eum occubuiſſe. Sed fallitur Vir Eruditiſſimus, cum *cadere* etiam alibi dicatur de illis, qui in pugna gravi vulnere affliguntur, quamvis vivi in caſtra referantur. *Livius* lib. XXI. cap. VII. *Hannibal ipſe, dum murum incautius ſubit, adverſum femur tragula graviter ictus* cecidit. Hannibalem tamen eo vulnere non periiſſe triſtia Romanae Reip. fata docuerunt. Idem *Livius* lib. XXXVIII. cap. XLVII. *Q. Minucius Thermus cum multis Viris fortibus* cecidit. Quem tamen in ipſo praelio mortuum non fuiſſe, ſed grave vulnus accepiſſe patet ex cap. ſeq. XLIX. *Ne ex vulnere Vir fortis ac ſtrenuus Q. Minucius moreretur. Corn. Nepos* in Eumene cap. IV. Cadit *Craterus dux & Neoptolemus, qui ſecundum locum imperii tenebat.* Atqui in ipſa pugna non fuiſſe interfectum conſtat ex ſequentibus ejusdem capitis: *Eumenes Craterum, ex acie ſemivivum elatum, recreare ſtuduit. Juſtinus* lib. VI. cap. VIII. §. II. *Nam ut relatus in caſtra* ſemianimis *vocem ſpiritumque collegit, id unum a circumſtantibus quaeſivit, num* cadenti *ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis.* Hoc cap. praec. §. II. *Graviter vulnerari* dixerat. *Ammianus Marcellinus* lib. XXV. cap. III. p. 454. Ubi de Juliano letali vulnere accepto: *quod perçunctando Phrygiam appellari locum, ubi* eciderat, *comperit. Iſcanius* lib. IV. de Bello Troj. verſ. 402.

- - - Tune bis ullum
Percuties hoſtem? quisquis vel ſentit Achillem,
Sufficiat cecidiſſe *ſemel: tua fulmina paſſus*
Alterius non mortis eget.

liberavit; ipse cum trecentis pugnans cecidit. Postea ab Atilio semianimis inventus & sanatus magno postea terrori hostibus fuit. 4 Atilius glorioſe triumphavit.

Quo loco vellem legere: *vulnera passus*, id est, vulnera a te illata. *Vulnera pati Ovidius* Epist. 11. Her. vers. 48. lib. 11. Am. El. XIV. vers. 3. & alibi. Similiter alia verba, quae vulgari significatione mortem designant, de gravioribus vulneribus & plagis exponenda sunt. *Seneca* lib. 1. de Clem. cap. XIV. *Equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, Populus in foro graphiis* confodit. illum autem non interfectum sed a Caesare morti ereptum esse ibidem sequitur. Adi ad illum locum *Lipsium*. *Caesar* lib. III. Bell. Gall. cap. v. §. 2. *Quem Nervico praelio compluribus* confectum *vulneribus diximus*. Ille tamen postea & vixit & res fortiter gessit, ut sequentia *Caesaris* verba indicant. Non debuerat igitur hoc loco quidquam mutare *Schottus*, praesertim cum nemo sanior Historicus unquam dixerit de Rep. Romana: *Senatus terrori hostibus fuit*. Talia offendunt aures & ineptias produnt. Neque verum est Calpurnium periisse, cum unanimis sit Historicorum consensus, eum amissis ceteris evasisse. Nec offendere debet repetitio vocis *postea*, cum multa talia apud Nostrum sunt obvia. Sic hac paragrapho bis *trecentis* scripsit. Vid. ad cap. XXXIV. Hasce ob causas non dubitavimus exprimere ut est in omnibus MSS. & Editionibus *inventus & sanatus*. Solus *Machaneus*: *inventus est & sanatus*. ARNTZ.

4 *Triumphavit.*] De *triumpho* quod extremo hoc capite dicitur, ad Cajum Atilium Regulum puto pertinere. Navalem enim egisse in Fastis Capitolinis scalptum video, probaturque auctoritate *P. Orosii*, *Zonarae*, & *Polybii*. Hinc *Plinius triumphalem aratorem* appellat, *Valerius triumphalis currus habenas* eum tractasse tradit. Primus in sua gente *Serranus* dictus, quod ferentem in agro lictores, qui ad magistratus vocabant, invenissent. *Cicero* pro Roscio. *Val.* lib. IV. *Plinius* lib. XVIII. *Appulejus* in Apologia. *Triumphi* tamen iidem Capitolini, etiam de Calatini *triumpho* ejusdem Anni de Poenis loquuntur. SCHOTT. Triumphavit anno sequenti post Consulatum. ANNA. Quae hic de triumpho scribit *Schottus*, satis refelluntur e nummo apud Illustr. *Spanhemium* de Usu Num. Diss. x. p. 215. In quo junctae Elephantis quadrigae occurrunt cum hac inscriptione A. ATIL. A. F. C. N. Inde praeterea confirmatur non *Attilium* sed *Atilium* scribi oportere. De illo triumpho & aliis in hoc capite locis agit quoque *Pighius* tom. II. Ann. p. 33. ARNTZ.

CAPUT XL.

ARGUMENTUM.

Sallentinis fusis triumphat, classem in Africam trajicit, naves, oppidaque & homines capit, capitur, conditionem de permutandis captivis Romam missus in Senatu dissuadet, Carthaginem regreditur, & in arcam ligneam conjicitur M. Atilius Regulus.

1 Marcus Atilius Regulus Consul, fusis Sallentinis triumphavit; primusque Romanorum ducum in Africam classem trajecit. Ea quas-

1 *Atilius.*] Simplici tau Fasti. SCHOTT. *Not. Min.*

Regulus.] De quo *Florus* epitome decima septima plura scribit: *conquestum esse in Senatu Regulum per literas, quod agellus ejus a mercenariis devastaretur*. MACH.

Consul

quaſſata de Hamilcare naves longas tres & ſexaginta accepit. Oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepit. Abſente eo, conjugi

Conſul.] Secundum Anno Mundi 3694. ANN.
Fuſis.] Ann. Mundi 3683. ante C. N. 265. ab U. C. 486. Vid. *Flor.* lib. I. cap. XX. EAD.
Sallentinis.] Populi ſunt Apuliae. *Virgilius:*

Et Sallentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Addit *Polybius:* per hoc tempus apud Bagradam fluvium caſtra habens Marcus Atilius ſerpentem horrendae magnitudinis apud ripas ejus fluminis ſtabulantem baliſtis, & catapultis oppugnatum occidit, cujus poſtea corium Romam delatum viginti pedum longitudinem habuiſſe quidam memoriae prodiderunt. MACH. Liquida repetita ſcribunt Faſti Capitolini & MSS. omnes. SCHOTTUS. Simplici *l* tamen plerique ex Noſtris, ſed melius geminatur, qua in re cum aliis ſequor Clar. *Drakenb.* ad *Silium* lib. VIII. verſ. 575. cum ita in antiquis monumentis occurrat. Hujus triumphi & alii meminere apud *Pighium* tom. I. Ann. p. 457. ARNTZ.

Primus Romanorum.] *C. Tacitus* C. Duilium *primum* facit, qui in Africam trajecerit. SCHOTTUS.

Claſſem trajecit.] *Claſſe traicit* MSS. quomodo nono ab hinc capite loquutus eſt. SCHOTTUS. Melius, *claſſe trajecit*, ut in MSS. ANNA. *Claſſe* quoque quatuor Scripti, ſed melius veterem lectionem tuentur duo reliqui & Editiones omnes. Facilis eſt lapſus, cum littera *m* in MSS. fere ſcripta lineola notari ſoleat, quae ſaepiſſime a properantibus fuit neglecta, praeſertim ubi neſcirent recte etiam dici *trajicere claſſem*, pro quo ipſi ſaepius audierant *claſſe* trajicere. Sed hujus locutionis vel ſolus *Livius* ſatis magnam dabit exemplorum copiam lib. XXI. cap. XLI. *Licuit* claſſem *victricem in Africam* trajicere. lib. XXII. cap. XXVII. Claſſem *in Africam* trajiceret. lib. XXVIII. cap. VI. Claſſemque *inde ad Cynum Locridis* trajecit. cap. XXXVI. *Jubere Senatum, ut* claſſem, *quam Gadibus haberet, in Italiam* trajiceret. lib. XXX. cap. XXVII. *Ut quinquaginta navium* claſſem *in Africam* trajiceret. & lib. XXXVII. cap. IX. *Mox abydum* trajecta claſſis. *Tacitus* lib. II. Ann. cap. LXXVIII. Trajectisque *in continentem* navibus. Eadem locutio reſtituenda inſ. cap. XLIX. *Concedente Collega in Africam* claſſem trajecit. Sic volunt MSS. ARNTZ.

Ea quaſſata.] Ita ex MSS. corrige. Vulgata enim *quaſſatas duce Hamilcare* falſum ſenſum continet, ſi ipſe Latine intelligo. *Eutropius* enim, & de Graecis *Polybius* Romanos XXII. naveis amiſiſſe, hoſtium vero LXIV. depreſſiſſe, partim cepiſſe, diſerte ait. SCHOTT. Variis modis haec a deſcriptoribus ſunt corrupta, quarum ineptias adſcribere non pigebit, ſi quis forte melius quid conjiciat. Fran. *aquaſſatas de. Boend. aquaſſata de.* Leid. pr. *aquata de.* Haunienſis: *cum qua de.* Leid. vero ſec. & *Gramm.* neglectis duobus prioribus tantum habet *de Amilcare.* Editio Ven. *Quaſſatas de*, reliquae *quaſſatas duce.* Ego ſatis firmiter mihi perſuadeo; veram leſtionem vidiſſe *Schottum. Quaſſari* namque dicitur claſſis, quae ſaevis jactatur tempeſtatibus. *Livius* lib. XXX. cap. XXXIX. *Multae quaſſatae armamentisque ſpoliatae naves. Virg.* lib. I. Aen. verſ. 555.

Quaſſatam liceat ventis ſubducere claſſem.

Seneca Otio Sap. cap. XXX. *Quomodo navem quaſſam non deduceret in mare. Claudianus* Bell. Gild. verſ. 491.

Quaſſatis cupio tellurem figere roſtris.

Apulejus lib. II. Metam. p. 220. *Navis ipſa, in qua vehebamur, variis turbinibus procellarum quaſſata. Iſcanius* lib. VI. de Bell. Troj. verſ. 905.

In ſcopulos projecta perit; quin fulmine quaſſa
Regia, qua vectus Ajax, ratis.

Eo loco *flamine* legendum erit, *quati* enim *fulmine* non poteſt navis; quomodo peccatum apud Pſeudo *Catonem* lib. II. diſt. 7.

Tuta mage eſt puppis, modico quae flamine fertur.

Hodie circumfertur *flumine.* Eodem, uti nos apud *Iſcanium* modo, *Silium* neſcio an e MS. emendat docta manus, quae apparet in Editione principe, quam moriens Academiae Leidenſi legavit Cl. *Perizonius* lib. IV. verſ. 325.

Nunc huc alterno, nunc illuc flamine quaſſant.

Eſt in Editis *geſtant.* Sed illud non abſurdum. *Oroſius* lib. VI. cap. II. fine. *Ipſe cum quaſſata jam navi mergeretur. Dict. Cretenſis* lib. VI. cap. VII. *Apud Moloſſos naves quaſſatas tempeſtatibus reficit.* Adde *Gronov.* ad *Senec.* de Brev. Vitae cap. X. *Cioſ.* ad *Ovidium* lib. IV. Triſt. El. VIII. verſ. 17. & alios. ARNTZ.

Sexaginta.] XL. Leid. ſec. & Haun.
Accepit.] Lege: *cepit.* ANNA.
2 Oppida.] Simplici *p* ſcribo, juxta analogiam ab *ὠφε*, & *Varronem*, *Ciceronem* lib. II. de Gloria, alios denique libros veteres. SCHOTT. *Not. Min.*

Ducenta.] Hoc *διάφορον* videtur. *Eutropius* enim *ſeptuaginta treis* duntaxat urbes *in fidem Romanorum*

3 jugi ejus & liberis ob paupertatem sumptus publice dati. Mox arte Xanthippi Lacedaemonii mercenarii militis captus in carcerem 4 missus. Legatus de permutandis captivis Romam missus, dato jurejurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret, in Senatu conditionem dissuasit, rejectisque a se conjuge & liberis, Carthaginem

rum acceptas refert. *Orosius* vero lib. IV. cap. VIII. *opida octoginta duo in deditionem cessere Romanis, Carthaginiensium sunt caesa* XVII. M, *capta* V. M, *elephanti* XVIII. *abducti.* & *L. Ann. Florus* lib. II. *trecenta & amplius castella vastata.* Fides sit penes auctores: nec mirum victos eos & captos, qui vincendo defatigarentur. SCHOTT.

Ducenta millia.] In vestigiis veteris scripturae mendum, aut potius mendacium prodigiosum odoratus sum: Ego *vicena millia hominum* aut *tricena* scripsisse credo. unde *ducenta millia* rotundo numero facta, quod totidem opida capta fuisse diceret. *Eutropius quinque* tantum *millia cum octodecim elephantis copisse* ait, *octodecim millia ad internecionem cecidisse*: Collegam vero Romam revocatum *L. Manlium Vulsonem*, victorem in triumphum duxisse septem & viginti millia captivorum, anno post R. C. CDXVII. IDEM. Numerus satis amplus, sed si maximas Carthaginiensium clades, quas a Regulo acceperunt, cogitemus, non est, ut quidquam contra MSS. fidem inmutemus. Omnes enim testantur ad internecionem caesos & ad ultima redactos fuisse Carthaginienses. *August.* lib. III. de Civ. Dei c. XVIII. *Qui etiam ipsum primum bellum punicum cum fecisset* (lege *confecisset.*) *nisi aviditate nimia laudis & gloriae duriores conditiones sessis Carthaginiensibus imperasset.* ARNTZ.

Conjugi ejus.] *Ejus* iterum in pristinum locum reduximus, quod rejecerat *Schettus*, invitis nostris Codd. & Editt.

3 *Mox.*] Anno sequenti. ANNA.

Xanthippi.] Libri veteres *Xantippi* praeferunt. De *Xanthippo* V. *Vegetium* initio lib. III. SCHOTTUS. Nonnulli quidem MSS. sine adspiratione, sed derivationis ratio aliter postulat. Confer *Dausquium* Orthogr. part. II. p. 339.

Mercenarii.] Libri veteres *mercennarii* duplici *n* praeferunt. SCHOTT. Torquent hic se Viri docti, quomodo *Mercenarium militem* potuerit dicere quem alii *ducem* faciunt. Offendebat hoc *Stewech.* ad *Vegetium* prol. lib. III. Sed illa non videntur pugnare, nam potuit esse ille mercenariorum dux, ita ut non fuerit quidem gregarius miles sed tamen mercede conductus. Carthaginienses enim inter suas copias habere solebant magnam mercenariorum manum. *Corn. Nepos* Hamilc. cap. II. *Primo mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt. Livius* lib. XXVI. cap. XLIII. de Carthaginiensibus: *Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alunt.* lib. XXVII. cap. V. lib. XXVIII. cap. XXX. & XLIV. Rarius hoc Romani fecerunt & quidem primum bello punico secundo. Epit. *Livii* XIV. Porro de Xanthippo quid fuerit non convenit inter Scriptores. Vide *Fabricium* ad *Orosium* lib. IV. cap. IX. & Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. II. §. 23. ARNTZ.

4 *Legatus.*] Alii scribunt duos *legatos* de permutandis captivis missos. MACH.

De permutandis captivis.] Videndus *Cicero* in extre. III. Offic. in paradoxis & in Pisonem, *Livius* lib. XVIII. *Eutropius* lib. II. *Val. Max.* lib. I. cap. I. *Appianus* & *Agellius* lib. VI. cap. IV. diverse tamen ex *Tuberone* & *Tuditano.* de Poëtis *Silius* lib. VI. & *Horatius* eleganti Oda V. lib. III. Carm. & ibi pluribus *Laev. Torrentius.* SCHOTT. *Cicero* lib. I. de Off. cap. XII. & *Claudian.* Bell. Gild. vers. 78.

Romam missus.] Bene habet, quod deperdito *T. Livii* Punico bello, *Polybius* scriptor gravissimus nobis relictus: Is lib. I. ante Metelli victoriam, Regulum *Romam missum* ait. idem libri XVIII. *Livii* Epitome confirmare videtur; quod moneo propter eos qui Fastos Consulares digesserunt. Hi enim victos Poenos id fecisse affirmant, Anno IDII. IDEM.

Ut si non impetrasset, ita demum. - - - -.] In MSS. paullo aliter. *Ut si impetrasset, ita demum non rediret.* Nihil interest. IDEM.

Ita.] Hujus vocis frequens usus in jurejurando. ANNA.

Conditionem dissuasit.] Asserens venenum temporarium a Carthaginiensibus sibi datum, ut permutatio nulla fieret. MACH. *Permutationem.* Leid. pr.

Rejectis.] *Rejicere* est morbosum aliquid, ac displicens ablegare. Inde oves *reiculae* dictae. MACH. Vid. *Cicer.* Offic. III. Et *Horat.* Od. III. lib. V. ANNA.

A se.] MSS. *ab amplexu* habent. SCHOTT.

Regres-

nem regreſſus; ubi in arcam ligneam injectus, clavis introrſum adactis, vigiliis ac dolore punitus eſt.

Regreſſus.] Non ignarus ad quos crudeles hoſtes reverteretur. MACH. Haec verba ſunt *Val. Maximi* lib. 1. cap. 1. exem. 14. ubi tamen varie legitur. *infeſtos hoſtes*, *infeſtos Deos*, *infeſtos poenos*. Quid ſi ſcripſeris *infeſtas poenas?* ARNTZEN.

Arcam ligneam.] Hiſtoriae *Gellii*, *Valerii* & *Ciceronis* hujus patientiam miris laudibus ac praeconiis extollunt, ubi *Gellianum* illud non tacebo, poſitum eſſe in vaſe muricibus i. lapillis, acutis, ſeu ferreis ſtimulis, quales ſunt ſpinae muricum piſcium: cogebaturque interdiu aciem oculorum defatigare in radiis ſolaribus perpendiculariter inſpiciendis, noctu vero ne dormiret, pervigilio exagitabatur. MACH. *Seneca* de Tranq. Animi cap. XV. *Aut regulum, quod tot clavis configitur.* Et quae plura de diſſenſu auctorum poenam illam Reguli narrantium collegere Viri, quibus mecum multa debent litterae, *Drakenb.* ad *Silium* lib. VI. verſ. 539. & *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. 11. §. 23. cum *Coquio* ad *Auguſt.* lib. 1. de Civ. Dei cap. XV. *injectus* Leid. uterque, *Boond.* & Haun. *ejectus* Fran. Editi vero *conjectus*. ARNTZ.

Actis.] Vulgati *adactis*. SCHOTT. *Adactis* tamen omnes Scripti & Editi, nec ulla mutatione opus eſt. *Seneca* de Vita Beata cap. XIX. *In quas unusquisque Veſtrum* clavos *ſuos ipſe* adigit. ARNTZEN.

CAPUT XLI.

ARGUMENTUM.

Adverſum Poenos profectus Poenorum naves deprimit aut capit, & Poenis pacem petentibus concedit Qu. Lutatius Catulus.

Quinctus Lutatius Catulus primo Punico bello trecentis navibus 1
adverſum Poenos profectus, ſexcentas eorum naves commeatibus

1 *Cajus.*] Hactenus *Qu.* praenomen fuit, quo nomine frater *Caji* appellatus, qui inſequenti Anno fratris Conſulatum excepit, Anno DXII. Mirum ergo non eſt, ſi aut temporum, aut literarum *C.* & *Q.* cognatione falſi ſint vel librarii: vel potius auctor ipſe, quod uni omnia tribuat, cum tamen plerique Romanae rei ſcriptores victoriam & triumphum navalem *Cajo*: pacem vero Poeno datam *Quincto* adſcribant, qui & de Faliſcis triumphavit, ut Triumphales tabulae prodiderunt. *Cornelius Nepos* etiam in Amilcaris vita *Cajum* nominat, quo confidentius ita Scripſi. SCHOTT. *Quinctus* tamen retinent omnes ſcripti cum Editt. Facilius eſt conjicere errorem eſſe ipſius Auctoris, qui duos inſequentes Conſules confuderit. Anno enim U. C. DXI. *C. Lutatius* fuit Conſul, Anno DXII. *Quinctus*.

Lutatius.] Eaedem tabulae & MSS. libri ſine e ſcribunt, uti & *Amilcar*, *Anno*, *Annibal*, absque aſpiratione, quos libenter ſequor. In Mediolanenſi & uno MSC. praenomina afuerunt, quae in Romana hiſtoria fere corrupta ſunt. SCHOTT. *Lucatius* vel *Luctatius* MSS. Sed veram ſcripturam ſuo jure vindicavit doct. *Boſius* ad *Nepotem* Hamilc. cap. 1. & *Pighius* tom. II. Ann. p. 63. Quamvis ille *Luctatium* admitti etiam poſſe cenſeat. ARNTZ.

Catulus.] Coſſ. cum A. Poſtumio Albino, Ann. Mundi 3707. ante C. N. 241. ab U. C. 510. belli Punici 23. ANNA.

Primo Punico bello.] De quo ſic *Polybius*. Quamobrem ubi pugnari coeptum eſt, confeſtim, ut par erat, a Romanis ſuperantur, centum viginti naves in ea pugna Carthaginenſes amiſere: harum duaedequinquaginta ſummerſae, fractaeque ſunt, reliquae vero captae; fugientibus ex praelio plurimum opitulata eſt venti ſubita mutatio: qui ſtatim poſt fugam contrario, quam prius impetu flare coepit: itaque velis ſublatis, curſum ſequentium antevenere, & ad Hieronenſum, unde prius ſolve-

tibus & aliis oneribus inpeditas, duce Hamilcare apud Aegates, insulas inter Siciliam & Africam, depressit, aut cepit, finemque
2 bello inposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, Sicilia, Sardinia, & ceteris insulis intra Italiam Africamque decederent, Hispania citra Hiberum abstinerent.

C A-

solverant, se ex fuga receperunt, Consul post praelium cum tota classe Lilybaeum rediit, ibi laudatis, donatisque militibus, caetera intento studio persequebatur. Carthaginienses, ubi superatum Hannonem, profligatamque classem intellexere, praeter spem tanta clade percussi, quo se verterent, nesciebant. de quo ita *Lucius Florus* nono decimo lib. *Lutatius Consul victa ad Aegates insulas classe Poenorum finem bello posuit: petentibus Carthaginiensibus pax data.* MACH.

Trecentis.] cc. *Polybius* & pro *sexcentis*, *quadringentis Eutropius: Orosius trecentis.* Suspicatus igitur aliquando sum mendum subesse, quod omnes paene classem & hostium & Romanorum tantum DCLXXX. navium fuisse affirment, indeque errorem natum credebam, quod, cum notis olim numeri exprimerentur, earum transpositione infinitas mendas in libros antiquos irrepsisse didicissem. Forte scriptum reperit librarius CD. exscripsit alius parva immutatione DC. nec enim major pestis optimos auctores invasit, quam notarum frequens usus in numeris exprimendis. Nec muto sententiam, post enim incidi in librum calamo exaratum, in quo supra adscriptum erat CCCC. *naveis*, quae res conjecturam meam confirmat. *Annone* pro *Himilcone* habebat idem exemplum, ut & *Orosius*, & placet. SCHOTT. *Himilcone* vel *Hamilcare* reperimus in Nostris. Quare licet veritas historiae *Hannone* ut scribamus exigat, non tamen ausus sum omnia contra MSS. rejicere, quae historiae adversari videbantur. Multi enim *Hannonem* hic ducem faciunt. V. *Lambinum* ad *Nepotem* Hamilc. cap. 1. Sed praestat *Hamilcare* scribere cum duobus MSS. ex *Livio* lib. XXI. cap. X. *Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite, nec puer hic Dux erat sed pater ipse Hamilcar.* Hac ratione dissensus Scriptorum erit admittendus. ARNTZ.

Commeatus.] Annonam castrensem & libertatem significare notius est quam ut declaratione indigeat. MACH.

Aegathes.] Sic vulgati pingunt. *Gryphius Egates.* MSS. partim *Aegadas*, partim *Egadas. Polybio* Αἰγοῦσαι appellantur insulae inter Lilybaeum Siciliae promontorium & Carthaginem. Vide *Pomp. Melam* lib. II. & *Silium Italicum* extremo sexto. & lib. I.

- - - Avet aegates abolere Parentum
Dedecus.

SCHOTT. Fuerunt, qui *Aegadas* semper scribendum esse contenderent, sed horum sententia non aeque omnibus placuit, & recte repugnarunt *Is. Vossius* ad *Melam* lib. II. cap. VII. p. m. 509. *Bosius* ad *Nepot.* Hamilc. cap. I. & Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. vers. 61. ARNTZ.

Insulas.] *Insulam* forte melius. SCHOTT. *Not. Min.* Immo vide, quae attulit laudatus modo *Bosius* ad *Nepotem.*

Depressit.] Demersit naves CXXV. cepit. LXXIII. *Eutropius.* ANNA.

Aut cepit.] Adde ex MSS. Aliud enim *deprimere*, vel demergere naveis cum pugnatoribus, aliud *capere. Tacitus* libro quarto Histor. Aug. *Major pars navium depressa, aut capta.* Sic & *Orosius* loquitur libro quarto, capite decimo quinto, & capite XVIII. Vide *Petri Victorii* variar. lect. libros utilissimos. SCHOTT.

Bello.] Quod duravit annis XXIV. ANNA.

2 *Sicilia.*] Sunt scripti, qui addunt *Ut fic.* sine ulla necessitate.

Intra Italiam Africamque.] *Plinius* lib. III. c. VIII. *Insulas in Africam versus Gaurum Melitamque*, & alias commemorat, *citra vero Siciliam ex adverso Metauri amnis XXV. ferme millia passuum ab Italia, septem Aeoliae appellatae.* Notum autem est non solum *insulas* poni pro locis undique ab aquis circumfluis, sed etiam pro aedibus vicinitatem aliarum nequaquam habentibus, ut *Suetonius dominos* ait *insularum.* MACH.

Hispania.] Immo hujus foederis caput erat, quod iisdem paene verbis *Orosius* lib. IV. capite undecimo concepit, additumque, *ut pro impensis bellicis argenti pure tria millia talentorum Euboicorum aequis pensionibus per annos XX. penderent.* Eadem *Polybius* libro tertio, quia tamen in talentis mire variat, & *Livius* libro vigesimo primo. Nam XXII. millia & ducenta talenta Euboica stipendii loco imposita ait, & subjicit decem legatos tempus stipendii mutasse, ac mille talenta adjecisse. SCHOTT.

Hiberum.] Fluvius Hispaniae, a quo dicta *Hiberia.* Et *Lucanus* inquit:

- - - Profugique a gente vetusta
Gallorum Celtae nomen miscentis Hiberis.

MACHAN. Mediolanensis scribebat *Hiberium.* SCHOTT.

SCHOTT. *Hiberum* cum adſpiratione faventibus ſcriptis repoſuimus. Vide *Dausq.* Orthogr. part. II. p. 154. & *Oudend.* ad *Lucan.* lib. II. verſ. 50. ARNTZ.

Fluvium.] Ex MSS. ſuperat: ſic enim legunt: *ab Hiſpania citra Iberum ut abſtinerent.* SCHOTT. Olim edebatur: *Hiberum fluvium abſtinerent*, vel, *ut abſtinerent.* Sed illa ex MSS. rejecimus.

CAPUT XLII.

ARGUMENTUM.

Aris a Patre admovetur, odium in Romanos jurat, Saguntum evertit, in Italiam trajicit, P. Scipionem, Sempronium Longum, Flaminium, Paullum & Varronem ſuperat, Campaniae deliciis elangueſcit, fractus, repulſus, fugatus, ſuperatus ad Antiochum, & deinde ad Pruſiam confugit, veneno abſumitur & in arca lapidea ponitur Hannibal.

Hannibal Hamilcaris filius novem annos natus, a Patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Exinde ſocius & miles in caſtris Patri fuit. Mortuo eo cauſſam belli quaerens, Sagun- 1 2

1 *Hannibal.*] Hoc caput totum bellum Punicum ſecundum complectitur, de quo vide *Flor.* lib. II. cap. VI. ANNA.

IX. *annos natus.*] Sic omnino ſcribendum cenſeo, non XI. Rurſus, ut fit, notae in numeris transpoſitae: itaque legendum monent *Livius* lib. XXI. *Oroſius* lib. IV. caeterique hiſtoriae Romanae racematores, & *Cornelius Nepos* in Vitis Externorum Imperatorum. Anno dehinc aetatis XXVI. Imperator belli electus eſt: nam duce patre Amilcare IX. annos in Hiſpania militavit, VIII. ſub ejus genero Aſdrubale. Mendoſe igitur *Eutropius* XX. ſcribit. SCHOTT. *Liv.* lib. XXI. *Fama etiam eſt, Annibalem annorum ferme novem, puericiliter blaudientem patri Amilcari ut duceretur in Hiſpaniam, quum perfecto Africo bello exercitum eo trajecturus ſacrificaret, altaribus admotum tactis ſacris jurejurando adactum, ſe, quum primum poſſet, hoſtem fore populo Romano.* Juravit Annibal anno mundi 3713. ante C. N. 235. ab U. C. 516. ANNA. *Undecim* Fran. XII. *Grammii* Codex, ubi tamen alia manus ſupernotavit: *alter* IX. *annos*, & ſic reliqui omnes. Olim Editi ad unum *undecim.* Plura hanc in rem collegit Erud. *Boſius* ad *Nepot.* Hann. cap. II. §. 3. Quo in loco praeſtitum ſit illud jusjurandum examinat Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. verſ. 81.

Juravit.] De hoc intellexit *Juvenalis*:

Hoc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras.

MACH. Vitio memoriae *Martialem* voluit ſcribere lib. IX. Epigr. XLIV.

Patri.] Ita ſcripſimus ex Sententia quatuor Codicum & Editionis Venetae, cum reliquae *Patris* habent. Tales dativi eleganter ponuntur procaſu ſecundo. *Martial.* lib. XII. Epigr. XXV.

Exſilio comitem quaeris, agellus erat.

Ita enim ibi melioris notae Codices. *Seneca* Phoen. verſ. 52.

- - - Nemo me comitem tibi
Eripiet unquam.

Ubi peccant duo MSS. Traj. *tui* ſcribentes. Haec loquendi elegantia corrupta etiam eſſe videtur apud *Senecam* lib. II. de Benef. cap. XVI. *Sed cum ubique ſit virtutis modus.* Malim *virtutis Virgilius* Ecl. II. verſ. 68.

- - - Quis enim modus adſit amori.

Seneca Hippol. verſ. 359.

Sacvis equis eſt flammis modus.

Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. VI. cap. XLVIII. apud *Suetonium* Veſpaſ. cap. VII. §. 5. *Sedentem pro Tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini.* Ita lego ex *Voſſianis* excerptis probatae fidei. Alia *Cortius* ad *Salluſt.* Catil. cap. XI. §. 4. & Jug. cap. VII. §. 4. *Cicero* pro domo. cap. XX. *Cujus majores huic populo ſocii atque amici ſemper fuerunt.* Similia Cl. *Burmannus* ad *Ovidium* lib.

3 guntum Romanis foederatum intra ſex menſes evertit. Tum Alpibus

lib. XIV. Met. verſ. 678. ubi in addendis recte etiam hunc locum vindicavit. Hanc locutionem cum graecis habuere communem Latini, unde videtur profecta. Confer Cl. *Perizon.* ad *Aelianum* lib. III. Var. Hiſt. cap. III. *Scheff.* ad Eundem lib. III. cap. IV. & *Homberg.* in Parerg. Sacr. ad Euang. *Lucae* cap. VII. §. 12. ARNTZEN.

2 *Eo.*] Tacet *Cornelius* Hannibalem defuncto patre militaſſe per octo annos ſub ſororio Hasdrubale. MACH. Pronomen *eo* abeſt ab uno ſcripto. *Asdrubale* autem exaudiendum ex *Corn. Nepote*, unde haec forte ſarcienda, *octo poſt ejus mortem annis, mortuo Asdrubale*, &c. SCHOTT. *Not. Min.* Nec tamen neceſſe eſt, ut intelligamus, id eum feciſſe ſtatim, ſimulac Pater eſſet mortuus, ſed his verbis indicat tantum Noſter Patre mortuo fidem praeſtitiſſe Hannibalem, adeoque *eo* ad Hamilcarem, non ad Hasdrubalem erit referendum Vid. *Nep.* Hann. cap. III. ARNTZEN.

Saguntum.] Non referam ſingula, quae a *Tito Livio* lib. I. ſecundi belli Punici, & a *Plutarcho* in vita Hannibalis referuntur, neque enim officii mei eſt tranſcribere, verum interpretari. Eſt autem *Saguntum* urbs Hiſpaniae ab Herculis ſocio *Saguntino* dicta. *Silius Italicus* primo:

Haud procul Herculei tollant ſe littore muri,
Clementer creſcente jugo, quis nobile nomen
Conditus excelſo ſacravit colle Zacynthus.

MACH. Libri veteres *Zaguntbus* ſcribunt, de qua ſcriptura vide *Priſcianum.* De *Saguntina* fame illud memorabile extremo Satyrico *Petronii Arbitri*, quod *Pythoei* beneficio amplius eſt; humanas ediſſe carneis. SCHOTT. *Civitas ea longe opulentiſſima ultra Iberum fuit, ſita paſſus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho inſula dicuntur, miſtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. Liv.* lib. XXI. cap. VII. ANNA. *Schotti* Scripturam merito rejicit Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. verſ. 271. Ceterum tres ſcripti & Editio Veneta habent *foederatum*, docta lectio, Veteres enim caſu recto etiam *Saguntum* dixere, ut *Livius* lib. XXVIII. cap. XXIX. *Ut illa gente incolumi ſtare Saguntum non poſſet.* & paullo poſt: *Et dirutum & reſtitutum Saguntum fidei ſocialis utrimque ſervatae documentum omnibus gentibus fore.* lib. XXXI. cap. VII. *Sicut Sagunto expugnando Hannibalem paſſi ſumus. Silius Italicus* lib. XVIII. verſ. 329.

Quid vos, quis claro deletum eſt marte Saguntum,

Exborter.

Ubi plura Nob. *Heinſius & Drakenb. Pintianus* ad *Pomp. Melam* lib. II. cap. VI. & *Dausq.* de Orthogr. part. I. p. 90. Latini enim Graecorum terminationem *ος*, in *us* & *um* genere neutro mutare ſolent, quod de aliis urbibus adnotat *Voſſius* ad *Melam* lib. I. cap. XIX. init. Et hinc fortaſſe, quod in optimo *P. Danielis* Codice apud *Corn. Nepotem* Miltiad. cap. II. *Cherſoneſo tali modo conſtituto Lemnum revertitur.* ARNTZ.

Intra ſex menſes.] *Livius*, *Plutarchus*, *Oroſius*, *Eutropius*: *Intra octo menſes. Florus menſe* demum *nono.* Illum vide. ANNA.

Evertit.] Dum ultro citroque tempus legationibus teritur, dum a Carthaginienſibus Romanae legationes deluduntur, ſera tandem poenitentia ſuccurrendi Romanos cepit. MACH.

3 *Alpibus patefactis.*] Antea ſoli Herculi perviis: inde Grajae dictae. Conſtat autem geniſſe per montem Jovis, quem vulgo Ciniſum appellant Gebennas verſus tendentem, partem ejus Rupiolae, & Durandum vocitant, qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinos habet: id *Plutarchus* ſentire videtur. Deſinant igitur garrire ἀμυσόριτοι de cavata via, atque manu facta ad ſaltus Auguſtae Caeſareae: nam quomodo opidum Taurinum expugnaſſet? veteſtiſſima namque etiam inclyta hac in urbe plura venerandae antiquitatis monumenta profecto ſpectaremus, quae, aſſerente *Euſtathio*, *Homerico* interprete, ab Eridano eodemque Phaëthonte binomini condita fuit, qui Solis Aegyptii filius per Nilum magna claſſe in mare navigans, cum Genuino ſocio, Genuae Liguſticae deinde fundatore, poſt longas peregrinationes, tandem in hanc ampliſſimam atque fertilem planiciem devenit, hominesque rudes & agreſtes, feroces tamen, comperiens, ratus ſe ingenio proprio eorum ſuperaturum ferociam, penes Padum conſedit, Eridanumque condidit, Taurinum dictum: ab armentoſo loco, a copia taurorum, ſeu boum ferunt originem vocabuli: circumferuntque picturam noſtri concives palam tauri vexillum. Non deſunt ſcribentes a ripis Padi cornua taurina referentibus, vel a murmure aquae mugitum hujusce animalis imitante, quia pluribus hic augetur fluminibus, Taurinum nuncupatum exſtitiſſe. Foribus domus mei gymnaſii ſcholaſtici adſtat currus Phaëthonteus marmoreus. Romani certe hic, utpote in commune totius Galliae Ciſalpinae ac Transalpinae diverſorium divertere ſolebant, uti epitaphium a me inventum in marmoreo conditorio

ſacelli

bus patefactis, in Italiam trajecit. P. Scipionem apud Ticinum; 4
Sempronium Longum apud Trebiam; Flaminium apud Trasymenum; Paullum & Varronem apud Cannas superavit. Cumque Urbem 5

facelli D. Viri ultra Padum indicat hac inscriptione: C. RUTILIO GALLICO CONSULI. De quo praefecto Romae sub Domitiano *Juvenalis:*

Et custos Gallicus urbis.

Marmoreum hunc lapidem sacrum, Canonicorum collegium D. Joannis tutelaris nostri Sancti mihi dono munificentissime dedit. Licet etiam pro urbis hujus priscis, & sacris moenibus memoriosas antiquitates cognoscere, quarum portiunculam fideliter, ut reperi, hic subscribam. In parietibus magnifici Scipionis Charae: ANNEO. M. F. SENECAE. Aliud affixum turri divi Salvatoris: P. CORNELIO. L. F. T. N. DECURIONI. A. P. JUDICI. DEC. IV. CORNELIA. P. FIL. PRISCA. T. F. Aliud in ejusdem coemeterio: PETRONIA. M. F. MARCELLINA. T. F. Aliud in templo ejusdem: V. F. P. ALBUTIUS. SABINUS. C. F. ET C. ALBUTIUS. C. F. ET C. N. ALBUTIUS. SABINUS. FRATRES. SIBI. ET. C. ALBUTIO. C. F. RUFO PATRI. Aliud ibidem: PLANCUS CURATOR VETERANORUM. LEG. IV. MACEDONICE. DECURIE. T. F. I. Aliud ibidem: L. CORTIUS. M. F. S. TEL. QUARTUS. VETERANUS. Aliud ibidem: STATIUS. ALBUTIUS. ET P. ALBUTIO. ADJUTORI. S. C. O. S. Aliud in antiquo pariete: Q. S. LITIO. P. F. ATTILIO. AGRICO. COS. VII. VIR. EPUL. LEGATO. PROPRAI. IMP. NERVAE. CAESAR. PROVINCIAE. BE - - -. LEG. VI. FERRAT. LEG. CITERIORIS. HISP. PRAETORI. AEDILI. CUR. JUL. VESPASIANO. TRIB. M. LICE. X. VIRO. S. LIT. Aliud in templo divae Virginis: V. F. C. PUBLITIUS PRIMOGENITUS SIBI ET TURRIANAE. Aliud ibidem: P. AEBUTIUS. P. LIB. MEMNIO. AUG. SIBI. ET. AEBUTIAE. LIBERE DELICATE. SUE. T. F. M. L. L. E. Io. INFERMO. Utinam his omissis antiquitatibus, Hannibal in Taurinos veniens pulcerrimum illud amphitheatrum extra portam marmoream, evanescens, ac obsoletum minime solo aequasset. MACH. Hae inscriptiones, quae facile optimam omnium notarum partem efficiunt, a posterioribus Editoribus erant interpolatae. Nos edidimus ita ut voluerat edi *Machanetis.*

3 *Patefactis.*] De *Alpibus* superatis *Plinius* lib. XXXVI. cap. 1. *Ammianus Marcellinus* libro XV. SCHOTT. *Servius* ad *Virg.* lib. X. Aen. vers. 13.

4 *P. Scipionem.*] De quo erat actum, ni eum filius periclitantem servasset. MACHAN. Anno Mundi 3732. secundi belli Punici anno primo. ANNA.

Ticinum.] *Rhodanum*, inquit, *Nepos* in Annibale. SCHOTT. *Ticinum* in Gallia Transpadana. ANNA.

Sempronium.] Qui ex Sicilia arcessitus fuerat, ut duo exercitus jungerentur. MACH. Qui cum Pub. Scipione Consul fuit eodem anno quo supra. ANNA.

Longum.] *Longinum* Paris. Et Scripti vitiose: *Semper longum apud Cremeram fl. apud Thrasumenum. Paullum & Varr. apud Cannas superavit.* Quod adscribendum duxi, ne quis semper in auctoritatem librorum veterum & consensum jurandum putet. SCHOTT.

Trebiam.] Ex Appennino in Padum fluit, vulgo *Treviam* accolae vocitant. MACH. In Gallia Cisalpina ad placentiam. ANNA.

Flaminium.] *Q. Flaminium* secundum Cos. anno belli secundo. ANNA.

Trasymenum.] Est penes Perusiam. *Ovidius* in Fastis,

Sint tibi Flaminii, Trasimenaque littora testes,
Per volucres aequos multa monere deos.

De quo praelio lege *Titum Livium* secundo belli Punici, in quo ipse dux ab equite, cui Ducario nomen erat, interfectus fuit. MACH. Lacum in Hetruria intra Clavim fluvium & Tiberim Umbriam a Tuscia dividentem. ANNA. Quatuor scripti & Editio Veneta *Transimenum*, quomodo etiam variatur apud *Val. Maximum* lib. 1. cap. VI. exem. 6. sed est contra aperta Poëtarum testimonia, qui primam Syllabam corripiunt. *Silius* lib. IV. vers. 740.

Tmolo missa manus, stagnis Trasymenus opacis. ARNTZ.

Paullum.] Aemilium, cordatum sagacissimumque Consulem, qui pro patria occubuit. MACH.

Varronem.] C. Terentium, qui e laniaria taberna fortunae ludibrio ad fastigium consulatus pervenerat. Jamque magis indignandum. Obviam itum superstiti, actaeque gratiae, quia de republica non desperasset, scribunt, qui si Carthaginiensis fuisset, malo consilio atque ductu suo in crucem haud dubie elevatus fuisset. IDEM.

Cannas.] Ignobilem Apuliae vicum juxta Aufidum amnem. ANNA.

Superavit.] Non prolixus in his historiis ero,

bem capere poſſet, in Campaniam devertit, cujus deliciis elanguit. 6 Et cum ad tertium ab Urbe lapidem caſtra poſuiſſet, tempeſtatibus repulſus, primum a Fabio Maximo fruſtratus, deinde a Valerio Flaccо

quia *Plutarchus* & *Silius Italicus* nocturna diurnaque manu evolvendi. Illud conſtat tres modios anulorum aureorum ab Hannibale collectos; ea autem tempeſtate ſoli equites anulos ferebant. *Juvenalis:*

Cannarum vindex, & tanti ſanguinis ultor
Anulus.

MACH.

5 *Cujus deliciis.*] Ob Capuam & Salapiam, ubi amore etiam puellae captus, tantus imperator eſt mollitus: nam poſt Feroniae opulentiſſimum templum depopulatum, in Brutios Lucanosque contendit. IDEM.

6 *Ad tertium.*] Usque ad IV. miliarium, inquit *Eutropius:* quicum conſentit *Appianus* libro de rebus Annibalis; ait enim ipſum XXXII. ab Urbe ſtadio ad Anienem caſtra poſuiſſe, id eſt, IV. ab Urbe milliari. *Polybius* vero lib. IX. XL. ſtadia ſive millia paſſuum quinque numerat. *Livius* autem & *Plinius* lib. XV. nobiſcum faciunt. SCHOTT. *Barthius* ad *Claudian.* Bell. Gild. verſ. 83.

Caſtra poſuiſſet.] Cum duobus millibus equitum Romam ſpeculatus, ac per triduum conſerto certamine ſemper praelio incepto vi tempeſtatis diſtractus eſt: adeo ut dixerit Hannibal *potiundae ſibi Urbis Romanae, modo mentem non dari, modo fortunam.* MACH.

Tempeſtatibus repulſus.] *Tanta enim ad ſingulos illius motus vis imbrium effuſa, tanta ventorum violentia coorta eſt, ut divinitus hoſtem ſummoveri: neque coelo; ſed ab Urbis ipſius moenibus, & Capitolio ferri videretur. Florus* lib. II. cap. VI. Accidit id an. ab U. C. 542. ANNA. *Propertius* lib. III. El. II. verſ. 11. & *Claudian.* Bell. Get. verſ. 508.

A Fabio Maximo.] Cunctatore. An. ab U. C. 536. ANNA.

Fruſtratus.] Quando Hannibalem laſſando mora vicit, ut inferius leges. MACH. Corrige *fraſtus*, rectius: ut patet capite ſequenti proxime & ſupra XIV. adjuvantibus & libris antiquis. *In Campaniam devertit* iidem eleganter. De Campania alibi dicemus. Elanguiſſe & Antiochum deliciis infra cognoſcere licebit. SCHOTT. Omnes Codices & Editiones *fruſtratus* firmiter retinent, quam tamen vocem damnare voluit *Schottus* ideo, quod ſequenti capite, & ſuperius *frangere* poſuerit Noſter. Sed non neceſſe eſt, ut Scriptor, ſi ſemel aliquam vocem adhibuerit, ea ſemper uti cogatur. Neque admittit gradatio, quae in hiſce verbis reperitur, *fruſtratus, repulſus & fugatus.* Utique *frangere* majorem habet Emphaſin quam *repellere & fugare*, cum illud de talibus potiſſimum dicatur, qui ad ultimas anguſtias ſunt redacti, quorumque opes fere proſtratae jacent. *Quinctil.* decl. III. cap. III. *Subnixum Numidia fregimus Jugurtham. Claudianus* Bell. Gild. verſ. 92.

- - - Fractumque Metello
Traximus immanem Marii ſub vincla Jugurtham.

Eutropius lib. II. cap. XXV. *Fractos tot caſibus ſpem nullam habere.* ubi malim equidem *cladibus. Claudian.* Bell. Gild. verſ. 414.

- - - Fregit quem clade, tremiſcat.

Et Bell. Get. verſ. 602.

- - - Tanta nec clade ſuperbum
Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Iſtri.

Oroſius lib. IV. cap. IX. *Carthaginienſes fracti bellis & cladibus, opibusque exinaniti.* Ita enim ibi ex MS. reponimus. Aliis igitur locis, cum de Fabio ſolo loqueretur, potuit hoc verbum adhibere, hic autem nullo modo, cum per gradationem a primis quaſi principiis adſcendat ad altiora, *fruſtrando* enim effecit Fabius, ut a Flacco *repelli* & a Marcello *fugari* Poenus poſſet. Hoſtium enim vires fruſtrando deterere, magni in bellis eſt momenti. Et ſic certe fruſtrando, nec hoſtibus copiam pugnae faciendo ſuperior evaſit Fabius, quare de eo *Valerius Maximus* lib. III. cap. VIII. exem. 2. *Itaque fruſtrari & eludere Poenorum impetus: quam manum cum his tota acie conſerere melius ratus.* Eandem rem aliis verbis exprimit *Servius* ad *Virgilium.* lib. VI. Aen. verſ. 846. *Cum Hannibalis impetum ferre non poſſet, mora eum eluſit.* Dux namque *fruſtrari* dicitur hoſtem, qui belli artibus eum ludificat, vel remoratur. *Livius* lib. XXII. cap. XVI. *Ad fruſtrandum hoſtem commentus principio noctis furtim ſuccedere ad montes ſtatuit.* & cap. XLI. fine. *Sicut Fabium priore anno fruſtratus eſſet.* lib. XXVII. cap. XLII. *Fruſtratique aliquamdiu hoſtes citatis equis agmen ſuorum adſequuntur. Frontinus* lib. II. Strat. cap. III. ex. 3. *Ut ad primum inpetum eorum ſibi fuga conſulerent & in ſilveſtria confragoſaque loca reciperent: Ita fruſtrato robore exercitus.* Eodem libro cap. V. ex. 34. *Praecepit L. Quinctio partem ſpar-*

taco

co repulsus, a Graccho & Marcello fugatus, in Africam revocatus, a Scipione superatus, ad Antiochum Regem Syriae confugit, eumque hostem Romanis fecit. Quo victo, ad Prusiam Bithyniae Regem concessit; unde Romana legatione [per T. Flaminium] repetitus; [ne Romanis traderetur,] hausto, quod sub annuli gemma habe-

taco objiceret, pugnaque eum frustraretur & cap. XI. ex. 5. *Lacedaemonios, quasi maneret, frustratus. Eumenius* Paneg. in Nat.-Urb. Trev. cap. XII. §. 2. *Natio perfugiis silvarum & paludium bellum solita frustrari.* Caeterum si hoc loco non talis esset κλίμαξ, & Codices Scripti admitterent, Viri Eruditi judicio nullus obesset, cum tam magna non sit differentia, & eandam vocem alibi de Hannibale adhibeat Noster, ut etiam *Eutropius* lib. III. cap. IX. *Is eum differendo pugnam ab impetu fregit & Claudianus* Bell. Get. vers. 143.

Tres potuit superare duces, fregitque furentem
Cunctando.

Meliori jure, licet invitis plerisque Nostris, *devertit* reposuit. *Val. Maximus* lib. I. cap. VII. ext. 10. *Alter in tabernam meritoriam devertit. Cicero.* lib. I. de Divin. cap. XXVII. *Alterum ad Cauponem devertisse; ad hospitem, alterum*, uti est in curatioribus Editionibus, vulgo *divertisse.* Quomodo Orat. pro Dejot. cap. VI. *Et domum regis, Hospitis tui, devertisses.* edidit *Graevius*, male reliqui. Latius agit de hoc verbo Cel. *Burmannus* ad *Petronium* Sat. cap. IX. p. 40. ARNTZEN.

A Valerio Flacco.] Capuam cepit, quae ad Hannibalem desciverat, Senatumque Campanum ad palum deligatum securi percussit, absconsis in sinu literis Roma missis, quibus eis parcere jubebatur. MACH. Si per libros liceret, legerem *a Fulvio Flacco*, qui anno IↃXLI. post Romam conditam Consul, Appio Claudio Pulcro collega ad Capuam feliciter pugnavit, tametsi frater Q. Fulvius Flaccus praetor ad Herdoneam infeliciter. ANN.

Repulsus.] Anno ab U. C. 541. ANNA.

Graccho.] *Tiberium Sempronium Gracchum* intellige, & refer ad annum ab U. C. 538. & susceptii belli quartum. Gracchus, si *Floro* fides est, per Lucaniam Hannibalem vadentem sequutus est. *Florum* adi lib. II. cap. VI. EAD.

Marcello.] Marcum Claudium *Marcellum* intellige. Hannibalem ab obsidione Nolae hic excussit. EAD.

A Scipione.] Apud Zammam urbem, auctore *Plutarcho*, ubi secundissimum praelium Romanis fuit, maxime Laelio & Masinissa adjuvantibus, elephantosque perturbantibus, constat supra viginti millia hostium eo die a Romanis caesa, tantundem prope capta: ipse Hannibal dux ad ultimum eventum pugnae moratus e media caede cum paucis effugit: arcessitus deinde Carthaginem persuasit, ut pacis conditiones a Romanis reciperent, quibus captis, & poenitentia affectis, a popularibus exsilio mulctatus. MACH.

Superatus.] An. ab U. C. 551. susceptii belli 17. ANNA.

Ad Antiochum Regem.] *Nepos Cornelius* sexto post anno accidisse refert, M. Claudio Marcello, L. Furio Purpureone Coss. qui est urbis IↃLVII. Alii insequenti anno id aceidisse memoriae prodiderunt. SCHOTT.

Quo victo.] A Scipione, an. ab U. C. 563. ANNA.

Prusiam.] Nicomedis magni filium. EAD.

Bithyniae.] Ad Pontum Euxinum & Propontidem. EAD.

Concessit.] Quia inter conditiones pacis de Hannibale Romanis dedendo agebatur. MACH.

Legatione.] Legatione Titi Flaminini missi ad conciliandos Reges Eumenem ac Prusiam, impetravit Romanus legatus magna contentione, ut ei ommino Hannibal dederetur; itaque a militibus Regis frequentibus, obsesso undique ejus diversorio, quum se evadere non posse cognovisset, quidam epoto sanguine taurino: fideliores scriptores, quod sub gemma suberat, veneno mortem sibi ipse consciviisse asserunt, prius effatum: *Solvamus ingenti cura populum Romanum.* IDEM. Vulgo *Romana legatione repetitus hausto.* MSS. vero pleniores, quae ad sensum necessario supplevimus. SCHOTT. Quinque tamen Scripti haec non agnoscunt, neque sententia requirit, quare facile his & possem & vellem carere. Itaque signis, ut discerni possent, includi jussimus.

Per T. Flamininum.] Missus *T. Quinctius Flamininus* infra cap. II. SCHOTT.

Hausto veneno.] Sic *Livius* Annali XXXIX. *Appianus* vero Συριακῇ tradit Flaminium per Prusiam Annibalem veneno necasse, nihilque ei a Senatu nominatim de Annibale mandatum. *Varro* περὶ ἐξαγωγῆς apud *Nonium Medicamentum: Quaerit ibidem ab Hannibale, cur biberit meaicamentum.*

habebat, veneno, absumptus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodieque inscriptum est: HANNIBAL HIC SITUS EST.

quia Romanis inquit me Prusiades tradere volebat. SCHOTT. De veneno etiam *Savaro* ad *Nepot.* Hann. cap. XII. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XIII. vers. 892. & *Scheff.* ad *Obseq.* cap. LIX. & *Schott.* ad *Senec.* lib. III. Controv. XVIII.

Absumptus est.] An. mundi 3767. ante C. N. 181. ab. U. C. 670. ANNA.

Libyssa.] In Bithynia vicus est juxta littus, de quo vulgatum carmen erat:

Corpus Hannibalis Libyssa tumulabit terra.

MACH. *In fine Nicomediensium* quasi alluvione accrevit ex MSS. plenioribus. Vide *Plinium* lib. V. cap. XXXII. & *Nicolai Sophiani* Tabulam Graeciae, & in eandem *Nicolai Gerbelii* commentarium. SCHOTT. Respicit *Machaneus* oraculum, quod de Hannibalis morte reperitur apud *Appian.* Bell. Syr. p. 150.

Λίβυσσα Κρύψει βῶλος Ἀννίβου δέμας.

Quo oraculo, ut ibidem traditur deceptus, se in Libya moriturum existimarat, cum Λίβυς faem. faciat Λίβυσσα. Vid. *Stephan. Byzant.* in Λιβύη & Λίβυς. *Lucanus* lib. IX. vers. 666.

- - - *Terraeque in fine Libyssae*
Persea Phoebeos converti jussit ad ortus.

Ex hisce praeterea constat per *y.* media syllaba esse scribendum, non ut multi MSS. qui *Labissam* vel *Libissam.* Vide *Salmasium* Lect. *Plin.* p. 617. & Eruditos Commentatores ad *Steph. Byzant.* hac voce. Quod addit Erud. *Schottus: in fine Nicomediensium* contra omnes omnino est MSS. & glossam sapit. ARNTZ.

Cui inscriptum est.] Sic alter MSC. Alter vero *hodieque* non *hodie queque* legebat. SCHOTT. *Hodie quoque* solenni & usitato errore magna pars librariorum, alii simpliciter *hodie*, sed rectum est, quod *Schottus* intulit, idque ab uno & altero e Nostris confirmatur. *Seneca* lib. I. de Clem. cap. X. *Haec* hodieque *praestat illi famam. Val. Maximus* lib. II. cap. II. exem. 6. *Qui* hodieque *Senaculum appellatur.* Ubi eodem modo evariant Codices. *Spartianus* Hadr. cap. III. *Unde* hodieque *Imperatores sine penulis a togatis videntur.* & in Aelio Vero cap. IV. *Quae* hodieque *legitur Minuc. Felix.* Oct. cap. XXIII. *Cur etiam, si nati sunt, non* hodieque *nascuntur.* & cap. XXX. Hodieque *ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur.* Et hanc vocem aliquoties *Livio* reddere conatus fuit Acutissimus *Gronovius*, vide *Cellar.* Cur. Poster. ARNTZ.

Inscriptum.] Uterque Leid. simpliciter *scriptum*, quod quamvis ferri posset, praefero tamen compositum. *Inscribere* enim saepe pro *insculpere* ponitur, & praesertim adhibetur de monumentis sepulcrorum, quae titulis erant insignita. *Ovidius* Ep. II. Her. 145.

Inscribere *meo caussa invidiosa sepulcro*

Et Epist. VII. vers. 193.

Nec consumta rogis inscribar: *Elissa Sichaei.*

Cicero lib. V. Tusc. Quaest. cap. XXXV. *Quid aliud in bovis, non in Regis sepulcro* inscriberes. *Plinius* lib. IX. Epist. XIX. *Jussisse Virginium Rufum* inscribi *sepulcro suo. Lucanus* lib. VIII. vers. 792.

Inscripsit *sacrum semiusto stipite nomen.*

Unde Noster inf. cap. LXXVII. Inscribente *sepulcro: hic situs est magnus. Valer. Maximus* lib. V. cap. III. exem. 2. *Sepulcro suo* inscribi *jubendo.* Ubi eodem modo confunditur. *Tibullus* lib. I. El. III. vers. 54.

Fac lapis inscriptis *stet super ossa notis.*

Quamvis id loco suo moverit Eleg. *Broukhusius*, cui non admodum repugno, ferri tamen potest. ARNTZ.

C A-

CAPUT XLIII.

ARGUMENTUM.

De Liguribus triumphat, Hannibalem mora frangit, & in agro Falerno includit, Minucium ad hostes transfugere volentem retinet, Lucano mulierem emptam dono dat, Tarentum recipit, & de captivorum redemptione cum hostibus pangit Q. Fabius Maximus.

Quinctus Fabius Maximus Cunctator, ut Verrucosus a verruca in labris, ita Ovicula a clementia morum. Consul de Liguribus trium- 1

1 *Maximus.*] *Maximi* cognomen idem principium habuit, teste *Livio* in hac familia, ab eo primum, qui omnem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, easque urbanas appellavit, & instituit equites idibus quinctilibus transvehi. MACH.

Cunctator.] A mora, qua Hannibalem vicit. *Virg.* VI. Aenidos:

Cunctando restituit rem.

IDEM. Cognomen quidem hoc primis temporibus contumeliae caussa inditum videtur fuisse, unde Minucius Fabium increpans apud *Livium* lib. XXII. cap. XIV. *Vereor ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali ac Poenis toties servaverint majores nostri.* Postea tamen Gloriae adscriptum, neque enim raro *cunctatio* in laude ponitur. Incerti Paneg. Constant. cap. XV. fine: *Sapientis enim est Imperatoris, fractis rebus, cunctando consulere.* & Cel. *Duker.* ad *Flor.* lib. II. cap. VI. §. 27. ARNTZ.

Verrucosus.] Quod parvam elationis carnem innatam in superiori labri extremitate habebat: *verruca* enim id significat, & omnem summitatem. Ut apud *Gellium*: *In montis verruca.* MACHAN. Scribitur autem in Capitolinis marmoribus *Verrucossus*, sic dictus, ait *Plutarchus*, ὅτι ἀκροχορδόνα μικρὰν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐπιπεφυῖαν haberet. Vide ἀκροχορδὼν apud *Galenum* in definitionibus Medicinae. De *verruca Serenus* Poëta:

Interdum existit turpi verruca papilla:
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit,
Qui solus patriae cunctando restituit rem.
Id poterit vitium sanguis curare lacertae.

M. Cato verrucam locum editum & asperum in Originibus etiam appellat, teste *Agellio* lib. III. cap. VII. Noct. SCHOTT. De *Verruca* etiam *Suetonius* Domit. cap. XVI. §. 3. & *Seneca* de Vita Beata cap. XXVII. Ab hoc corporis Vitio *Verrucosus* dictus est Fabius, idque ei cognomen tribuit *Senec* lib. II. de Benef. cap. VII. & *Corrad.* ad *Cicer.* in Bruto cap. XIV. Undo apparet minus bene quatuor MSS. & aliquot vetustas Editt. scribere *verucosus* & *veruca*, quomodo & a Librario peccatum inveni in scripto Codice *Persei* Sat. I. vers. 77.

- - - Et verucosa moretur
Antiopa.

ARNTZ.

In labris ita.] Emendavi locum de MSS. nam depravatus haud dubie circumfertur. Scripserat auctor *in labris sita*: Ex literae ejusdem repetitione sigma omissum, adjectum *ut*, cui *ita* responderet. *ut verrucosus ita.* O corruptores servum pecus! Observavi *Plinium* eodem verbo corruptum lib. III. Nat. hist. cap. V. *Stoechades*, inquit, *a vicinis Massiliensibus dictae propter ordinem: quas item nominant singulis vocabulis Prote, Mese*, &c. legit *Pintianus* ex antiquo Codice, *dictae propter ordinem quo sitae sunt. Nomina singulis Prote, Mese.* In MSS. *Hieronymi Suritae* Hispani sic reperi: *propter ordinem erunt. Nomina singulis* &c. unde legendum *propter ordinem earum.* SCHOTTUS. Non video cur adeo vulgata lectio Viro Eruditissimo displicere potuerit, ipse potius Librariorum errori tribuerim, quod ultimum *s* vocis praecedentis ad sequentem, *ita*, transtulerint. Insolentior praeterea videtur locutio: *Verruca sita.* Et tamen rectam esse hanc *Schotti* emendationem pronunciavit ille, alienae semper sententiae Accessio, *Keuchenius* ad *Sammonicum* p. 294. Vellem adfirmationis suae addidisset rationem, non enim in Rep. litteraria res pro inperio tractanda est. Ego a vulgata lectione non recessi, quod eam tueantur omnes MSS. & impressi,

2 triumphavit. Hannibalem mora fregit. Minucium Magiſtrum equi-
3 tum inperio ſibi aequari paſſus eſt; nihilominus periclitanti ſubve-
4 nit. Annibalem in agro Falerno incluſit. Marium Statilium trans-
5 fugere

preſſi, niſi quod ſolus Haun. *& Verr. a V. in l. item.* Et quis neſcit, *ut* recte eleganterque poni ſequente *ita* vel *ſic. Cicero* lib. II. de Off. cap. XIV. *Nec tamen*, ut *hoc fugiendum eſt*, ita *habendum eſt religioni.* & Orat. IX. Phil. cap. I. Ut *igitur alia*, ſic *hoc C. Panſa praeclare. Corn. Nepos* Hann. cap. VII. §. 4. Ut *enim Romae Conſules*, ſic *Carthagine quotannis Annui bini Reges creabantur.* & *Symmachus* lib. I. Epiſt. XVIII. *Sed* ut *hoc meae verecundiae competit*, ita *tuae humanitatis eſt.* ut volunt MSS. cum in Editis quoque exprimatur *item*, quod apud Noſtrum malebat Haun. ARNTZ.

Ovicula a clementia morum.] *Plutarchus.* Ὁ δὲ ἀπὸ λαὸς σημαίνει τὸ πρόβατον· ἐτίθη δὲ πρὸς τὸν πραότητα τοῦ ἤθους ἔτι παιδὸς ὄντος. *Ovicula ovem ſignificat. Illud autem ei nomen impoſitum propter morum clementiam, cum adhuc puer eſſet.* Ovis enim ſymbolum πραότητος, ut & e ſacris literis diſcimus. SCHOTT. & ANNA.

Conſul.] Cum M. Pomponio Mathone Anno Mundi 3717. ante C. N. 231. ab U. C. 520. ANNA.

Ligures.] Populi ab Alpibus ad mare usque Interum, alias Liguſticum & Thyrrhenum, dicuntur, vel a *Ligure* Rege, vel a *leguminum* copia. MACH. MSC. unus *Lyginibus*, quos populos, ut verum fatear, ignoro: *Ligures* de meliori nota novi, propter Genuam, quae *Jacobum Mariam Cervettum* juvenem patricium, mei olim Lovanii in ſtudiorum ratione obſervantiſſimum, produxit [*Haec poſtrema auctor poſtea deleri voluit.*] SCHOTT.

2 *Mora fregit.*] Unde *Cunctator* dictus. ANN.

3 *Minucium.*] Libri, Faſti, Lapides & Graeci per *c.* SCHOTT. *Not. Min.* Vide *Liv.* lib. XXII. cap. XXVII. ANNA. *Dauſq.* Orth. part. II. p. 199. & *Oudend.* ad *Lucanum* lib. VI. verſ. 126.

Aequari ſibi paſſus.] Ob querelas crebras Romae de ipſius negligentia jactatas maxime a Metello Tribuno plebis perſuadente. MACH. Corrupte Fran. *Magiſtrum Equitum in praelio aequari. Cornel. Nepos* Hann. cap. V. *Pari ac Dictatorem imperio.*

Periclitanti.] Actum de illo erat, niſi ſuccurriſſet adverſus Hannibalis vaſframenta, ob quod beneficium acceptum patrem optimum eum Minucius nominavit depoſita imperii dignitate, ut conſtanti ac experto duci parentiſſimus foret. MACH.

Periclitanti ſubvenit.] Nimirum ea eſt generoſae animae honeſtas, ut non modo nihil noceat inimicis ſuis, ſed etiam proſit, ut prolixa diduxi diatriba, ad *Taciti* librum II. Annal. cap. LV. ubi Germanicus tanta dicitur egiſſe manſuetudine, *ut cum orta tempeſtas raperet in abrupta Cn. Piſonem, poſſetque interitus inimici ad caſum referri, miſerit triremes, quarum ſubſidio diſcrimini eximeretur.* Bene ergo Lactantius lib. VI. cap. XVIII. *Non minus mali eſt, referre injuriam, quam inferre.* GRUT. Adi *Liv.* lib. XXII. cap. XXVIII, XXIX, XXX. ANNA.

4 *Falernum.*] Opidum Campaniae vini generoſitate celebre. MACH.

Incluſit.] Haun. uterque Leid. & Fran. *induxit*, ſed nihil muto. *Livius* lib. XXII. cap. XVI. Incluſus *inde videri Hannibal.* & paucis interpoſitis: *Nec ubi Romanus* incluſum *vallibus agmen adgrederetur. Nepos* Hann. cap. V. *Q. Fabius Maximus dictator Rom. in agro Falerno je ei objecit. Hic* clauſus *locorum anguſtiis. Silius* lib. VII. verſ. 309.

Et vallet clauſo *collectos miles in orbe.*

Et verſ. 389.

Vidiſti clauſum *Hannibalem. nil miles & alae Juvere, aut denſis legio conferta maniplis, Teſtor te, ſolus* clauſi, *nec deinde morabor.*

Et ἀμφιδὺς dicitur Annibal apud *Appianum* Bell. Hann. p. 556. Omnia autem haec loca de clauſo in anguſtiis Hannibale loquuntur, cum per errorem fauces intraſſet, ut latius narrat *Livius.* Notandus eſt ille deſcriptorum error, quibus facile erat *cl.* commutare in *d* vel *d* iterum reſolvere in *cl* propter ductuum ſimilitudinem. Ex hac regula multa loca ſanavit *ὁ πάνυ Salmaſius* Exerc. *Plin.* p. 296. & 297. *Gronov.* ad *Melam.* lib. I. cap. VII. p. 39. *Carrio* ad *Val. Flaccum* lib. VI. verſ. 66. *Burmann.* ad *Ovidium* lib. IV. Tr. El. IX. verſ. 3. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. verſ. 52. *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. XXVI. §. 2. & *Cortius* ad *Salluſt.* Jug. cap. XXII. §. 1. ARNTZ.

5 *Manlium.*] MSS. *Marium.* Forte *Marſum* legeras ſcriba, quomodo a *Plutarcho* in Fabio appellatur. *Valerius* lib. VII. nomen omittit. SCHOTT. Alter Palatinus & MSS. omnes *Schotti*, *Marium*, unde ipſe faciebat *Marſum*; non male. Nam *Plutarchus* in Fabio, quamvis nomen reticeat nominat tamen a patria *Marſum*, at enim *Val. Max.* lib. VII. cap. III. videtur facere *Nolanum*, & ve-

ro

fugere ad hoſtes volentem, equo & armis donatis retinuit, & Lucano cuidam fortiſſimo, ob amorem mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hoſtibus recepit; Herculis ſignum inde tranſlatum in Capitolio dedicavit. De redemptione captivorum cum hoſtibus pepigit, quod pactum cum a Senatu inprobaretur, fundum ſuum ducentis millibus vendidit, & fidei ſatisfecit. 6 7

C A-

ro eadem indulgentia L. Bantium ſibi conciliavit Marcellus, apud *Livium* libro XXIII. cap. XIV. GRUTERUS. Sed cur quidquam mutemus contra conſenſum MSS. quae omnes *Marium* volunt, licet diſſentiant Editi, &, ut conjicio, codex *Grammii*, cum nulla varietatis mentio fiat, eo loco, ubi *Schottus*, *Manlium* expreſſerat. Nos exemplum ſecuti ſummi *Gronovii* ad *Livium* lib. XXII. cap. XLII. *Marium* admiſimus, uti ibi hoc loco ſcribendum eſſe in notis monuerat. ARNTZ.

Statiſium.] *Statillum* Pariſinus appellat. SCHOTTUS. *Frontinus* lib. IV. Strat. cap. VII. ex. 36. *Q. Maximus transfugere ad hoſtes volentem ſtatilium vocari ad ſe juſſit.*

Donatis.] Scribit Leid. ſec. *Donatum.* ut *Virg.* lib. V. Aen. verſ. 305.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Et *Val. Max.* lib. II. cap. X. exem. 2. *Regiis muneribus donatum.* ſed vulgatum tueor vel hoc *Frontini*, qui ſaepe Noſtro eadem ſcribit, lib. IV. cap. VII. ex. 36. *Tum donato ei equo, pecuniam inſuper largitus.* ARNTZ.

Ob amorem mulieris infrequenti.] *Infrequens* militare vocabulum *Livio*, *Auſonio*, *Plauto* & aliis. *Cornificius* ad Herennium lib. IV. *Praetereo, quod militiae te infrequentem tradidiſti. Agellius* lib. XVI. cap. IV. *Miles, cum die, qui praedictus eſt, aberat, neque excuſatus erat, infrequens appellatur miles, qui abeſt, afuitque a ſignis.* Plura doctiſſimus *Lipſius* Noſter Antiq. Lect. lib. V. cap. VI. & lib. V. de Militia Romana dialogo VIII. SCHOTT.

Eandem.] Codex Haun. corruptiſſime *infrequenti, dolore ſtanti emtam*, quae verba quid velint, non video, niſi forte reponendum foret: *dolore abſenti*, ut antea ad expoſitionem vocis *infrequenti* a Gloſſatore in margine ſint adpoſita. Leid. autem pr. pronomen delet; offendebat ſcilicet haec vox, quae ſine neceſſitate videbatur interpoſita. Sed aliter putaſſet, ſi ſciviſſet, Optimos Scriptores eis pronominibus uti ſic, ut abundare videantur. *Livius* lib. XLV. cap. II. *Quod Miſſum Corcyrae, Brunduſii, ad mare ſuperum, aut in agro Larinati eſſet - - - hos omnes milites dimitti placuit.* In Apologia ſua *Apulejus* p. 274. *Calumniam Magiae, quae facilius infamatur, quam probatur, eam ſolam ſibi delegit ad accuſandum.* Confer ibi magnum *Caſaub.* Celeberr. *Duker.* ad *Florum* lib. IV. cap. XII. §. 28. *Cort.* ad *Cicer.* Epiſt. ad Fam. lib. VII. Ep. IX. & XXVI. & nos ſupra ad cap. XXVII. §. I. ARNTZ.

6 *Tarentum.*] In magna Graecia. ANNA.

Ab hoſtibus.] Carthaginienſibus. MACH.

Recepit.] Per cauſſam cujusdam adoleſcentis Tarentini, qui habebat, militans ſub Fabio, ſororem in urbe ſibi amantiſſimam, fideliſſimamque amatam a Bruttio juvene, urbi ab Hannibale praepoſito, pellicente congreſſu nocturno muliere ad ſe amatorem, occaſio data fuit Fabio prodendi, volentreque Brutio, immo ſignum exhibente, contra Tarentinorum ſpem (inquam) opportunitas commoda fuit duci Romano ſcalis appoſitis urbem ingredi. IDEM. Anno ab U. C. 544. ANNA.

Herculis.] Alias deorum imagines dimiſit inquiens: *Deos iratos Tarentinis relinquamus.* MACHAN. E captis enim opidis ſigna Deorum transferebant, eisque vel eundem, vel ampliorem, quam habuerant, locum dicabant. ANNA.

7 *De redemptione captivorum.*] Fabium inter & Hannibalem convenerat, *ut quae pars plures captivos acciperet quam daret; argenti pondo bina & ſelibras in militem praeſtaret. Ducentos quadraginta ſeptem quum plures quam Poenus recepiſſet, argentumque pro eis debitum, ſaepe jactata in Senatu re, quoniam non conſuluiſſet patres, tardius erogaretur, inviolatum ab hoſte agrum miſſo Romam Quinctio filio vendidit, fidemque publicam impendio private exſolvit.* Vid. *Liv.* lib. XXII. cap. XXIII. EADEM.

Quod pactum.] Tertia inflexione MSS. *quae pactio.* SCHOTT. Factum id ante Cannenſem cladem, & prius quam aequaretur Minucius dignitate, *Plutarchus.* Non igitur hic habita in narrando accurata ratio temporis. SCHOTT. *Not. Min.*

Ducentis millibus.] Seſtertium ſcilicet. Quae librarum noſtratum quatuordecim millia efficiunt. ANNA. Ex veteri Scriptura Leid. pr. *milibus*, quod

quod est tralatitium. Eleg. *Broukh.* ad *Prop.* lib. 1. El. v. vers. 10.

Vendidit.] Per filium, nec unquam acceptavit pecuniam, volentibus reddere Romanis. MACH.

Fidei suae.] Ut sit, pronomen *suae* MSS. adjiciunt. SCHOTT. Aliter tamen apud me & Editi & Scripti, & sine damno sententiae abesse potest.

CAPUT XLIV.

ARGUMENTUM.

Matrem Deum hospitio recipit, Magistratu adversum auspicia nominatus se abdicat, statuas sibi positas tollit, Delminium expugnat, Imperatoris nomen & triumphum oblatum recusat, & Corculum dicitur P. Scipio Nasica.

1 Publius Scipio Nasica, a Senatu vir optimus judicatus, Matrem
2 Deum hospitio recepit. Is cum adversum auspicia Consulem se

1 *Publius Scipio Nasica.*] Ut supra saepe ἀνιστορήτως historias duorum confudit hic Scriptor, ita & isto loco non semel Patris & Filii gesta, ambiguitate nominum deceptus, permiscuit. Quod cum *Schottus*, *Sigonius*, *Sylburgius* perpetuo fere annotarint, nemo mihi vitio vertet, si taceo neque id etiam repeto. Malim enim ab ipsis peti, quam fungi persona Actuarii. GRUT. Ejus filius qui in Hispania perierat. ANNA.

Matrem Deum.] Hinc quidam colligunt Scipionem Nasicam non solum Megalenses ludos instituisse, sed & templum Matris Idaeae dedicasse, etsi id neget *Ovidius* lib. IV. Fastorum:

Nasica excepit, templi non exstitit auctor;
Augustus nunc est, ante Metellus erat.

Quare priorem *Nasonis* versum sic tentabat *Pomp. Laetus:*

- - - Templi tunc exstitit auctor.

SCHOTT. Cybelem. Lapis erat, quem coelitus ferunt demissum in quendam Phrygiae agrum, cui Pessinunti nomen est. Eum Romani ab Attalo Asiae Rege acceperunt. Vid. *Liv.* lib. XXIX. & *Ovid.* Fast. IV. Romam advecta Cybele an. ab U. C. 549. ANNA. Scholiast. *Juven.* ad Sat. III. vers. 137.

Hospitio recepit.] Secundum dictionem Apollinis, qua Romanos monebat: *curarent ut Deam, qui vir optimus Romae esset, hospitio exciperet.* ANNA.

2 *Is cum adversum.*] Ad Filium haec pertinent, superiora ad Patrem. SCHOTT. Prima narratio de Scipione Nasica, pertinet ad Patrem; sequentes ad filium, itaque sequenti versu pro relativo *is*, quod a vulg. libris abest, reponi posset *ejus filius.* error autem hic cum aliis auctorum testimoniis convincitur, tum eo *Ciceronis* loco, qui a *Sigonio* citatur 170, 6. *Valerium* quoque hujus confusionis notat idem *Sigonius* 198, 17. idem Nasicarum stirpem luculenter exponit 305, 15. SYLB. Reprehendit hunc quoque errorem *Pighius* tom. II. Ann. p. 406. Stemma Scipionum, quod in ultimo capite e *Sigonio* lib. II. Emend. cap. XLII. adtulit *Schottus*, latius exposuit *Rupertus* ad l. 2. §. 37. ff. de Orig. Jur.

Consulem se.] *Se* ex MSS. abundat. Mox *in foro proponebat* Paris. praefert. SCHOTT.

Magistratu

se a Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminum urbem Dalmatarum expugnavit. Imperatoris nomen a militibus; & ab senatu triumphum oblatum recusavit. Eloquentia primus, Juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus, unde vulgo Corculum dictus. 3 4 5 6

CA-

Magistratu se abdicavit.] Ut & Collega ejus C. Martius Figulus an. U. C. 591. ANNA.

3 *Censor.*] An. U. C. 594. quo Romae clepsydras fieri jussit. Hoc anno mortuus Terentius. EADEM.

Ambitio.] Est nimia honorum affectatio: Ambitus vero pecuniae corruptio. MACH.

Consul Delminum.] Iterum Consulem fuisse Anno IↃXCVIII. *Cicero* in Bruto auctor est. *Delminium* scribunt MSS. & Agrippinense exemplum. *Deliminum* Parisinum & *Delmatorum* idem Colonienſe *Delmatarum Gryphius*. SCHOTT. *Delminium* in ea Illyridis parte quae ad Macedoniam vergit. ANNA. Variis modis uti solent nomina propria, hanc urbem expresserunt Scribae: *Dilumium* Fran. *Delimnium* Leid. pr. *Delmum* Haun. Ceteri & Editio Ven. *Delminum* quod consensu plurimorum recepi nixus Auctoritate *Eustathii* ad *Dionysii* Orb. Desc. vers. 97. Η δὲ πόλις αὐτῶν Δάλμιον, ἢ Διλμίνιον, ἢ Δίλμινον. Scio quidem hanc Scripturam rejici a *Modio*, &, cui Eruditorum vestigia legere mos est, *Keuchenio* ad *Frontinum* lib. III. cap. VI. ex. II. Sed cum judicii sui nullam addant rationem, nondum sola auctoritate persuadent. Et certe Δάλμιον ab aliis esse dictam, ut tradit *Eustat.* constat ex *Stephano* in illa voce, ubi quem laudat *Appiani* locum qui *Delminium* dixerat, hodie non exstat, nisi latina Interpretis versione p. 1200. Ed. *Tollii*. Porro de vocis *Dalmatiae* seu *Delmatiae* scriptura etiam non eadem sentiunt omnes, & certum *Delmatia* recte etiam scribi, cum ita Nummi & lapides antiqui. Vide *Harduinum*. de Numm. Ant. p. 132. *Dausq.* Orthogr. part. II. p. 104. *Pighium* tom. II. Ann. p. 428. Atque ita editum apud *Vellejum* lib. II. cap. XXXIX. §. 3. & aliis ibidem locis. Sed Codices Manuscripti, uti Nostri omnes & Editiones, & illa ipsa, quam possidemus *Gryphii*, *Dalmatae* & *Dalmatia* praeferre solent. Idem de aliis testantur Cl. *Duker*. ad *Florum* lib. IV. cap. XII. §. 3. & *Oudend.* ad *Lucanum* lib. II. vers. 402. nec aliter infra Epit. cap. I. §. 7. & cap. IV. §. 4. &c. ARNTZ.

5 *Imperator.*] Nomen est militare. Nemo illud assequebatur, nisi cujus exercitus, victoria parta, X. millia hominum internecioni dedisset. MACH. Quod de *Imperatoris* nomine hic dicitur, P. Scipioni Africano *Plutarchus* adscribit, ut in nomine Scipionum falsum credam auctorem nostrum. SCHOTT.

Triumphum oblatum recusavit.] Recte enim Octavianum Augustum triumphalem lauream folia infructuosa appellare solitum refert *Sextus Aurelius Victor*. IDEM.

Sapientissimus.] Quid si *Sagacissimus* legas? quod ingenii proprium. Nihil tamen muto. In corde *sapientiam* quidam collocarunt. Animam alii vocarunt. Hinc Cordati & excordes vecordesque. *Cic.* I. Tusculana. IDEM. *Not. Min.*

Corculum.] Apud physicos lego animalia habentia minimum *cor*, esse prudentiora, inde homini est pusillum, virtute unita fortiore se ipsa dispersa: e contrario videmus boves, cervos & alia bruta, habentia magnum *cor*. *Homerus* I. Iliad.

Ὀνοβελὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Id conviciatus Achilles iratus Agamemnoni. Latine: *Vino gravis, oculo canine, cor cervinum.* MACH. De *Corculo* vide *Pomponium* I. C. l. II. de Origine Juris. *Ciceronem* in Bruto, & Tusculanis Disputationibus. SCHOTT. Confundit autem historiam rursum Scipionum patris & Filii, ut & *Val. Maximus* libro VII. cap. V. quod admonendum, nequis erraret, duximus.

P. Scipio Nasica, qui adoptatus a Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est: Cos. IↃCCI. Cicero VI. ad Attic. Pro domo sua & in Brut.	Pater P. Scipio Nasica.	Auus P. Scipio Nasica orator, Cos. IↃXLII. Uxor Caecilia Macedonici filia.	Proauus P. Scipio Nasica Serapio Cos. IↃCI.	Paternus C. Laelius Cos. IↃCXIII.
			Abauus	
		Auus maternus L. Licinius Crassus orator Cos. IↃCLVIII.	Proauus maternus Q. Mutius Scaeuula Augur. Cos. IↃCXXXVI.	Maternus P. Scipio Nasica Corculum Cos. IↃXCI & IↃXCVIII.
	Mater Licinia filia C. Laelii.	Ejus uxor Mucia filia C. Laelii.	Ejus uxor Laelia filia C. Laelii.	

SCHOTT.

CAPUT XLV.

ARGUMENTUM.

Viridomarum singulari praelio fundit, opima spolia Jovi consecrat, Hannibalem vinci docet, Syracusas expugnat, in Albano monte triumphat, Hannibalis insidiis deceptus occumbit, & magnifice sepelitur M. Claudius Marcellus.

Marcus Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari praelio fudit. [Spolia opima Jovi Feretrio tertius a Romulo consecra-

1 *Marcellus.*] De hac pugna egregie *Petrarcha* in triumphis inquit: *Vide el bono Marco Marcello che supra la riva di po apresso gia stesso occiso con le sue mani el gran ribello.* *Virg.* VI. Aneid.

- - - *Gallumque rebellem*
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Tertius autem a Romulo spolia opima Jovi Feretrio tulit. MACH.

Viridomarum.] Ita vulgati omnes. Veteres libri & Fasti Romani *Virdumarus* quatuor syllabis scribunt, & quincta vocali. Quidam calamo exarati *Viriodomarus* sex syllabis. *Propertius* lib. IV.

ſecravit. Primus docuit quomodo milites cederent, nec terga prae- 3
berent. Hannibalem] apud Nolam, locorum anguſtia adjutus, vin- 4
ci

IV. tetraſyllabum facit.

Virdomavi genus hic Rheno jactabat ab ipſo,
Nobilis erectis ſundere geſa rotis.

Plutarchus hoc nomen ignoraſſe videtur, in Romulo enim & Marcello *Britomartum* & *Briomarum* nominat. *Joſephus Scaliger* in quibusdam libris *Virdumani* reperit apud *Propertium*. SCHOTT. Ita ex Codice *Grammii* & omnibus Edit. quibus cum conſentit *Florus* lib. II. cap. IV. §. 5. & *Servius* ad *Virg.* lib. VIII. Aen. verſ. 856. Ex ſimilitudine vocis natus error in Fran. & Leid. ſec. *Marcellus Vir Romanus Gall.* Haun. *Marc. Vir Romanus Brennum Gall.* Audierat ille, Brennum olim Romam incendio deleviſſe, ſed omnes Gallorum duces ideo *Brenni* appellandi non erant. *Viridumarum* exprimunt alii apud *Caeſar.* lib. VII. Bell. Gall. cap. XXXVIII. & LV. Alii *Virdumarum*. Confer *Pighium* tom. II. Ann. p. 130. *Vinetum* ad *Eutrop.* lib. III. cap. VI. & ad *Florum* loc. laud. *Fabric.* ad *Oroſium* lib. IV. cap. XIII. & alios. *Briomartum* ſeu *Briomarum* quod eum appellet *Plutarchus* in Marc. p. 302. inde fortaſſe factum eſt, quoniam confuderit duorum ducum nomina, *Britomaro* enim duce Galli ab Aemilio fuerunt victi. *Florus* lib. II. cap. IV. §. 3. & ſic *Briomatum* hic legit Leid. pr. & *Boend.* Sed nihil incertius eſt in hiſtoria Romana, quam nomina propria Germanorum, cum Germanica latino ore durum quid ſonarent, praeſertim illis temporibus, cum veteri ſua lingua loquebantur, ex qua derivanda ſunt omnia illa vocabula, quod recte dudum monitum Viris Eruditis. ARNTZ.

Gallorum.] Inſubrium. ANNA.

Praelio fudit.] An. U. C. 531. ANNA.

2 *Spolia legit apud Nolam. Hannibalem primus.*] Praeclare locum hunc mutilum reſtitui ex membraneis codicibus, niſi vehementer fallor. Nec enim conſentaneum vero, cum & Romuli & Coſſi opima ſpolia tam diligenter referat, tertia ab illo ſtudio eſſe praeterita, nec enim plura fuiſſe leguntur. SCHOTT. Abſunt tamen ab omnibus & Scriptis & Editis, quare uncis incluſimus.

Jovi Feretrio.] *Virgilius* tamen VI. Aeneid. Quirino ſuſpenſa canit.

Aſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes:
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques, ſternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.

De qua controverſia *Servius*, & *Sex. Pompejus* lib. XIII. de Verborum Significatione & nos in Cornelio Coſſo quaedam. SCHOTT. *Johannes Grejonius* ab antiqua ſcriptura manu ductus ſic tentabat: *Spolia opima Jovi, &c. Primus docuit, &c. praeberent. Spolia etiam legit apud Nolam, ubi Hannibalem primus locorum anguſtia.* Ego MSS. religioſe ſequor. IDEM. *Not. Min.*

3 *Cederent.*] Ambiguum, an, quod mihi videtur, diphthongo hic ſcribendum, hoc eſt, Hannibalem vinci poſſe, ut de Poenicis militibus intelligatur. Sed *Ne quomodo milites cederent* non nemo legendum putabit ex *Plutarcho* in vita & comparatione Marcelli cum Pelopida. SCHOTT. *Not. Min.* Pro *cederent*, *Schottus* legendum putat, *incederent.* vel *milites ejus caederent.* Editam ſcripturam ſi retineamus, ſenſus erit: docuit milites, quomodo cederent, ſed ita tamen, ut non praeberent terga. SYLB. Annotant viri doctiſſimi: forte legendum, *incederent*; vel, *milites ejus caederent.* non eſt profecto. aliud enim adverſo vultu gradu lento turmatim retrocedere, aliud perturbatis ordinibus auſugere. qui urgente vi adverſariorum pedem proferre nequeunt, eum ſenſim & reſtitantes referunt; more leonis, qui in campo deprehenſus, canum venantiumque impetum haud tolerat, cujus mentio apud *Plinium* lib. VIII. Nat. Hiſt. cap. XVI. qui terga praebent, paſſim in fugam effunduntur, & omnes quidem acerrimo curſu; nonnulli etiam abjectis armis: uti pluribus oſtendi in diſſertationum *Livianarum* farragine. Alluſit pulcre imagini illi *Seneca* lib. de Tranq. animi cap. III. *Nec ego negaverim, aliquando cedendum; ſed ſenſim relato gradu, & ſalvis ſignis, ſalva militari dignitate. Sanctiores tutioresque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, ſtudioſoque virtutis: ſi praevalebit fortuna, & praecidet agendi facultatem, non ſtatim averſus inermisque fugiat, latebras quaerens, &c.* GRUT. *Cederent*, id eſt, retrocederent. ANNA. Et oppoſitum illud: *nec terga praeberent* ſatis verum ſenſum indicat, quem recte expoſuit *Gruterus.*

4 *Apud Nolam.*] Lego *Hannibalem apud Nolam primus* &c. ex *Valerio Max.* lib. I. cap. VII. SCHOTT. Supra in Hannibale. *Nola* in Picentinis non longe a Neapoli. ANNA.

Locorum anguſtia.] Nam tertia porta recluſus eſt Nolae. MACH.

Vinci docuit.] De quo *Plutarchus* his verbis meminit: Hic primum Hannibal terga Romanis oſtendit. Poeni itaque terrore, ac vulneribus confecti

5 ci docuit. Syracusas per tres annos expugnavit. Et cum per calu-
6 mniam triumphus ei a senatu negaretur, de sua sententia in Al-
7 bano monte triumphavit. Quinquies Consul, insidiis Hannibalis
8 deceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Romam remissa, a praedonibus intercepta perierunt.

fecti in castra compulsi sunt: in ea pugna plura quinque millibus hostium desiderata feruntur, ex Romanis vero non plures quingentis. *Livius* tantam hostium stragem fuisse nequaquam asserit. MACH. Haec duo verba non ferunt *Gramm.* Cod. & Ven. *vindicavit* praeferentes, hic scilicet usus verbi *docere* ignotior videbatur. *Claudianus* Bell. Get. vers. 138.

Primus fulmineum lento luctamine Poenum
Compressit Fabius; campo post ausus aperto
Marcellus vinci docuit.

Seneca Herc. Fur. vers. 241.

- - - Saeva Lernae monstra, numerosum malum
Non igne demum vicit & docuit mori.

Similiter *Claud.* Bell. Get. vers. 10.

- - - Cunctis faciles jam puppibus haerent
Ut vinci didicere semel.

ARNTZ.

5 *Syracusae.*] Urbs est metropolis, Siciliae quidem amoenissima. MACH.

Per tres annos.] Nam Archimedis Geometrae machinis diu in obsidione laboravit, tandemque cepit. Syracusanis Dianae festum inter jocos, ac delicias celebrantibus triumphavit: Romae autem ovavit minore triumpho, *Plutarcho* teste. MACH. Syracusas obsedit Marcellus anno U. C. 538. expugnavit an. 541. ANNA. Praepositio eadem notione qua apud *Ovidium* Epist. XVI. Her. vers. 91.

Laeta domus nato per tempora longa recepto.

6 *Triumphus ei.*] Sed minor ei *triumphus* concessus est, nam ovans urbem intravit. Vide *Liv.* lib. XXVI. cap. XXI. ANNA. *Ei* non agnoscunt tres Codd.

De sua sententia.] Prius *de sua sententia*, sine Senatus consulto in Albano monte, cum ei honos Romae negaretur, triumphavit C. Papirius Maso, quem multi alii postea sequuti sunt. ANNA. *Ex sua* Haun.

7 *Quinquies Consul.*] Cum T. Quintio Crispino. an. U. C. 545. ANNA.

Insidiis.] Dum cum Crispino iviſſet speculatum collem, qui mediastinus erat inter utriusque castra hostis, a Carthaginiensibus circumventus occidit, magnifice sepultus. MACH.

Ossa.] *Plutarchus.* Corpus splendide ac magnifice ornatum cremavit Hannibal, postmodum reliquiis in argentea urna conditis coronam imponens auream, filio mitti curavit, quae dum feruntur, intervenere Numidae, qui, ut vas corriperent, portantes adorti sunt: parte alia dum obsistitur, vique pugna committitur, ossa dispersuntur. Id cum audisset Hannibal, adstantibus dixisse fertur: *Profecto nil fieri Deo licet invito*, & affectis poena Numidis amplius legendas, transmittendasque neglexit reliquias. Unum addam in umbilico hujus capitis. In fine vitae Marcelli a *Plutarcho* conscriptae pedibus quoque me in sententiam fateor ire eruditi *Catellani Cottae* Mediolanensis, qui ad perdoctum condiscipulum Nostrum *Tristanum Calchum* Regium nunc auricularium in Senatu Insubrio judicio desiderati *Hermolai Barbari*, atque viventis *Parrhasii* scribit, opusculum istud, quod commentamur, *Cornelio Nepoti* addici, ita scribentis. *Plutarchus:* haec a *Cornelio Nepote*, atque *Valerio Max.* scripta traduntur. [Scilicet interceptas reliquias Marcelli.] IDEM. De his vide quae ex *Plutarcho* annotavimus in fragmentis *Nepotianis.* SCHOTTUS. *Praedonibus*, id est, Numidis. ANNA. De more remittendorum ossium in patriam vide *Herodian.* lib. IV. cap. I. *Justin.* lib. XXV. cap. V. §. 2. & *Servium* ad *Virgil.* lib. I. Aen. vers. 623.

CA-

CAPUT XLVI.

ARGUMENTUM.

Matrem Deum repente in alto ſtantem zona impoſita movet inceſtus falſo ſuſpecta Claudia virgo Veſtalis.

Hannibale Italiam devaſtante, ex reſponſo librorum Sibyllinorum Mater Deum a Peſſinunte arceſſita, cum adverſo Tiberi veheretur, repente in alto ſtetit. Et cum moveri nullis viribus poſſet, ex libris cognitum, caſtiſſimae demum feminae manu moveri poſſe. Tum Claudia, virgo Veſtalis, falſo inceſti ſuſpecta, Deam oravit, ut, 1 2

1 *Librorum Sibyllinorum.*] De qua re lege *Livium*, *Gellium*, *Macrobium*. Libros vetula quaedam Deo plena Tarquinio Priſco vendidit, in quibus de Hannibale pellendo talis fuerat ſententia: *Romani, ſi unquam vomicam illam, quae longe terrarum venit, pellere vultis a vobis, magnam Deum Matrem arceſſendam puto.* MACH. De iis apud *Florum*, quae vide ne actum agam. Repertum fuit in iis hoc carmen; *Quandoque hoſtis alienigena terrae Italiae bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincique poſſe, ſi mater Idaea a Peſſinunte Romam advecta foret.* ANNA.

Mater.] Alii *Matre*. SCHOTT. Ita *Boend.* & Leid. uterque minus concinne.

Peſſinunte.] Phrygiae oppido. ANNA. In praepoſitione hic ſibi non conſtant libri. *E Peſſinunte* expreſſerat *Aldus* eumque ſecuti, quomodo eſt in Leid. pr. &, ut videtur, *Gramm.* & Haun. *ex* Fran. *Tertull.* Apol. cap. XV. *Atyn illum deum ex Peſſinunte. a Peſſinunte*, *Boend.* Edit. Ven. & *Mach.* Quo modo *Livius* lib. XXIX. cap. X. *Mater Idaea a Peſſinunte Romam advecta foret.* Ita ex optimis MSS. praetulit magnus *Gronovius*, uti & apud Eundem lib. XXXIV. cap. III. *Matrem Idaeam a Peſſinunte ex Phrygia venientem exceperunt.* Praepoſitionem vero ignorat Leid. ſec. uti *Val. Maximus* lib. VIII. cap. XV. exem. 3. *Apollinis monitu Peſſinunte arceſſitam Deam excipi voluit.* & *Solinus* Polyh. cap. I. p. 8. *Arceſſi ſacra Deum Matris Peſſinunte.* Ita reſtituit *Salmaſius*, cui adſtipulantur Excerpta Codicis ſcripti. *Livius* lib. XXXV. cap. X. *Quia Matrem Idaeam Peſſinunte venientem in urbem acciperet.* Perinde igitur in tanta varietate, quid eligas nobis media lectio placuit, ſi alicui aliter videatur, praeferat id, quod optimum judicet. ARNTZ.

In alto.] *In alveo* libri ſcripti & Agrippinenſis; & *vado Tiberino extraxit*, inquit *Sueton.* in Tiberio cap. 11. Mihi tamen miraculum augere videtur vox *alto*. i. profundo ſatis loco. Quid enim mirum ſi in vado ſteterit? *Herodianus* lib. I. in oſtio Tiberis accidiſſe refert, ubi vadum fuiſſe quis credat? Adde adverſo flumine id accidiſſe. SCHOTT. Non memini *altum* legere circa fluvios. ſi tamen alibi reperitur; belle & heic locum ſuum tuebitur: ſin minus, reſcribendum cum MSS. *in alveo ſtetit.* Palatina tamen exemplaria alterum exhibent. GRUT. *Ovidius* tamen IV. Faſt. limoſo vado preſſam dicit.

Sicca diu fuerat tellus: ſitis uſſerat herbas:
Sedit limoſo preſſa cavina vado.

ANNA. *Adverſum Tiberim. Gramm. Altus* vero dicitur fluvius ab *Ovidio* lib. 11. Faſt. verſ. 166.

In medio geſtidae fons erat altus aquae.

De ipſo Tiberi idem lib. III. Am. El. VI. verſ. 69.

Ter molita fugam, ter ad altas reſtitit undas.

Tritiſſimum illud ejusdem:

In caput alta ſuum labuntur ab aequore retro
Flumina.

Adeoque hic *alto* eſſe poſſet *alto loco*, ubi ad navigandum profundus ſatis eſſet fluvius. Vel per *altum* hic intelligatur caput fluvii, ubi in mare exit, eo enim loco navem conſtitiſſe ſcribit *Ovidius* lib. IV. Faſt. verſ. 291.

Oſtia contigerat, qua ſe Tiberinus in altum
Dividit.

ARNTZ.

Ex libris.] Simpliciter, pro libris Sibyllinis, ita ſaepe *Livius*. ANNA.

ut, ſi pudicam ſciret, ſequeretur; & zona inpoſita navem movit.
3 Simulacrum Matris Deum adduxit, templum aedificavit Naſica, qui vir optimus judicabatur.

C A-

2 *Claudia.*] Ego *Q. Claudiam* eſſe puto, cujus ſtatua in veſtibulo templi matris Deum poſita, bis ea aede incendio conſumpta, in ſua baſi flammis intacta ſtetit. *Val.* lib. I. cap. VIII. *Quintam* etiam appellat *Cicero* pro M. Coelio, & de Aruſpicum reſponſi, & *Liſſius* noſter libro de Veſtalibus. SCHOTT.

Virgo.] Hae enim prae ceteris debebant pudicitiae & ſanctitatis laude eſſe inſignes & ab omni delibatae caſtitatis ſuſpicione longiſſime remotae. Elegantiſſimus quidem *Broukh.* ad *Propert.* lib. IV. El. XI. verſ. 52. Claudiam hanc ab omnibus *Matronam* appellari, adeoque non Virginem, ſed nuptam feminam fuiſſe exiſtimat, ideoque *Statii* locum, qui eam *Virginem* dixerat, in aliam ſententiam detorquet, quaſi *Virgo* etiam de Nupta diceretur. Sed ſi hoc faciant Latini, tum fere ex ſubjecta materia intelligi poteſt, ita eam vocem eſſe exponendam, quod apud *Papinium* tamen longe aliter ſe habet. Sed fugerat Virum in Poëtis verſatiſſimum, tum hic locus, tum alius *Sidonii Apollinaris* carm. XXIV. verſ. 41.

Qualis nec Phrygiae dicata Veſtae
Quae contra ſatis Albulam tumentem
Duxit Virgineo *ratem capillo.*

Ad quem locum alia adfert Erud. *Savaro.* Quare etiam eam Veſtalem ſacerdotem, quam τὸν παρθενεύειν, *virginitatem ſervare decebat*, facit *Herodian.* lib. I. cap. XI. §. 11. ARNTZ.

Falſo.] *Ovidius:*

Claudia Quinta genus Clauſo referebat ab Atta,
Nec facies impar nobilitate fuit.
Caſta quidem: ſed non credita, rumor iniquus
Laeſerat, & falſi criminis acta rea eſt.

ANNA.

Inceſtus.] Dicitur hoc vocabulum ab *in*, i. non *caſto*, literae mutatione: vel *in* & *ceſto*, baltheo Venereo. MACH. Correxere emendatores tot fere modis, quot literarores illi veteres dici permiſere; alii enim *inceſtu ſuſpecta*, alii *inceſti*, ſecunda inflexione, alii *de inceſtu.* SCHOTT. Malim *inceſtus ſuſpecta.* IDEM. *Not. Min. Inceſte* Leid. pr. *inceſtui* Fran. ceteri *inceſti*, & ſic Veneta editio, quamvis *inceſtus Mach. inceſtu Aldus* & qui eum ſequuntur. quod videtur malle Cel. *Burmannus* ad *Vell. Patere.* lib. II. cap. XXXV. §. 3. ſed cum hoc non admittant Scripti, malui *inceſti* exprimere. Quomodo *Livius* lib. II. cap. XLII. fin. *De Appia Virgo Veſtalis damnata* inceſti *poenas dederit.* Epit. *Liviana* XX. *Tutia Virgo Veſtalis* inceſti *damnata eſt. Val. Max.* lib. IV. cap. II. exem. 2. *Qui* inceſti *crimine a tribus Lentulis accuſatus. Obſequens* de Prod. cap. XCVII. *Tres uno tempore Virgines Veſtales nobiliſſimae cum aliquot Equitibus Romanis* inceſti *poenas ſubierunt. Oroſius* lib. IV. cap. II. *Virgo Veſtalis convicta damnataque* inceſti. & eodem lib. cap. V. *Cappironia Virgo Veſtalis* inceſti *rea.* lib. V. cap. XV. *Virgines Veſtales eadem Aemilia ad participationem* inceſti *ſolicitatae.* & lib. VI. cap. III. *Catilina* inceſti *accuſatus, quod cum Fabia Virgine Veſtali commiſiſſe arguebatur.* Paullo poſt corrupte *clam* pro *Deam* Leid. pr. ARNTZ.

Ut ſi pudicam.] *Lactantius* lib. II. cap. VIII. *Ut ſi ſe ſanctam judicaret, ſuum cingulum ſequeretur.* Alii legunt: & *pudicam ſe ſciret, ſequeretur.* SCHOTT. In mea Editione *Lactantii* quae cura Thyſii prodiit, nec alia jam eſt ad manus lib. II. cap. VII. pro *ſanctam* legitur *caſtam*, ſed praeferenda erit *Schotti* lectio, ſi MSS. innitatur, cum ignotiore ſignificatione idem indicet, monente jam olim *Servio* ad *Virg.* lib. XI. Aen. verſ. 158. *Spanhem.* ad *Callim.* Lavaero Pall. verſ. 53. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. V. verſ. 14. Cel. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. VI. §. 40. *Torren.* ad *Val. Max.* lib. VIII. cap. XV. exem. 12. *Ovidio* lib. IV. Faſt. verſ. 296. Ubi tamen *caſtos* praeſert Nob. *Heinſ.* in quatuor codd. *ſacros*, eſſe monuit Cel. *Burm.*, quomodo variatur apud *Senec.* Troad. verſ. 698.

Si te reviſat conjugis ſanctae torus.

Sacrae duo MSS. Traj. Poſſet & haec vox corrupta eſſe apud *Propert.* lib. II. Eleg. VII. verſ. 41.

Penelope poterat bis denos ſalva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis.

Siquidem putarem rectius *Sancta* ſcribi, pudicitia poſſet *ſalva* dici, non autem ipſa mulier. Ex his igitur patet, falſum eſſe Erud. *Clericum* ad Epiſt. II. *Sulpitii Severi* cap. XXXII. ubi haec habentur: *Praecede & in actu, quos in* ſanctitatis *ſanctificatione praecurris.* Praeſtaret, inquit, *ſanctimonialis* ſcribere. Sed non cogitavit Vir Doctiſſ. *Sulpitium* ab elegantia Linguae non eſſe omnino alienum. *Sanctitas* hoc loco eſt *caſtitas.* Sed cum alter locus alterum trahit ſum in illis, quae ad *Aurelium* non ſpectant, longior quam par eſt. ARNTZ.

3 *Simu-*

3 *Simulacrum.*] Pleniores membranae noſtrae quas bona fide expreſſi, ſenſu & pleniore & veriore id requirente. Vulgati enim hactenus: *Simulacrum matris Deum advexit*, alii *adduxit. Templum aedificavit Naſica, qui vir optimus judicabatur.* Supra vero cap. XLIV. ait matrem Deum, ſeu matrem Idaeam ab Attalo Aſiae Rege Romanis legatis traditam a Naſica hoſpitio acceptam & conſecratam, reſponſo ita monente. Vide *Plinium* lib. XVIII. cap. III. Nec templum aedificaſſe Naſicam verum eſt, ſed a Livio & Cajo Claudio Cenſoribus auſpicatum, & a Junio Bruto dedicatum, teſte *Livio* Annal XXXVI. SCHOTT. *Johannes Grejonius* ita cum *Livio* comparabat: *Simulacrum Matris Deum adduxit, quod, dum templum aedificatur, a Naſica, qui vir optimus judicabatur, exceptum eſt, & in aedem Victoriae latum*, lib. XXIX. & XXXVI. IDEM. *Not. Min.* Erud. *Schottus* in prima Editione expreſſerat: *Simulacrum Matris Deum, dum templum aedificatur, Naſicae, qui vir optimus judicabatur, quaſi hoſpiti datum.* Non nego, & hanc mihi lectionem prae Editis placere, ſi modo conſtaret, ab Aurelio eſſe. Sed tam magnae varietates ſemper mihi Gloſſae injiciunt ſuſpicionem, cum non veriſimile fiat, Librarios talia ſtudio omiſiſſe, & in aliam ſententiam detorſiſſe. Si cui ita videbitur, ſequatur *Schottum.* dedi Lectionem omnium Codicum & Editionum, niſi malis *Matris Deum domum adduxit*, ut ob ſimilitudinem ſequens vox ſit abſorpta. Aedificatorem templi Naſicam etiam facit *Ovidius*, ſi ſana eſt ſcriptura lib. IV. Faſt. verſ. 347.

Naſica accepit: templi tunc exſtitit auctor,
Auguſtus nunc eſt, ante Metellus erat.

Alii legunt *non*, quod tamen minus apte, quare melius ipſam hanc lectionem videtur amplecti *Schottus* ſupra ad cap XLIV. §. 1. ARNTZ.

CAPUT XLVII.

ARGUMENTUM.

Sardiniam ſubigit, Celtiberos domat, occupatis Thermopylarum jugis praeſidium hoſtium depellit, La Flamininum ſenatu movet, baſilicam ſuo nomine facit, matronis ornamenta repetentibus reſtitit, Galbam accuſat, ipſe accuſatus abſolvitur, Carthaginem delendam cenſet, & poſt octoginta annos filium gignit M. Porcius Cato Cenſorius.

Marcus Porcius Cato, genere Tuſculanus, a Valerio Flacco Romam ſolicitatus; Tribunus militum in Sicilia; Quaeſtor ſub Scipione fortiſſimus; Praetor juſtiſſimus fuit; in Praetura Sardiniam ſubegit.

1 *Porcius.*] *Porciorum* certe familia ruſtica a *porcis* paſcendis dicta. MACH. *Portius* vitioſe ſcribunt aliquot Editiones cum tribus MSS. Vid. *Boſium* ad *Nepot.* Cat. init. *Dausq.* Orthogr. part. II. p. 246. & *Keuchen.* ad *Frontin.* lib. I. cap. I. ex. I. deinde *Tuſculano* eſt in Fran.

A Valerio Flacco.] Hic Catonem induxit, animavitque, ut rem Romanam attingeret, motus maxime Catonis vita ac morum modeſtia. MACHAN.

Solicitatus.] *Ductus*, ſcriptum habet unus Codex perantiquus. Non male. SCHOTT.

Tribunus militum.] *Factus* adjicit vetus liber. IDEM. Fuit An. ab U. C. 545. *Cornelius Nepos* in vita Catonis. ANNA.

Quaeſtor.] Aerarii ſubaudi, quia etiam erat criminum. MACH. *Quaeſtores* qui pecunias conquirebant & reponebant Graecis ταμίαι, vulgo dicimus *Treſoriers.* fuit *Quaeſtor* anno ab U. C. 549. ANNA.

Fortiſſimus.] *Fortitudo* eſt, qua auſus increpare Scipionem, quod prodigalitate continentiam corrumpi permitteret, cui Scipio, ſe quaeſtore nimium diligenti non egere reſpondit. MACH.

Praetor.] An. U. 555. ANNA.

In praetura.] Aliter in MSS. eſt: *Ex praetura Sardi-*

2 git, ubi ab Ennio Graecis litteris inſtitutus. Conſul Celtiberos domuit,

Sardiniam ſubegit, unde legendum ratiocinabar: olim *obtinuit*, aut ſic; *ſortitus eſt*, aut *rexit*. vel *ſubegit* retinendum, & pro *tenuit*, aut *rexit* interpretandum: vel potius *delegit* reponerem, ut affine magis, exigente id rei veritate. nam Hiſpaniam citeriorem provinciam, hoc eſt Celtiberiam, quam Conſul ſortitus erat, pacaſſe, deque ea triumphum duxiſſe refert *Polybius*, *Appianus* in Hiſpanicis, & Latini Romanae Hiſtoriae racematores. *Sardiniam* quidem provinciam ſortitum Catonem Praetorem *Liv.* lib. XXXII. & *Plutarchus* Catone commemorat: *ſubegiſſe* vero nemo, quod equidem meminerim. Judicium tamen amplio. Forte hinc error natus, quod ſive *Cornelius Nepos*, ſive *Aemilius Probus* ita haec prior extuliſſet. *Ex Sardinia Q. Ennium poëtam deduxerat, quod non minoris aeſtimamus, quam quemlibet ampliſſimum Sardinienſem triumphum.* Quae tamen non triumphaſſe Catonem de *Sardis* loquuntur, neque *ſubegiſſe*: nondum enim rebellaſſe eo tempore *Sardos* legi. SCHOTT. Reſtat in *Schotti* omnibus MSS. *ex praetura*; ut videatur vox ultima mutanda in aliam, quae innuat *obtinuiſſe* aut *ſortitum* Sardiniam; non autem vi ſubegiſſe tanquam rebellem, quod nemo ſcripſit. Videantur notae *Schotti* noſtri. Nam Palat. alter habet: *fuit: In Sicilia praetura Sardiniam ſubegit*. GRUT. Ego puto delendam tantum vocem *ſubegit*, quam e gloſſemate natam ſuſpicor. Nempe ſcripſerat *Victor: In praetura Sardiniam* Elleipticôs, ſubintellecto *obtinuit*, *egit*, *habuit*, &c. Quod ut moneret ſtudioſus aliquis margini adſcripſit *ſup. egit*. Quod poſtea in textum receptum in *ſubegit* immutatum eſt. ANNA. *Ex praetura* hic locum habere haud poteſt, cum eo tempore nondum provinciae *ex praetura* darentur, ſed tantum quatuor legerentur praetores, qui inter ſe ſortirentur praeturam *Urbanam*, *Peregrinam*, *Siciliam* & *Sardiniam*. Ut patet ex *Pomponio* Jurisconſulto l. 2. §. 32. ff. de O. J. Epitoma *Liviana* XX. & *Solino* in Polyhiſt. cap. V. Poſtea demum, cum inductae ſunt quaeſtiones perpetuae, *ex Praetura* in provincia miſſi ſunt Romani magiſtratus. Neque etiam ferri poteſt *in Siciliae praetura*, quod & habet Leid. pr. & facile ex *Gruteri* lectione effici poteſt. Cum Sicilia & Sardinia eodem tempore factae ſint provinciae, quae a Praetoribus regebantur, (ut patet ex locis modo allegatis) adeoque Sardinia non potuit ſubigi a Praetore Siciliae. ſed quod vox *Siciliae* interpoſita ſit, ex ſuperiori verſu duxit originem, cujus corruptionis veſtigia exſtant in *Boend.* in quo erat: *In Sardiniam praetura*. Hunc corrector errorem intelligens, & alio eum vitio cumulans *Siciliae* fecerat, unde patet ex praecedentibus repetitam a Librario fuiſſe, qui & ibi *in Siciliam* ſcripſerat. Leid. ſec. habet: *Quaeſtor S. S. fortiſſimus fuit. In praetura Sardiniam* &c. & ita Haun. niſi quod ille *fuit* ſimul omittat. Haec lectio quamvis terſior ſit, &, ut mihi quidem videtur, multo elegantior. (Nam ex repetitione *Praetor* & *Praetura* facile aliquis duos Magiſtratus efficeret, primumque ad Jurisdictionem civilem, alterum provincialem referret, cum ſaltem ſemel praetor fuerit, & in ea praetura ſorte obtinuerit Sardiniam Cato.) Licet, inquam, haec lectio terſior ſit, non tamen tollit difficultatem, quae oritur ex voce *ſubegit*. *Obtinuit*, *ſortitus eſt*, *rexit* ſi ſcripſiſſet, vere ſcripſiſſet *Aurelius*. ſed quis hoc dicet, cum tam multum differant ductus litterarum. Neque *ſubegit* per *rexit* audeo exponere, cum Noſter non Philoſophum, ſed Hiſtoricum agit, cujus verba capienda ſunt de domita regione, non de vitiis animi & inprobis moribus, in quibus coërcendis aſperiorem eum in hac praetura fuiſſe notat *Livius* lib. XXXII. cap. XXVII. *delegit* autem ſcribere non potuit, cum *ſorte* eam acceperit, teſte *Livio* lib. XXXII. cap. VIII. Quod autem vocem hanc delendam cenſeat Elegantioris ſexus Decus, adſentire nequeo, non enim intelligo, quomodo Gallicis auribus talis conſtructio placere potuerit, quae certe apud Belgas, licet craſſiori, quod illis objicitur, coelo adſueti, vitio verteretur. Durius fortaſſe quis exiſtimet, ſi vitium hoc ignorantiae ſeu ineptiae Auctoris noſtri tribuam, praeſertim cum illud Libratiorum culpae etiam adſcribere maluerit *Pighius* tom. II. Ann. p. 251. Quare & conjecturam meam adſcribere, quam perituraе chartae parcere, ſatius duxi. Reponerem itaque ego: *Sardiniam ſorte egit. Sorte* namque diviſas fuiſſe provincias nemo ignorat. Qui dubitat, praeter innumera loca conferre poteſt *Livium* lib. IV. cap. XXXVII. & XLIII. lib. VI. cap. XXX. lib. VII. cap. VI. & XXXVIII. *Senec.* lib. I. de Ira cap. XVI. fine. *Spartian.* Sev. cap. II. & IV. Erud. *Munckerum* ad *Lactant. Plac.* Narr. Fab. II. p. 275. Cl. *Schulting.* ad ff. de Off. Proc. §. 3. *Val. Max.* lib. VI. c. IX. exem. 6. Quod idem de hac Caronis praetura teſtantur *Livius* & *Plutarchus*. *Egit* vero erit *adminiſtravit*, *rexit*, ut *agere regnum*, de qua locutione confer Cel. *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. VI. §. 2. *Liv.* lib. I. cap. XXXII. *Inter ſacella & aras acturum eſſe regnum rati. Poteſtatem agere* apud eundem

mult, & ne rebellare poſſent, litteras ad civitates ſingulas miſit, ut muros diruerent. Cum unaquaeque ſibi ſoli inperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Tribunus militum ſub M' Acilio Glabrione 3 occupatis Thermopylarum jugis, praeſidium hoſtium depulit. Cen- 4 ſor

eundem *Flor.* lib. 1. cap. VII. §. 2. *Imperium agere. Plinius* lib. VII. Hiſt. Nat. c. XXVIII. *Virgilius* lib. 1. Aen. verſ. 574.

Tros Tyriusque mihi nullo diſcrimine agetur.

Ubi *Servius: regetur.* Unde *agere* aliquid dicitur Proconſul ſeu Propractor in Provinciis pro *curare.* l. 1. pr. ff. de Alien. Jud. mut. cauſſa. l. 1. §. 1. ff. Ubi pupill. educ. & l. 1. §. 10. ff. de oper. novi nunc. Si res igitur mei eſſet judicii, praeferrem, partim MSS. partim adjutus ingenio: *Quaeſtor ſub Scipione fortiſſimus fuit; in Praetura, Sardiniam ſorte egit.* Videant Eruditores. Si quis quid melius adferat, inter primos me reperiet ſelicioris ingenii aeſtimatores. ARNTZ.

Ennio.] Poëta ingenio maximus, arte carens: de quo ita *Cicero* in Archia: *Quare ſuo jure ille noſter Ennius ſanctos appellat poëtas.* Ibi etiam: *Cluvius fuit Africano ſuperiori noſter Ennius: itaque etiam in ſepulcro Scipionum is putatur eſſe conſtitutus.* MACH.

Graecis litteris inſtitutus.] Imo Ennium Poëtam inde deduxit, a quo multo poſt *Graecis litteris* ſenex admodum *inſtitutus.* ANNA.

2 *Conſul.*] Ann. U. C. 558. EAD.

Celtiberos.] De illis etiam *Lucanus:*

- - - Profugique a gente vetuſta
Gallorum Celtae nomen miſcentis Hiberis.

MACH. Hiſpaniae Tarraconenſis populos. *Flor.* lib. II. cap. XVII. *Cato ille Cenſorius Celtiberos, id eſt, robur Hiſpaniae, aliquot praeliis fregit.* ANNA.

Fecerunt.] Omnium urbium muros, quae intra Baetim ſunt amnem, a Catone uno die ſolo aequatos fuiſſe, *Livius* auctor eſt. MACH. *Peterent* a prima manu erat in Fran. ut *Livius* lib. VI. cap. III. *cum pro ſe quisque tenderent ad portas. Apulej.* lib. VIII. Metam. p. 214. *Sua quisque brachia diſſicant.* & lib. X. p. 240. *Varie quisque praeſentium auctores inſimulabant. Dict. Cretenſis* lib. II. cap. XXXII. *Cohortati ſuos quisque acie conſtiterc.* De hac conſtructione alia ſummus *Gronovius* ad *Livium* lib. V. cap. XXXIX. & lib. VII. cap. XIX. Cl. *Burm.* ad *Quinctil.* Decl. XII. cap. V. ad *Ovidium* lib. I. Met. verſ. 59. & lib. V. verſ. 212. & Erud. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. VII. §. 1. Tamen nulla eſt neceſſitas ut quidquam mutes, ceteri enim codices nihil variant, & haec ipſa verba, quod & alibi obſervavimus, exſtant apud *Frontinum* lib. I. Strat. cap. I. ex. 1. *Unaquaeque urbium ſibi ſoli credidit imperatum.* Neque offendere debet, quod ſequens verbum in plurali legatur, nam ſic eleganter & alii eos numeros variare ſolent. *Apulejus* lib. IV. Metam. p. 147. *Sic* unusquisque *proximi periculi confinio* territus *ſuppetiatum* decurrunt. *Livius* lib. VII. cap. XXXIII. *Hoc ſpectaculo* accenſi *dextra laevaque ante ſe* quisque *memorandum praelium* ciet, ubi tamen *cient* conjecit ὁ πάνυ *Gronovius*, cum recepta lectio facile locum ſuum teneatur. *Hygini* Poët. Aſtr. cap. VII. p. 373. *Ita ſibi* quisque appeteret, *ut membra ejus* diſcerperent. ubi etiam *appeterent* omnino praeferendum ducebat Erud. *Munckerus.* Idem *Hyginus* fab. CX. Vellent *in Patriam ſuam* quisque *reverti*, & *praedam* quisque *ſibi* duceret. Vide omnino diligentiſſime more ſuo de tali variatione agentem *Cortium* ad *Salluſt.* Catil. cap. XXIII. §. 6. ARNTZ.

3 *Syriaco bello.*] Quod contra Antiochum gerebatur. Vide *Florum* lib. II. cap. VIII. ANN. *Boend.* & Leid. ſec. *Syriatico.*

Tribunus militum.] Idem *Appianus*, *Plutarchus*, *Cicero*, *Livius* vero *Conſularem legatum* vocat. ANNA.

M' Acilio Glabrione.] *Manius Acilius Glabrio* ſcribendum ex Capitolinis Tabulis, nam apud *Appianum* mendoſe legitur Α'κίλιος pro Α'κίλλιος. SCHOTT. Fuit Conſul cum P. Cornelio Scipione Naſica an. U. C. 562. ANNA. Aliquot ſcripti *Atilio.* Venet. *Atilio.* Sed nihil hac varietate frequentius. Adi *Bongars.* ad *Juſtin.* lib. XXXI. cap. VI. §. 4. *Lindenb.* ad *Ammian. Marcell.* lib. XIV. cap. VI. p. 24. *Keuchen.* ad *Frontin.* lib. II. Strat. cap. IV. ex. 4. & Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. VIII. §. 10. ARNTZ.

Thermopylarum jugis.] Thermopylae Oetae montis anguſtiae juxta Maliacum ſinum. *In iis iter eſt non latius quam ſexaginta paſſus, haec una militaris via eſt, qua traduci exercitus, ſi non prohibeantur, poſſint, ideo Pylae* (*id eſt, portae*) *& ab aliis quia calidae aquae in ipſis ſaucibus ſunt, Thermopylae locus appellatur. Liv.* lib. XXXVI. cap. XV. ANNA.

Praeſidium hoſtium depulit.] Callidromi hiſtoriae referunt. Cato miſſis militibus ſuis Firmianis, quibus praerat, ſpeculatorias cuſtodias Regis propalavit, qui univerſum exercitum pavore

ſor L. Flamininum Conſularem ſenatu movit, quod ille in Gallia, ad cujusdam ſcorti ſpectaculum, eductum quendam e carcere, in convivio jugulari juſſiſſet. Baſilicam ſuo nomine primus fecit. Matronis, ornamenta erepta Oppia lege, repetentibus reſtitit. Accuſa-

fugaque conſternavere, unde Antiocho lapide icto, excuſſisque dentibus, ac doloris acerbitate equum avertente, exercitus regius nulla ex parte impetum Romanorum ſuſtinere potuit. MACH. Vide *Liv.* lib. XXXVI. cap. XV. XVI, XVII. &c. ANNA.

4 *Cenſor.*] Cum L. Valerio an. U. 569. aetatis ſuae 49. EADEM.

Flamininum.] Patriciae gentis nomen, non *Flaminium*, ut vulgati. SCHOTT. *L. Quintium Flaminium*, *Livius*. ANNA. Corrupti hoc loco ſunt Codices, quorum parte *Flaminium*, *Flaminem & Flaminum*, praeferunt. Edtt. *Flaminium*. Certum tamen eſt, hunc hominem *Flamininum* fuiſſe appellatum. Vid. *Gron. & Schulting.* ad *Senec.* Contr. XXV. init. Neque novum eſt has voces ita confundi a librariis, exempla dabimus infra ad cap. LI. ARNTZ.

Conſularem.] Quem liber unus *Conſulem* facit, non *Conſularem*. Hoc tamen verum. Nam apud *Ciceronem* Cato ſeptem annis poſtquam Coſ. fuiſſet, ſenatu illum ejeciſſe narrat. SCHOTT. Nihil in noſtris variatur. Tamen *Conſulem* eum vocat *Livius* lib. XXXII. cap. XLII. *Praetorem. Senec.* Contr. XXV. p. 303. & alibi. Poſt male *e Senatu* profert Leid. pr. cum addenda omnino non fuiſſet praepoſitio. *Livius* lib. XLII. cap. X. *Omnes quos ſenatu moverunt.* lib. XXXIX. cap. XLII. Epitoma XIV. XVIII. & XCVIII. *Val. Maximus* lib. II. cap. VII. exem. 5. & eodem libro cap. IX. ſaepius. ARNTZ.

Quod ille in Gallia.] Placentiae, inquit, apud *Livium Valerius Antias* famoſam mulierem fuiſſe. Porro *Livius* habet, ab Roma in *Galliam* perductum Philippum Poenum, nobile ſcortum. MSS. *in Galliam* accuſandi caſu. Sic enim habent: *quod ille in Galliam cujusdam ſcorti ſpectaculum ejectum quendam e carcere jugulandum juſſiſſet.* SCHOTT. *In Galliam* etiam Leid. ſec.

Ad cujusdam ſcorti ſpectaculum.] De hoc auctores variant hiſtoriam. *ſcortum* autem de utroque ſexu dicitur, quia, ut corium, ſubigatur: *ανὰ τὸ* corium Graece. MACH. *Livius* ad *ſpectaculum ſcorti procacis:* id eſt, ut ſpectaculum ſcorto fieret. Hanc hiſtoriam fuſe *Liv.* lib. XXXIX. cap. XLII. & XLIII. ANNA.

Scortum.] Pro puero meritorio, ut *Sueton.* Vitellio cap. III. SCHOTT.

Eductum.] Pariſinus antiquus codex *vectum* legit, Agrippinenſis *vinctum*. Quid ſi legas, *e Gallia ejectum*, vel *vectum quendam, a carcere &c.* nam Gallum transfugam fuiſſe, aut e Galliis profugum *Livius* diſerte ait libro XXXIX. SCHOTT. *Vectum Gramm.* & Ed. Ven. *ejectum.* quinque reliqui, in mea Agrippinenſi Editione *victum* legitur. ſed receptam lectionem tuentur reliquae Editiones, quae ſenſum etiam efficit planum. *Seneca* Conſol. ad Marciam cap. XX. prope init: *Haec* e carcere educit, *quos exire imperium impotens vetuerat.*

In convivio.] *Inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos eſſet, ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu Conſulis recubantis mactatam humanam victimam eſſe, & cruore menſam reſperſam. Livius.* ANNA.

Juſſiſſet.] *Livius ſua manu hominem interfeciſſe:* non per lictorem, ut *Valerius Antias* & *Plutarchus* in Catone & in T. Quinctio Flamininо. SCHOTTUS.

5 *Baſilica.*] Regium aedificium, nam *βασιλεὺς* rex appellatur. Porcia vocitabatur, cujus adhuc veſtigia exſtant, ſi famae credimus. MACH. E quatuor tabernis, quas emerat, erat facta. ANN.

6 *Matronis.*] Locus mendoſus, recte nunc habet ſelici interpunctione: ſic antea diſtinctus: *Matronis ornamenta erepta, Oppia lege repetentibus*, quaſi dicas, *matronas* per Oppiam legem repetiiſſe jus cultus, mundumque muliebrem nimis ſumptuoſum. SCHOTT.

Oppia lege.] De matronarum cultu tulit C. *Oppius* Tribunus plebis Q. Fabio, Tito Sempronio Coſſ. anno U. C. 540. *ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet, neu veſtimento verſicolori uteretur, neu juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa, veheretur. Liv.* XXXIV. *Tacit.* lib. III. ANN.

Repetentibus.] Sic legendum, non *petentibus.* MACH.

Reſtitit.] Bene ait, quia uſus oratione gravi ſcripta a *Livio* IV. libro belli Macedonici in principio aeque reſpondente L. Valerio. MACHAN. Ineptius qui pro *reſtitit, reſtituit* reſtituerunt praeter ipſam hiſtoriae veritatem. SCHOTT. Quidam libri: *Oppia lege petentibus reſtituit.* Hiſtoriae namque cenſus eſt, eum reſtitiſſe Matronis, quae cultum Oppia lege ſibi ereptum repeterent, qua de re ſup. 153. 15. SYLB. Reſtitit fruſtra, nam

cusator adsiduus malorum, Galbam octogenarius accusavit; ipse quadragies quater accusatus, glorioſe absolutus. Carthaginem delen- 8
dam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago hujus, 9
funeris gratia produci solet.

C A-

nam Oppii lex abrogata & matronis ornatus concessus. ANNA.

7 *Galbae.*] Unde dicti sunt, lege *Suetonium* in principio vitae *Galbae* Imperatoris late dicentem. MACH. Fuit hic *Servius Sulpitius Galba*, qui praetor Lusitanos diripuit, Cujus gentis praenomen male in antiquis scriptoribus *Cicerone*, *Livio*, *Suetonio*, *Nepote*, aliis, in *Sergius* est commutatum: & in *Tacito* quoque, ut *Justus Lipsius* admonuit, qui propter ingenii doctrinaeque praestantiam nemini est paullum modo humaniori incognitus, ut *Varronis* usurpem. Cum enim *Ser.* scriberetur, *Sergius* inde formarunt, quod est Catilinarum gentile nomen. Graeci scriptores Σεργίου Γάλβας: tametsi in *Plutarcho* Σερουίλιος hic reperi inemendate scriptum. SCHOTT.

Octogenarius.] *Livius* XXXIX. & *Plutarchus nonagenarium* peroraſſe scribunt: falso, nam 85. annos natus mortuus est, auctor *Cicero* libro de Claris Orator. & *Plinius* lib. IX. c. I. SCHOTTUS.

Quadragies quater.] Idem Plinius lib. VII. de Catone affirmat. MACH. Et *Solinus* Polyh. cap. I. p. I. medio.

8 *Carthaginem delendam censuit.*] Africanas subinde ficus ostentans, quas de industria sub toga tulerat, inquiens: *Fundum, ex quo haec lecta poma, trium dierum navigatione ab urbe Romana distare: unde e republica mihi Carthago delenda videtur.* Licet Scipione Nasica contradicente, decretum est a Senatu, eam everti. MACH.

9 *Post octoginta.*] *Aldinus* Codex eumque sequuti reliqui: *octuaginta.* Septuagenarii viri generant, inquit *Aristoteles* lib. VII. Animal. & in Politicis lib. VII. cap. XV. Cato tamen *octogenarius* filium e Salonii clientis sui filia. *Plinius* lib. VII. cap. XIII. & *Solinus*. *Plutarchus* idcirco nuptias eum contraxisse ait ὑπὲρ ἡλικίαν. Et Massanissa post *octogesimum sextum* annum filium, qui *Methymnus* appellatus sit. *Valerius* lib. VIII. cap. XIV. SCHOTT. *Octoginta* tamen ex editis etiam *Gryphius*.

Imago hujus, funeris gratia.] *Aldinus* codex *imago cujus* &c. Malo tamen *solius*, aut *unius*. *Uni* enim hoc honoris gratia tributum, ut ejus e curia *imago* in *funus* produceretur, ut auctor est *Val. Max.* lib. VIII. cap. XVI. Unde hunc locum ut mutilum instaurare doctissimus *Pighius* tentavit, *imago ejus funeris gratia e curia produci solet.* Caeterum de *imaginibus*, quae comitabantur gentilitia funera, lege *Plinium* lib. XXXV. cap. II. & *Corn. Tacitum* lib. III. Annal. extremo. Visum autem fuit non abs re fore Catonis dignitates, quas multas gessit, & aetatem per annos Consulares diligenter a nobis digestam subjicere, ut facilius *Plutarchus*, *Livius*, *Cicero*, & *Cornelius Nepos* intelligantur. Nam Porciae gentis stemma texuit egregie *Agellius* lib. XIII. cap. XVIII.

M. PORCIUS M. F. CATO CENSORIUS.

DXXI. Natus M. Aimilio Lepido, M. Poblicio Malleolo Coss. Sic enim ipse apud *Ciceronem* in libro de Senectute: *Anno postquam primum Consul fuerat Q. Fabius Maximus Verrucosus, qui Tarentum recepit, ego natus sum &c.* Alii DXIX. anno natum putant L. Postumio Albino, Sp. Carvilio Maximo Coss. in iis *Karolus Langius*, legitque: *Anno post, Consul primum fuerat, quam ego natus sum.* quae & in veteribus se repetisse libris *Aldus Manutius* testatur.

DXXXIX. Annos natus XVII. primum stipendium meruit, & militavit ad Capuam sub eodem Fabio quartum Consule. *Cor. Nepos.* XIX. alii numerant, ut altero a primo Consulatu Fabii anno natus sit Cato.

DXLIV. Aetatis XXIV. ad Tarentum stipendia fecit, Fabio quinctum Consule, ut ipse apud *Ciceronem* de Senectute.

DXLV. Aetatis XXV. Tribunus militum in Sicilia fuit M. Claudio Marcello V. T. Quinctio Crispino Coss. *Cor. Nepos*, vel *Aemilius Probus* in vita Catonis.

DXLVI. C. Claudii Neronis Cos. castra sequitur: strenuus habitus & laudatus in praelio Sennensi, quo cecidit Asdrubal, exercitu Alpes trajiciens, ut copias cum Hannibale fratre conjungeret. *Cornel. Nepos* & *Livius* lib. XXVII.

DXLVIII. Quaestor P. Scipioni Africano, in Africa Proconsuli, cum quo perpetuo dissensit, & Augur, annos natus XXIIX. P. Cornel. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Coss. *Livius* XXIX. Annal. & *Nepos*, *Cicero* vero in Bruto & Catone anno insequenti, Cethego & Tuditano Coss. Quem locum recta interpunctione &

collocatione ſanat *Andr. Patricius* in lib. II. M. Tullii de Rep. *Fabio quartum Coſ. adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam, decimoque anno poſt ad Tarentum quaeſtor, quum magiſtratum geſſi Coſſ. Tuditano & Cethego. Deinde aedilis, quadriennio poſt factus ſum praetor, cum quidem ille admodum ſenex ſuaſor Legis Cinciae de donis & muneribus fuit.* *Lambinus* in Probum bis quaeſtorem fuiſſe exiſtimat: non ſequor, quum & in *Ciceronis* Catonem vide.

DLI. Quadriennio poſt Aedilis plebis factus cum Cajo Aelio, qui male in *Nepotis* fragmento *C. Helvius* appellatur. *Livius* libro XXXII. & ipſe apud *Ciceronem* Senectute. Agebat tum annum aetatis trigeſimum primum.

DLV. Praetor quadriennio poſt Sardiniam provinciam obtinuit: Q. Ennium poëtam inde deduxit, a quo & poſt Graecas ſenex admodum literas didicit. *Val. Max.* lib. VIII. cap. VII. *Plinius* lib. VII. cap. XXX. D. *Hieron.* Epiſt. ad Nepotianum. *Liv.* XXXII. Annal. *Plutarchus* & *Nepos Cornelius* in ejus vita. *Cicero* in Catone.

DLVIII. Conſul cum L. Valerio Flacco, quo auctore Romam e Sabinis commigrarat. *Veget.* lib. II. cap. III. (ut *Modius* quidem legit) & lib. I. cap. VIII. Hic ejus abſtinentia eluxit, & frugalitas. In hoc magiſtratu totam citeriorem Hiſpaniam, quae rebellaverat, pacavit, bello ab Emporiis inchoato, adjuvante P. Manlio Praetore. Matronis cultum repetentibus, Oppia lege ademptum, reſtitit. *Plutarchus*, *Livius* XXXIII. Annal. *Nepos*, alii *Val. Max.* lib. IX.

DLIX. Hoc anno pro Conſule ex eadem provincia de Senatus ſententia triumphavit. Faſti Capitolini, *Appianus* Ibericis, *Frontinus*, *Florus*, & *Zonaras*.

DLXII. Legatus (ut *Cicero* memoriae vitio, Tribunus militum) Manii Acilii Glabrionis Conſulis, occupatis Thermopylarum jugis praeſidium hoſtium depulit. *Cicero* in Catone Majore. *Livius* lib. XXXVI. *Appianus*, *Plutarchus*, *Juſtinus* lib. XXXI. *Feſtus* in *Ordinarium*, & *Sofipater* ex oratione dierum dictarum de Conſulatu ſuo: *Item uti a Thermopylis atque ex Aſia maximos tumultus maturiſſime diſjeci atque conſedavi.* Idemque *Cato* in ea, quam ſcripſit de ſuis virtutibus contra Thermum: *M. Fulvio Conſuli legatus ſum in Aetoliam: propterea quod ex Aetolia complures venerant, Aetolas pacem velle.* *Feſtus* in *Oratores*. *Auctor hic de Viris Illuſtribus.*

DLXIX. Aetatis XLIX. Cenſor graviſſimus cum L. Valerio Flacco rurſum. L. Quinctium Flamininum, Titi fratrem Senatu movit, & in aerarium redegit. Luxuriam hominum repreſſit, quae incipiebat pullulare. In quo honore quod tam ſevere praefuiſſet, *Conſorius* eſt appellatus. *Livius* XXXIX. lib. ab U. C. *Plutarchus* in Catone, Capitolini lapides, *Val. Max.* lib. II. cap. IX. & lib. IV. cap. IV. *Corn. Nepos* & *Cicero* in Bruto & Catone. *Seneca* Rhetor. Controverſ. XXV.

DC. Octogenarius jam Servium Sulpitium Galbam, qui Luſitanos Praetor diripuit, vehementi oratione accuſavit. *Livius* lib. XXXIX. *Plutarchus* & Auctor noſter de Viris Illuſtribus. *Val. Max.* lib. VIII. cap. VII. non ut *Livius* lib. XXXIX. & *Plutarchus* nonagenarius.

DCIV. Initio tertii belli Punici Karthaginem nova molientem delendam cenſet, certarque in ea ſententia de Reip. ſalute & commodo cum Scipione Naſica, qui ſervandam urbem cenſebat, ne otio in luxum juventus Romana dilaberetur. Pervicit tamen ſententia Catonis. *Livius*, *Florus*, Auctor hic de Viris Illuſtribus.

DCV. Hoc anno mortuum ſuſpicor, octoginta quinque annos natum: Coſſ. P. Cenſorino & M. Manlio. *Vell. Paterculus*. *Cicero* de Claris Oratoribus & *Plin.* lib. XIV. cap. IV. Natur. Hiſt. *Plutarchus* vero & *Livius* nonagenario majorem faciunt, ſed falluntur: pace eorum dixerim. SCHOTT.

CAPUT XLVIII.

ARGUMENTUM.

In Italiam trajicit Hasdrubal. Hasdrubalem cum Livio collega vincit, Hasdrubalisque caput ante vallum Hannibalis projicit, & ovans urbem introit C. Claudius Nero.

HAsdrubal frater Hannibalis, ingentibus copiis in Italiam transjecit, actumque de Romano imperio erat, ſi jungere ſe Hannibali

bali potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale 2
castra conjunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Hasdru-
balem properavit, & se Livio collegae apud Senam oppidum & Me-
taurum flumen conjunxit, amboque Hasdrubalem vicerunt. Nero 3
regressus pari celeritate, qua venerat, caput Hasdrubalis ante val-
lum

1 *Copiis.*] Exercitu. nam in singulari abundantiam & facultatem indicat, licet *Sallustius* dixerit profecto: *Ex omni copia Catilinae.* MACH.

In Italiam trajecit.] Alpes transierat ann. U. C. 546. ANNA.

Actumque.] Idem *Florus* lib. II. cap. VI. p. 3. *Actum erat procul dubio, si vir ille se cum fratre junxisset.* EADEM. Ordo hic verborum, quem recepi, est ex omnibus scriptis & Edit. *Mach.*

Si conjungere Hannibali copias potuisset.] Reposui quod non solum in MSS. omnibus est, verum etiam Antiq. Paris. & Colon. suadente & ratione, ne eadem vox inutiliter repetatur. SCHOTTUS. Variis correctorum Glossis hic locus est inquinatus. *Jungere Annibali copias* Leid. pr. *Jung. Hann. castra.* Leid. sec. *conjungere Hann. copias Ald.* & Vulg. simpliciter *jungere Hann.* Fran. verum antiquam scripturam reservarunt reliqui scripti *jungere se* vel *sese*, quomodo etiam Editio Ven. & Agripp. sine dubio hisce mutationibus causam dedit, quod ignorabant, recte etiam dici de duce, *jungere se*, ut totus etiam exercitus simul intelligatur. Ita tamen *Livius* lib. XXIII. cap. XL. *Ea occasio Hampsicorae datae Poeno* se jungendi. lib. XXVII. cap. V. *In Italiam transgressus* jungeret se *Hannibali.* lib. XXIX. cap. V. *Lucretium se cum M. Livio* juncturum. & *Vell. Paterculus* lib. II. cap. LXIII? §. 2. *Ne* se *cum Antonio, hoste judicato*, jungeret. ARNTZ.

2 *In Apulia.*] Imo in *Lucania* ad urbem Grumentum. ANNA. Absunt hae duae voces a Leid. pr.

Relicta parte.] Cum Q. Catio legato. MACH.

Delectis.] Sex millibus peditum, & mille equitibus. MACH. Sic hactenus editi, quos mihi videre contigit. MSS. *electis.* Scribe *dilectis* tertia vocali, ut docet *Festus* lib. IV. de Verb. Signific. SCHOTT. Scio, quid de varia scriptura *dilectus* & *delectus* scribant Eruditi, & inter alios tria illa Patriae nostrae Lumina *Burmannus* ad *Ovidium* lib. X. Met. vers. 324. *Drakenborchius* ad *Silium* lib. VII. vers. 43. & *Dukerus* ad *Florum* lib. IV. cap. II. §. 5. Utrumque recte dici existimo, certe substantivum *dilectus* confirmat *Festi* auctoritas, adjectivum si sit, mallem *delectus* praeferre. *Delectis* hic Scripti & Editi. ARNTZ.

Livio.] M. Livio Salinatori. ANNA.

Apud Senam oppidum.] In Brutiis juxta mare Adriaticum, a Gallis *Senonibus* conditum, unde & *Sena Gallica* dictum. EAD.

Et Metaurum.] Descendit in Adriaticum sinum, haud longe a Fanestri colonia. MACH. MSS. *Metaurumque fluvium* Mediol. *Methaurum* scribit cum spiritu. Est autem flumen in Umbria non longe ob opido Sena, quod *Senogalliam Plinius* lib. III. cap. XIV. Nat. Hist. appellat. Est vero a Gallis *Senonibus* urbs condita, quos constat juxta Adriaticum mare sedes habuisse: auctor *Polybius* lib. II. Unde *M. Tullius* in Bruto hoc praelium *Senense* vocat; *Ludis*, inquit, *Juventutis, quos Salinator Senensi praelio voverat.* SCHOTTUS. De *Metauro* Nob. *Heinsius* ad *Silium* lib. VII. vers. 486. Adspirationem hic quoque addit Leid. pr. Dicitur autem utroque modo *Metaurus* & *Metaurum* Horat. lib. IV. Od. IV. vers. 38.

Testis Metaurum flumen.

Quod male negabat & *Metaurus* restituebat ad *Pomp. Melam* lib. II. cap. IV. vers. 77. *Pintianus.* Simile utriusque terminationis exemplum supra vidimus in *Saguntus* & *Saguntum* cap. XLII. §. 2. ARNTZ.

Hasdrubalem.] Qui, ut patre Hamilcare, & Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit, redditaque est clades Cannensis per caput Hasdrubalis. *Petrarcha: Claudio Nerone che el capo de Hasdrubale presento al fratello assiro & feroce si che de doglia gli fece voltar le spalle.* Causa ruinae Hasdrubalis fuere legati cum literis a fratre ad Hannibalem missi, qui incertis itineribus Tarentum delati, & capti, ad Claudium Neronem perducti fuere, unde Consul, admonito Senatu, nocturno profectus tempore & diurno, quantis maximis potuit itineribus, tacite ad Senam Galliam, ubi castra M. Livii erant, properavit: qui silentio egressi, a suis quisque ordinis hominibus ad tentoria adducti cum summa omnium laetitia hospitaliter excipiuntur. MACH.

3 *Pari celeritate.*] Nam die sexta post pugnam in castra rediit. ANNA.

Venerat.] Pro *Venerat* in antiquis scriptis *iverat*, melius. SCHOTT. Quos scriptos hic in-

4 lum Hannibalis projecit. Quo ille viſo, vinci ſe Fortuna Carthagi-
5 nis confeſſus. Ob haec Livius triumphans, Nero ovans, urbem introierunt.

nuat *Schottus*, equidem neſcio, & perinde eſt, cum hoc certum ſit, eos peccare, & errorem hunc abeſſe ab omnibus noſtris, & Scriptis & Editis, qui omnes *venerat*. Sola Editio *Schotti*, & qui ejus veſtigiis tam firmiter inhaeſerunt, ut religionem duxiſſent, ipſa etiam peccata non admittere. Scio *ire* recte tribui exercitui iter facienti, nec minus tamen his proprium verbum *venire*. Sed ſi accuratius haec verba inſpiciamus, facile apparebit, diverſa notione eſſe adhibenda. *It* enim agmen, ſi ad locum aliquem contendit, *venire* tum dicitur, ſi ex illo loco verſo itinere rurſus ad priorem redit, adeoque haec vox adhibenda eſt reſpectu praeteriti temporis. Exemplis res fiet clarior. *Caeſar* lib. 1. Bell. Gall. cap. VI. §. 3. *Vel vi coacturos, ſi per ſuos fines eos* ire *paterentur*. & cap. X. §. 3. *Cum his quinque Legionibus* ire *contendit*. lib. V. cap. XVIII. §. 5. *Eo impetu milites* ierunt. lib. VII. cap. LXII. §. 8. *Cum proelium commiſſum audiſſent, ſubſidio ſuis* ierunt. *Livius* lib. XXII. cap. V. *Demigrarent omnes regionis ejus, qua* iturus *Hannibal eſſet*. lib. XXIII. cap. XXIII. *Profectus cum cetero exercitu* ire *Nolam pergit*. Epitom. *Liviana* XXV. *Anno octavo quam in Hiſpaniam* iverant. Ipſe iterum *Livius* lib. XXVI. cap. V. *Secuti tamen tam raptim* euntem *tres & triginta Elephanti* lib. XXVIII. cap. I. *Bina caſtra circa viam, qua* irent, *eſſe*. lib. XXVIII. cap. XXIX. *Miſerum & indignum exſilium, ut* iret *ad oppugnandam patriam, impulit*. *Frontinus* lib. III. Strat. cap. XXI. *Multi, cum ab hoſte diſcedunt, ſi per ſilvas* ituri *ſunt*. Haec omnia loca agunt de tali profectione ad aliquem locum, ubi antea non fuerant. Jam uſus verbi *venire*, quem diximus, patet ex *Livio* lib. XXVII. cap. L. *Nero ea nocte, qua ſecuta eſt pugnam, citatiore, quam inde* venerat, *agmine, ad hoſtem pervenit*. lib. XXV. cap. XXXVIII. *Poſtquam rem omiſſam a ſociis vidit, Thronium, unde* venerat, *repetit*. lib. XL. cap. LVIII. *Ceteva multitudo retro, qua* venerat, *transdanubianam regionem repetiit*. & lib. XLI. cap. X. *Nave eadem, qua* venerat, *aquileiam rediit*. *Juſtinus* lib. XXXII. cap. III. §. 7. *Inde per eadem veſtigia, qua* venerant, *antiquam patriam repetiere*. Et eadem diligentia haec verba diſtinguit *Livius*, cum ea conjungit lib. XXXV. cap. XXVIII. *Utrum pergere, qua coepiſſent* ire *via, an ea, qua* veniſſent, *repetere melius eſſet*. & lib. XXXVIII. cap. II. Euntibus *extemplo apparuere Athamanes*. mox paucis interjectis: *Eadem, qua* venerat, *via referre coëgit ſigna*. Ex hiſce eadem locutio mihi ſuſpecta eſt apud eundem *Livium* lib. XXXVII. cap. VII. *Haec referens eadem, qua* iera[illegible] *celeritate Thaumacis occurrit Conſuli*. Utique malim, *venerat*. Sed de hac re melius judicabit Cel. *Drakenborchius*, a cujus manu meliorem videre *Livium* jam diu ardentiſſimis votis expetit Eruditior orbis. ARNTZ.

Caput Hasdrubalis.] Exemplum hujus ferociae & animi aliquo modo inſultantis hoſtibus apud *Homerum* de Ajace Oilei F. caput imbrii abſciſſum conjiciente in mediam aciem Trojanorum, quod forte cecidit ante pedes Hectoris. Iliad. I. *Pet. Victorius* Variarum Lectionum lib. XXVII. cap. XXIV. MACH.

4 *Quo ille viſo.*] *Florus* loco ſupra, pag. 64. *Certe Hannibal re cognita, quum projectum fratris caput ad ſua caſtra vidiſſet: agnoſco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis*. ANNA.

Fortuna.] Nota in malam partem, *Le malheur*. EAD. Poſt *confeſſus* delevimus cum MSS. verbum ſubſtantivum *eſt*.

5 *Lucius.*] Appellatur in Conſularibus Faſtis *M. Livius Salinator* II. Conſul cum C. Claudio Nerone. Tametſi vero Neronis opera & induſtria victoria parta erat; quia in provincia Salinatoris, illi triumphum a ſenatu decretum libens volensque reliquit. M. igitur Livium quadrigis urbem invectum milites ſequebantur: Claudius equo ſine militibus ingrediebatur. *T. Livius* lib. XXVII. *Val. Max.* lib. V. cap. I. *Horatius* quoque lib. IV. Oda, IV. ut poëtarum ſuavitas haec temperet.

Quid debeas o Roma Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Hasdrubal
Devictus, & pulcer fugatis
Ille dies Latio tenebris.

Sequitur ad extremum.

Nil Claudiae non perficiunt manus,
Quas & benigno numine Jupiter
Defendit, & curae fugaces
Expediunt per acuta belli.

SCHOTT.

Triumphans.] Triumphus quaſi θριαμβος: exercitus carmine jambico ſequebatur, cantans vero lingua Sabina fortem indicat. MACH.

Ovans.] Equo albo inſidens, myrteaque corona inſignitus, caeſis ovibus, nam triumphante aliquo tauri mactabantur. inde vocabulum, licet alii a voce, ovationem dictam ajunt, de quibus alias. IDEM.

CAPUT XLIX.

ARGUMENTUM.

Jovis filius creditur, patrem ſervat, juvenes Italiam deſerere cupientes compeſcit, Carthaginem novam capit, virginem pulcerrimam patri ac ſponſo reſtituit, Hasdrubalem Magonemque Hiſpania expellit, amicitiam cum Syphace conjungit, Maſſaniſam in ſocietatem recipit, in Africam claſſe trajicit, Hasdrubalis & Syphacis caſtra perrumpit, Hannibalem ſuperat, repetundarum accuſatur, in voluntarium exſilium concedit, & moriens corpus ſuum Romam referri non vult P. Cornelius Scipio Africanus.

Publius Scipio ex virtutibus nominatus Africanus, Jovis filius creditus; nam antequam conciperetur, ſerpens in lecto matris ejus apparuit. & ipſi parvulo draco circumfuſus, nihil nocuit. In Capitolium intempeſta nocte euntem numquam canes latraverunt. Nec

1 *Ex virtutibus cognominatus.*] *Agnominatus* alii. MSS. ex virtute Africanus dictus. Primus vero a devicta provincia nomen retulit. SCHOTT. *Nominatus* quinque Codices, Edit. Ven. & Agripp.

Africanus.] A devicta *Africa*. ANNA.

Creditur.] MSS. *creditus:* Jovis autem filium *creditum* fuiſſe auctor *Plin.* lib. XVI. cap. XLIII. *Livius* lib. XXVI. *Val. Max.* lib. I. cap. II. vide & *Agellium* lib. VII. cap. I. SCHOTT. *Creditus* manu exarati & Editiones omnes, ſcilicet ſaepe verbum ſubſtantivum omittitur. ita e MSS. cap. praec. §. 4. inf. cap. LVIII. §. 1. *duci in carcerem non paſſus.* & eod. cap. §. 3. *Collega ejus Claudius reus factus*, ita illis locis habent libri exarati. *Celſus* Vita Caeſ. p. 214. *Quae tunc caſu in terram ſubducta exureretur.* Ubi male emendatores addunt *erat.* Conf. Cl. *Perizon.* Epiſt. ad *Heinſ.* tom. IV. Syll. *Burm.* p. 771. fin. ARNTZEN.

Serpens.] Quem genium Jovis eſſe putabant. Vid. *Gell.* lib. VII. cap. I. *Valer. Max.* lib. I. cap. II. ANNA. Et *Bernecc.* ad *Juſtinum* lib. XI. §. 3.

Draco.] Sacrorum peculiariter a δέρκομαι, id eſt, aſpicio, quia viſus eſt acuti. MACH. De *draconibus* iſtis innoxiis, qui *nec fugiunt homines, nec vulnere laedunt*, diximus nimium multa libro I. Suſpicionum cap. XVIII. ubi adſertores veniebamus veritati hiſtoriae *Suetonianae*, ubi inquiebat Tiberii capite LXXII. *Erat ei in oblectamentis ſerpens draco, quem ex conſuetudine manu ſua cibaturus, cum conſumptum a formicis inveniſſet; monitus eſt, ut vim multitudinis caveret.* GRUT.

2 *Euntem.*] *Euntem* Pariſ. MSS. *nocte eunte latraverunt. Varronem* etiam *Allatro* cum dandi caſu conjunxiſſe ſcio. Et *Plautus* etiam Poenulo accuſandi caſu:

Etiam me meae allatrant canes.

SCHOTT. Hoc loco *Aldus* & *Schottus* cum plerisque aliis *eunti allatraverunt* dederant, qua ſcriptura deceptus fuit magnus etiam *Voſſius* in Art. Gramm. lib. VII. cap. XXXIX. eumque adeo haec conſtructio offendit, ut putaret, fortaſſe *eunte* ſcripſiſſe *Victorem.* Hanc difficultatem ſuſtulit *Machaneus*, reponens *eunti latraverunt*, quod ferri poſſet, (Vid. Nob. *Heinſ.* ad *Ovidium* lib. II. Am. El. XIX. verſ. 40.) ſi manu exaratis Codicibus niteretur, verum cum illi omnes, cum Editione Agrip. & Ven. *euntem latraverunt*, praeferant, ab his non erit diſcedendum, cum *latraverunt* idem erit, quod *allatraverunt*, & quidem cum caſu quarto. Hac eadem in hiſtoria *Gellius* lib. VII. Noct. Att. cap. I. *Neque* latrarent eum, *neque incurrerent. Statius* lib. II. Silv. I. verſ. 184.

Illum *nec terno* latrabit *Cerberus ore.*

Conferatur, qui hunc etiam ex MSS. locum recte conſtituit, *Nicol. Heinſius* ad *Ovidium* lib. II. Tr. verſ. 489. & in Ibide verſ. 14. *Barthius* ad *Statium* lib. I. Thebaid. verſ. 551. Erud. *Bentleius* ad *Horat.* lib. II. Sat. I. verſ. 85. & Cel. *Burmannus* ad *Petron.* Sat. cap. CIV. ARNTZ.

Canes.] Qui ei nimirum templo cuſtodes, uti non

3 Nec hic quidquam prius coepit, quam in cella Jovis diutiſſime ſe-
4 diſſet, quaſi divinam mentem accepiſſet. Decem & octo annorum
5 patrem apud Ticinum ſingulari virtute ſervavit. Clade Cannenſi
nobiliſſimos juvenes, Italiam deſerere cupientes, ſua auctoritate
6 compeſcuit. Reliquias incolumes per media hoſtium caſtra Canuſi-
7 um perduxit. Viginti quatuor annorum Praetor in Hiſpaniam miſ-
ſus,

non uno exemplo oſtendi in Suſpicionibus. GRUTER. *Cicero* pro Roſcio Amer. cap. xx. *Canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerunt. Livius* lib. v. cap. XLVII. & *Hemſterh.* ad *Luciani* Timona p. 98.

Latraverunt.] Quaſi in bellis ratio aliqua divinitus infuſa ſit, vel providentia divina: omne enim bonum datum deſcendens a patre luminum, licet verum bonum ethnici illi ignorarent. MACHAN.

3 *Nec hic quidquam.*] *Liv.* lib. XXVI. cap. XIX. *Ex quo togam virilem ſumpſit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingreſſusque aedem conſideret, & plerumque tempus ſolus in ſecreto ibi tereret.* Ubi *aedem* vocat *Livius* quam noſter *cellam.* ANNA.

In cella Jovis.] Ἐν Διὸς αὐλῇ *Anacreon* diceret. αὐλὴ proprie *ſeptum ovium;* ſed quia apud veteres ſimulacrum Dei, cui templum ſacratum erat, in medio collocabatur, non autem ut hodie fit, in remotiori ſeu interiori aedium ſacrarum parte; Et quia ille locus paullo editior erat & undique circumſeptus, ideo αὐλὴ, quod per ſe nihil aliud eſt quam *ſeptum ovium*, pro ea parte templi ſumebant, in qua Dei ſimulacrum collocabatur, & hoc eſt quod *cellam Jovis* vocat *Victor.* Deorum autem ſimulacra in medio templorum fuiſſe illud *Virgilii* ſatis probat:

In foribus Divae media teſtudine templi;

Quo enim modo *in media teſtudine templi* fuiſſet Dido, ſi *in foribus Divae.* Sed fores Divae, hoc loco ſunt fores τῆ αὐλῆ, fores cellae. loci nempe ejus in quo Divae ſimulacrum. Inde etiam eſt quod alibi legas,

In medio mihi Caeſar erit.

Eo enim loco de templo ſtruendo agitur. Sed res argumentis & exemplis non eget. Pater meus ſuis in *Anacreontem* notis. EAD. *In ſello* Haun. *in cellam* Leid. pr.

Accepiſſet.] *Acciperet* MSS. melius. SCHOTT. Pro *mentem* Leid. ſec. & Haun. *legem. Accepiſſet* vero tuentur Scripti & Editi ante *Schottum* omnes.

4 *Patrem.*] Vide ſuperius in Hannibale. MACHAN.

Apud Ticinum.] Supra in Hannibale. Vide *Liv.* lib. XXI. cap. XLVI. ANNA.

5 *Clade Cannenſi.*] Ἑκτὸν πρωτῷ. Sic concinnanda videntur: *Clade Cannenſi reliquias incolumes per m. h. c. Can. perduxit. Nobiliſſimos juvenes.* cetera. SCHOTT. Sed Canuſii erat Scipio cum juvenes illos compeſcuit. Sic igitur ordinanda verba ſunt, ut & optime *Schottus* monuit: *Clade Cannenſi reliquias incolumes per media hoſtium caſtra Canuſium produxit. Nobiliſſimos juvenes Italiam deſerere cupientes, ſua auctoritate compeſcuit.* Vide *Liv.* lib. XXII. cap. LII. & LIII. Ubi reliquias non a Scipione, ſed a Sempronio Tuditano perductas dicit. ANNA. Sed haec transpoſitio neceſſaria non eſt, nam ablativus hic abſolutus per *poſt* eſt exponendus. Vide *Broukhuſ.* ad *Tibull.* lib. I. cap. I. verſ. 86. & *Sanct.* Min. lib. IV. cap. VI. In Epitome *Liviana* XXII. ideo eſt: *poſt quam cladem.*

Sua auctoritate compeſcuit.] Immo, *Livio* teſte, ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, juravit pro hoſte habiturum eum, qui in verba ſua non juraſſet, effecitque uti omnes minime relictum iri a ſe Italiam jurejurando adſtringerentur. MACH.

6 *Reliquias.*] *Reliquos* MSS. non *reliquias*, ut *Juvenes* ἀπὸ κοινοῦ intelligas. SCHOTT. *Reliquos* ſolus Haun. & male, cum *juvenes* ex praecedentibus non ſint repetendi, nam novam hic incipit ſententiam. Sed *reliquiae* pars illa exercitus dicuntur, quae poſt cladem ſupereſt. *Frontinus* lib. II. Strat. cap. IX. ex. 1. *Victis praelio Teutonis reliquias eorum circumſedens.* & cap. X. ex. 2. *Qui reliquiis exercitus duorum Scipionum praefuit.* lib. IV. cap. VII. ex 39. de hac eadem clade: *Ut pars magna reliquiarum nobiliſſimis auctoribus deſerendae Italiae iniret conſilium. Juſtin.* lib XLII. cap. IV. §. 5. *Ad perſequendas Romani belli reliquias. Capitol.* in Anton. cap. XXII. *Petiit ut belli reliquias non contemneret.* & quae nos ſup. cap. XXIII. §. 9. ARNTZ.

Canuſium.] Oppidum paullo infra Cannas, juxta Aufidum fluvium. ANNA.

Viginti quatuor annorum.] Primoribus talem provinciam aſpernantibus, ipſe proſiliens ingenti voce profeſſus eſt libenter iturum. MACH. Idem *Livius* lib. XXVI. ANNA.

Prae-

ſus, Carthaginem, qua die venit, cepit. Virginem pulcherri- 8
mam, ad cujus adſpectum concurrebatur, ad ſe vetuit adduci, pa-
trique ejus ac ſponſo reſtitui juſſit. Hasdrubalem Magonemque, 9
fratres Hannibalis, Hiſpania expulit. Amicitiam cum Syphace 10
Maurorum Rege conjunxit. Maſiniſſam in ſocietatem recepit. 11
Victor

Praetor.] Pro conſule in caſtris: namque praetor imperator dicitur. MACH.

Carthaginem.] *Novam* amplius veteres libri, ut ab Africana diſtinguatur. Illa Σαγηταζιν eſt *Appiano Alexandrino*, qui eam turpi errore cum Sagunto confundit. Vide Geographus. SCHOTT. Ad maris interni litus. ANNA. Ex noſtris omnibus, qua Scriptis qua Editis, *novam*, quod in textum receperat *Schottus*, rejecimus, neque enim aliquis aliam Carthaginem in Hiſpania quaereret.

Qua die venit.] Compertum habeos ſtagnum maris alluens Carthaginem aeſtu maritimo decreſcere: & vado tranſiri poſſe, unde ad murum haeſitius eſſet acceſſus; itaque captata occaſione in urbem per eam partem minime ſuſpectam aſcenderunt Romani, duobus militibus corrosa muraſi domatis. Igitur opidani, ac auxiliares re inopinata conſternati moenia deſeruere. MACH.

Cepit.] *Eodem quo obſeſſa eſt die, capta eſt. Florus.* Vid. *Liv.* lib. XXVI. ANNA.

8 *Virginem pulcerrimam.*] Quam cuſtoditi fecit, & Lucio principi Celtiberorum deſponſatam, eo accito, integram inviolatamque reſtituit. MACHAN.

Adſpectum.] *Conſpectum* Colonienſis. SCHOTT. & Leid. pr.

Concurrebatur.] *Accurrebatur* Mediolanenſis. SCHOTT. & *Machanei* editio.

Ad ſe vetuit adduci.] Imo ad eum adducta. *Liv.* lib. XXVI. cap. L. *Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta Virgo, adeo eximiae formae, ut quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam, parentesque*, &c. ANNA.

Ac ſponſo.] Bene habet lectio: ſit tamen neſcio quomodo, ut non calamo ſolum ſed & typis ſcripti codices antiqui conſtanter legant: *Patrique ejus ſponſor aſtitit. Sponſi* & *Plutarchus* & *Livius* meminere, hic *Alluctium*, ille *Lucejum*: ut & *Front.* lib. II. cap. XI. Celtiberorum principem nominat *Valerius Maximus Indibilem* lib. IV. c. III. SCHOTT. Quatuor Codices & Ed. Agripp. *Patrique ejus ſponſor aſtitit Graeco. P. e. ſponſo. a.* optime tamen Fran. *Patrique ejus & ſponſo reſtituit.* quare ego quidem malim ſcribere: *Patrique ejus ac ſponſo reſtitui*, ut *juſſit*, quod in nullis MSS. invenitur, abjiciatur. Tralatitium enim eſt, Veteres ſaepe verbum contrariae ſignificationis ponere. *Phaedr.* lib. IV. fab. XVII. verſ. 31.

Non veto divitiis, verum cruciari fame.

Ubi Commeut. Cl. *Burmam*, & ad *Quinctil.* Decl. X. cap. XVI. *Gracvium* ad *Heinſium* Epiſtola in Syll. *Burm.* tom. IV. p. 704. Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. VII. verſ. 64. *Davisius* ad *Cicer.* de Nat. Deor. lib. I. cap. XVII. & tandem Eruditiſſimus *Cortius* ad *Salluſt.* Jugurtha cap. XIV. exc. 2. Cum tamen in ceteris Editionibus recepta lectio invenatur, eam loco movere nolui, praeſertim cum haec duae voces *veto* & *jubeo* ab aliis quoque ita jungantur. *Caeſar* lib. I. Bell. Civ. cap. XLI. §. 4. *Vallo munire* vetuit, *quod eminere & procul videri neceſſe erat; ſed a fronte contra hoſtem pedum XV. foſſam fieri* juſſit. *Hyginus* fab. VIII. Vetuit *eos Mercurius, & ſimul* juſſit *Lycum concedere regnum Apollini.* & *Lamprid.* Alex. Sev. cap. XXVI. *Uſuras accipere primo* vetuit, *niſi aliquid muneris cauſſa acciperent, poſtea tamen* juſſit &c. ARNTZ.

9 *Expulit.*] Captis etiamnum Hasdrubalis caſtris, eoque fugiente paucis cum militibus. MACHAN. Hasdrubalem fugavit, Magonem cepit an. U. C. 546. ANNA.

10 *Maurorum.*] Maſaeſulorum Rex fuit Syphax, tenuit tamen Mauritaniam, eam quae nova dicta eſt, a Muluccha ad Ampſagum: cum vetus a freto ad Muluccham protenderetur, quae Bocchi imperio paruit, cujus in Druſo mentio. SCHOTT. Confer. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XVI. verſ. 171.

Conjunxit.] Nam quum Hasdrubal Gisgonis filius & Scipio ad eum hoſpitaliter veniſſet pro re publica ſua petitum: praetulit amicitiam Romanorum Punicae. MACH.

11 *Maſiniſſam.*] Hic nepote ipſius adoleſcente in Hiſpania jure belli capto liberaliter ad Regem grauis cum donis miſſo ab ipſo Scipione, usque ad extremum ſenium amicitiam cum populo Romano ſervavit. MACH. *Maſiniſſa* ſcripta vulgata. In *Salluſtii* MSS. varie pungi obſervavi, alii *Maſſiniſſam*, alii *Maſiniſſum*, quidam *Maxiniſſum*, quod x tandem valeat. Scribo *Maſſaniſſa*. SCHOTT. Gulae Numidarum Regis filium.

12 Victor domum regressus, Consul ante annos factus, concedente
13 collega in Africam classem trajecit. Hasdrubalis & Syphacis castra
14 una nocte perrupit. Revocatum ex Italia Hannibalem superavit.
15 Victis Carthaginiensibus leges inposuit. Bello Antiochi legatus
16 fratri fuit. Captum filium gratis recepit. A Petillio Actaeo Tribuno
17 plebis

lium. ANNA. *Massinissam, Maximissam* vel *Massimissam* scripti. *Massinissam* etiam Agripp. & optimae Editiones, quod secuti sumus. Vide post alios multos Erud. *Cortium* ad *Sall.* Jug. cap. v. §. 4. *In societate* tres Codices. ARNTZ.

12 *Victor domum regressus.*] Datus est ei senatus extra urbem in aede Bellonae, inde ingressus cum Licinio Crasso Consul creatus est. MACH.

Consul ante annos.] Consularis annus erat XLIII. vel certe XLII. quem satis erat attigisse. *Ante annos* igitur *Consul* fuit Scipio, quia vix tunc ad trigesimum annum pervenerat. ANNA. *Classem* dedimus ex scriptis. vide ad cap. XI.

13 *Hasdrubalis.*] *Hannibalis & Syphacis* quidam codices, quod ideo immutarunt quidam, quod anno URBIS XLVI. *Hasdrubalem* fratrem Hannibalis capite truncatum vidissent. At hic alius *Hasdrubal*, qui filium Syphaci uxorem dederat, qua causa hic Scipionis amicitiae nuntium remisit. SCHOTT.

Castra.] Noctu utriusque castris injecto igni, quae, altera e lignis, altera ex harundinibus confecta erant, Syphaxque captus a Cajo Laelio, & Massanissa ad eum perducitur. MACH.

Perrupit.] Quidam codices *prorupit*, alii *praerupit*. utraque castra uno die Scipio incendit & delevit: caesa flammisque absumpta ad XL. millia hominum: capti supra sex millia. SCHOTT. *Praecepit* Leid. sec.

14 *Revocatum ex Italia Hannibalem.*] Vide supra in Hannibale. ANNA.

Superavit.] Apud Zamam urbem, apud quam victores Romani hostium elephantes equites in fugam verterunt: deinde actius inferentes pedem totam aciem in fugam verterunt. Caesa e Carthaginiensibus quatuor millia feruntur. MACH.

15 *Leges inposuit.*] Jussit cremari quingentis navibus, utque centum talenta arbitratu Scipionis tunc solverent: & ut in annos sexaginta millia talentorum argenti aequis pensionibus solverent: & multa alia: Pacis autem formulam lib. X. secundi belli Punici curiose apud *Livium* perleges. ID.

16 *Bello Antiochi.*] Quod scilicet cum Antiocho gerebatur. Videtur quidem hasce locutiones *bello Philippi, bello Latinorum* &c. damnare Eruditissimus *Davisius* ad *Cicer.* lib. II. de Nat. Deor. cap. II. ubi pro *bello Latinorum* legendum conjicit *bello latino*. Dura emendatio, praesertim cum usus Veterum talem medelam non requirat. *Caesar* lib. I. Bell. Gall. cap. XXX. §. 1. *Bello Helvetiorum confecto* lib. III. cap. XVI. §. 1. *Quo praelio bellum Venetorum confectum est.* lib. V. cap. LV. §. 2. *Se bis expertos dicerent Arioviſti bello. Livius* lib. XXXIV. cap. XXXI. *Nuper Philippi bello renovata. Vell. Patere.* lib. II. cap. XVII. §. 2. *Qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces. Justinus* lib. XIII. cap. V. §. 9. *In ejusdem Alexandri bellum impelleret.* Adde *Livium* lib. XXVIII. cap. VII. lib. XXXVII. cap. XLIX. LIII. & LIV. lib. XLII. cap. XLV. *Justinum* lib. I. cap. VII. §. 10. lib. XXVII. cap. I. §. 3. & lib. XXVIII. cap. I. §. 4. *Sallust.* Fragm. Hist. lib. III. p. 966. *Frontinum* lib. II. Strateg. cap. IV. ex. 2. & cap. V. ex. 34. *Caesar* lib. I. cap. XL. §. 13. & cap. XLIV. §. 17. lib. VI. Bell. Gall. c. XXII. §. 4. ARNTZ.

Legatus fratri.] Cum senatus magis inclinaret, ut alteri Consuli Cajo Laelio negotium Antiochi daret; Publius Africanus surgens & in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei legarum defuturum affirmavit. MACHAN. Publius Cornelius Scipio Africanus fratris sui Lucii Cornelii Scipionis Asiatici, cui bellum Syriacum mandatum, legatus esse voluit. *Florus* lib. II. cap. VIII. *Tum Consule Scipione, cui frater, ille modo Victor Carthaginis Africanus, voluntaria legatione aderat.* ANNA.

Filium gratis accepit captum.] Ab hostibus: patri infirmo misit, munum ejus solicitum, & corpus aegrum magnopere recreavit. MACH. Et hoc postea ei quasi crimen inimici objecere. ANN.

17 *A Petilio.*] *Plutarchus*, duo Quinti *Petilii* Tribuni plebis Porcii Catonis, ut quidam suspicantur, opera concitati diem Africano dixere insimulantes pecuniae a Rege Antiocho acceptae; & non in publicum redactae. MACH. Singulari numero tamen omnes scripti & vetustae Editiones.

Actaeo.] Locus mendosus. vidit id ante nos *Lycosthenes*, ne quem sua laude fraudemus. Corrige *A Petillii ac Naevio.* Scidae n. membraneae nihil hic nos adjuverunt, corruptae, & ipsae legentes *A Petilio Atejo.* Parisinus *a Petilio Alte-*

jo.

plebis repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: Hac die, inquit, Carthaginem vici: Quasi bonum factum, in Capitolium eamus & Diis supplicemus. Inde in voluntarium exsi- 18
lium concessit, ubi reliquam egit aetatem. Moriens ab uxore pe- 19
tiit, ne corpus suum Romam referretur.

C A-

jo. Vascosanus *A Petilio Teo. Livius* vero XXXVIII. Annali & *Agell.* lib. IV. cap. XVIII. Attic. Lucubrationum ex *Valerio Antiate* bis accusatum fuisse referunt. *Plutarchus* item in Catone & Apophtegmatis Πετιλλίους numero multitudinis vocat, & duos fuisse, auctor in Syriaca *Appianus.* O iniquam sortem bene de R. P. merentium! quam & expectare & experiri solent, qui scriptis in vulgus editis prodesse student quam plurimis, dum quisque de aliorum laboribus temere pronunciat, vellicat, pro nihilo ducit ipse silentio inscientiam suam caute tegens. Praestet alioqui majora: aut si id non potest, aliorum conatus cur ingrate traducit? Mirum profecto, ut ad rem redeam, & Porcium Catonem gravissimum alioqui censorem, Scipione Africano tam infestum fuisse: quibus narrandis a *Livio* diversus abit *Nepos Cornelius* in Vita Catonis, quod libri secundi de Viris Illustribus fragmentum reliquum est. Caeterum, ne quem offendat, *Petilliis* liquida geminata scripsi ex consuetudine Graeca, *Appiani* in Syriaca, *Plutarchi* in Catone & Apophegmatis. SCHOTT. Anno U. 566. *Livius* lib. XXXVIII. cap. L. *P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias Auctor est, duo Q. Petillii diem dixerant.* & deinde cap. LVI. *Non de accusatore convenit. Alii Naevium, alii Petillios diem dixisse scribunt.* Quare fortasse scripserat *Victor: a Petilliis an Naevio.* ANNA. Latere mendum certum est, quod vel ex varietate scripturae patet. *Accio, Actio, Atejo, Attio, Achio* legunt MSS. *Altejo* Edit. Agripp. & Ven. *Actaeo. Aldus* & reliqui. Fortasse latet cognomen Petilii aliquod, sed in hisce aliquid sine ope melioris codicis tentare, esset bonas horas perdere. *Tribuno* etiam MSS. omnes.

Repetundarum.] Accusari dicebatur is a quo socii pecunias sibi contra leges ereptas repetebant. ANNA.

Accusatus.] Anno U. C. 566. EAD.

In conspectu populi.] *Livius* hoc in senatu, non in conspectu populi a Scipione factum dicit lib. XXXVIII. cap. LV. EAD.

Hac die inquit.] Haec dixit Scipio, cum citatus reus ad rostra subiisset. *Hoc*, inquit, *die Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Hannibale & Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem Opt. Max. Junonemque & Minervam, caeterosque Deos qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo*, &c. Vide *Liv.* cap. LI. EAD.

Quasi bonum factum.] In MSS. Compendio scriptum erat *quam*, quod forte valet *quoniam.* alter codex *quare.* Ego vero illud abjudico, tamquam glossarion, ab iis adjectum, qui hanc formulam hactenus ignorarunt, & QUARE repono ex Valerii Probi Notis Q. B. F. I. QUARE BONUM FACTUM. probaturque *T. Livii* lib. XXXVIII. verbis & *Valer. Max.* lib. III. cap. VII. Est autem bene precantis in judiciis usurpari & edictis fere boni ominis causa proponi solita. *Sueton.* in Caesare, cap. LXXX. *Peregrinis in Senatum adlectis, libellus propositus est: Bonum factum, ne quis Senatori novo Curiam monstrare velit.* In Vitellio cap. XIV. *Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Calendarum diem usquam esset.* Ubi *fatum* quidam legunt, quod de Genethliacis & Chaldaeis sermo sit: non probo. *Plautus* quoque Poenulo:

Bonum factum est, edicta ut servetis mea.

Et:

Bonum Hercle factum, pro se quisque ut meminerit.

Eodem pertinet illud *Tertulliani: O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum.* Vide *Isidorum* Etymol. lib. I. cap. XXII. Fuit qui legendum putaret *Bonum faustum*, ut *purus putus, utor fruor, velit nolit, factis dictis, terra mari*, similiaque infinita sine copula effetimus. Est enim formula bene precandi & auspicandi aliquid, *Quod felix, seu bonum, faustumque sit Reipublicae* &c. *Sueton.* in Octaviano cap. XVIII. & in Nerone cap. XXXVII. *Quod bene vertat* &c. Nihil tamen demuto. SCHOTT. Eadem plane habet *Brissonius* de Form. lib. III. p. 274. adde *Schottum* lib. III. Obs. cap. XL. Eorum emendationem valde laudo, sed contra scriptos Codd. non sum ausus in contextum recipere.

Eamus.] Concio universa relictis solis magistratibus eum per omnia templa consequuta est. MACHAN.

18 *Concessit.*] Liternum. Ruri enim a strepitu vulgi vivere maluit. Sic *Plutarchus* & *Strabo.*

Livius vero lib. XXXVIII. Romae mortuum ait. At lib. XLV. Literni domum ejus fuisse. SCHOTTUS. Liternum littoralis urbs Campaniae. ANNA. Mire variatur in morte Scipionis. Vide *Livium* lib. XXXVIII. cap. LIII. lib. XXXIX. cap. LII. LV. & LVI. & lib. XLV. cap. XXXVIII. *Orosium* lib. IV. cap. V.

19 *Moriens.*] Elogium testamenti fuit vetantis, ne in patriam ingratam ossa referrentur, de quo *Seneca* lib. de Benef. V. cap. XVII. & *Val. Max.* lib. V. cap. III. SCHOTT. An. U. C. 569. ANNA.

Romam referretur.] Eum tamen quidam Romae mortuum credidere. Et incertum ubi mortuus sit ait *Liv.* lib. XXXVIII. *Non de anno*, inquit, *quo mortuus sit: non ubi mortuus, aut elatus sit, alii Romae, alii Literni & mortuum & sepultum: Utrobique monumenta ostenduntur, & statuae. Namque & Literni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit; quam tempestate dissectam nuper vidimus, & Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt: quarum duae Pub. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia Poëtae Q. Ennii.* Sane illi *Q. Ennius* Epitaphium posuit.

Hic est ille situs, cui nemo, civi neque hostis
Quivit pro factis reddere operae pretium.

EADEM.

CAPUT L.

ARGUMENTUM.

De Illyriis Consul triumphat, peculatus reus condemnatur, cum collega Claudio Nerone inimico suo iterum consul amicitiam jungit, Hasdrubale victo triumphat, tribus censor aerarias facit, & stipendio privat M. Livius Salinator.

1 Livius Salinator primo Consul de Illyriis triumphavit; deinde ex invidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia,
2 condemnatus. Iterum cum Claudio Nerone inimico suo Consul, ne Respublica discordia male administraretur, amicitiam cum eo junxit,

1 *Salinator.*] Dictus quia auxit vectigal salis, cum prius sextante venderetur. Id fecit, quia a populo condemnatus erat. MACH. *Salinatoris* cognomen illi datum, quod Censor vectigal novum ex annona *salaria* populo Romano imposuerit. *Livius* lib. XXIX. cap. XXXVII. *Salinas* primum instituisse, & populo *salis* modia sex millia in congiario dedisse Ancum Martium, auctor *Plinius* libro XXXI. cap. VII. & supra cap. V. Post exactis Regibus, vectigal illud sublatum. *Livius* lib. II. ab U. C. Sed *Salinator* in Censura iterum imposuit: ut dixi. SCHOTT.

Primo Consul.] An. U. C. 534. ANNA.

Illyriis.] Dicti sunt, auctore *Appiano*, ab *Illyrio* filio Polyphemi, quos nunc Sclavonos vocant. MACH. *Illyricis*, non *Illyriis* quidam, ut in MSS. fere *Philippii campi* pro *Philippicis*, ut infra in M. Bruto admonui. SCHOTT. Sub extremis Alpium radicibus inter Arsiam Titiumque flumen per totum Adriani maris littus effusi: iis imperabat Demetrius Pharius. ANNA.

Deinde ex.] In MSS. erat *tamen*, unde *tandem* scribendum vidi, quod error ille ex compendiis literarum sit natus. SCHOTT. Non video quid moverit Virum doctissimum hic *tandem* reponere, quod certe corrumpit sensum, & *deinde* omnes MSS. & Editiones. Pro *ex* vero unus & alter *ut* vel *&*.

Peculatus.] Publicae pecuniae subreptae, nam id *peculari* & *depeculari* signant; inde *depeculatores*. MACH. *Peculatus*, ut ait *Festus*, *furtum publicum dici coeptum est a pecore, quia ab eo initium ejus fraudis esse coepit, siquidem ante aes aut argentum signatum ob delicta poena gravissima erat duarum ovium & triginta boum.* ANNA.

Reus.] *Fabio* teste, de cujus *re* agitur, dicitur. MACH.

Tribubus.] De quibus superius in Romulo. IDEM.

Metia.] *Livius Moeciam* vocat & *Festus*: *Moecia tribus a quodam Castro sic appellata.* ANNA.

2 *Iterum Consul.*] An. U. C. 546. EAD.

Injun-

xit, & de Hasdrubale triumphavit. Censor cum eodem collega 3
omnes tribus, excepta Metia, aerarias fecit, stipendio privavit, eo crimine, quod aut prius se injuste condemnassent; aut postea tantos honores non recte tribuissent.

Injunxit.] Sincera lectio MSS. *junxit. injungere* enim aliud significat. Exemplum, me Hercle, memorabile, quod utinam imitarentur nostri Principes in R. P. administranda, ut privata odia publicis utilitatibus remittant, uti lib. 1. Annal. *Tacitus* ait. Vide *Plutarchum* in Politicis de his praecipientem. Simile de P. Popillio apud *Justinum* lib. XXXV. quem C. Popillium vocat *Livius*. SCHOTT. Et *Gron.* ad *Tacitum* lib. 1. Ann. c. X. Porro *conjunxit* Leid. pr. Reliqui quinque *junxit*, ut & Agripp. Ven. & *Mach.* quam lectionem merito praetulit *Schottus*. *Livius* lib. XXIII. cap. XXXIII. *Foedus cum eo atque amicitiam junxit legibus his. Justin.* lib. IX. cap. IV. §. 5. *Qui pacem cum his amicitiamque jungerent.* & lib. XLII. cap. IV. §. 6. *Et propter amicitiam cum Pompejo bello mithridatico junctam.* Epit. *Livii* XXVIII. & Ipse lib. XXX. cap. XIII. *Gronov.* ad Eundem lib. XXXV. cap. XII. ARNTZ.

Et de victo Hasdrubale.] *Victo* addidi auctoritate librorum veterum: alii *& victo Hasdrubale.* SCHOTT. Et ego auctoritate MSS. omnium & Editt. iterum rejeci, nec sententia requirit, cum utique facile intelligatur, eum non triumphasse de victore Hasdrubale.

Triumphavit.] Vide in capite Hasdrubalis.

3 *Censor.*] *Liv.* lib. XXIX. cap. XXXVII. *Deinde M. Livius* (Salinator) *in aerarium venit & praeter Moeciam tribum, quae se nec condemnasset, neque condemnatum aut Consulem aut Censorem fecisset, populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus aerarias reliquit. Quod & innocentem se condemnassent & condemnatum Consulem & Censorem fecissent, neque infitiari possent, aut judicio semel, aut comitiis bis ab se peccatum esse.* ANNA.

Aerarias fecit.] Condemnavit, ut denarios solverent. MACH. *Aerarium* aliquem facere vel relinquere dicebatur censor, cum eum referebat in numerum capite censorum, ut pro capite statutam pecuniam solveret. ANNA.

Stipendio privavit.] *Livium* libro nono secundi belli Punici apte hanc materiam scribentem percurre. MACH. *Stipendiis privavit* libri veteres. *Suetonius* in Tiberio initio refert universas tribus levitatis notatas in Censura *Livii*. SCHOTT.

Eo crimine.] Monet Vir Cel. *Dukerus* videri fuisse in *Boend.* Codice *omire*, sed mutatum in *crimine*, quid si legendum foret, *nomine*. Neque enim recordor, alibi legere aliquem *crimine* esse accusatum, vel ob *crimen* condemnatum a Censoribus, qui tantum levi ignominia seu nota aliquem poterant afficere. *Eo nomine* erit, pro *eam ob caussam. Caesar.* lib. III. Bell. Civ. cap. XXI. §. 4. *Eo nomine erat damnatus. Livii* Epit. XLVII. *A Provinciis avaritiae nomine accusati. Val. Maximus* lib. VIII. cap. IV. exem. 1. *Eo nomine tortus a domino.* & lib. IX. cap. XV. §. 1. *Quo nomine jussu patris necatus in carcere.* Confer lib. VIII. cap. 1. damn. 8. & abs. 13. lib. VI. cap. II. exem. II. *Emmen.* ad *Virgil.* lib. 1. Aen. vers. 8. & *Manut.* ad *Cicer.* lib. II. ad Fam. Ep. 1. Nost. inf. cap. LIII. ARNTZ.

CAPUT LI.

ARGUMENTUM.

Macedoniam Consul sortitur, Philippum Regem fundit, castrisque exuit, Graecos liberos pronuntiat, ad Prusiam, Hannibalem repetiturus, mittitur Quintus Flaminius.

Quintus Flaminius, Flaminii, qui apud Trasimenum periit, fili- 2
us, Consul Macedoniam sortitus, ducibus Charopae princi-

pis paſtoribus, provinciam ingreſſus, Regem Philippum praelio
2 fudit, caſtris exuit. Filium ejus Demetrium obſidem accepit, quem
3 pecunia multatum in regnum reſtituit. A Nabide quoque Lacedaemonio

1 *Flaminii qui apud.*] Quae parentheſi incluſi non huc pertinent, adeoque inculcata eſſe ab aliquo credo. Si id non impetro, non poſſum ab errore vindicare auctorem. *Flamininus* enim quo de hic agitur, e gente Quinctia patricia fuit, cujus *Flaminini* cognomen eſt, C. vero *Flaminius*, e Flaminia plebeja. Hoc amplius, quidam codex male *Q.* praenomen adſcripſerat, officioſe nimis, cum *Caji* fuerit ejus, qui ad Traſimenum interfectus eſt. *Plutarchus* etiam ubique corrupte Φλαμίνιον vocat, niſi operarum error. SCHOTT. Omnibus fere locis, ubi *Flamininum*, cognomen familiae Quinctiae Patriciorum, legi oportebat, occurrit *Flaminium*, nomen plebejum. Vid. *Boſius* ad *Nepotem* Hann. cap. XII. §. 1. Comm. ad *Eutrop.* lib. IV. cap. 11. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. VII. §. 10. & *Torren.* ad *Valer. Max.* lib. V. cap. II. exem. 6. & de eodem errore etiam confer *Viviani* Epiſtolam ad *Lipſium* CCCCXXX. tom. I. Syll. *Burm.* p. 460. Sed cum omnibus illis locis in MSS. fere reperiatur *Flaminii*, non adeo in Librarios injurius ſum, ut ſemper illis tribuam, quod ipſi ſcriptores peccare potuerunt. & hoc loco ſum ſecutus conſenſum MSS. & impreſſorum, atque ita ſcripſiſſe ipſum *Victorem*, patet, quia eum *Flaminii* faciat filium, ſi enim *Flaminiuus* ſcripſiſſet, non in eum errorem incidere potuiſſet, ut eum *Flaminii* filium diceret. Atque ita ſubſcripſi judicio Erud. *Pighii* tom. II. Ann. p. 249. & *Bongarſii* ad *Juſtinum* lib. XXX. cap. III. §. 6. ARNTZ.

Conſul.] An. U. C. 555. decimo ſexto poſt incoeptum bellum. Vide *Flor.* lib. II. cap. VII. ANNA.

Caropis.] Reliqua, ſolers lector, in vita Titi Flaminini evolvere poteris. MACH. Varie ſcribitur in antiquis libris. *Charopae* MSS. prima inflexione, alii *Charopes* & *Carope*, *Gryphius*, *Charopis* cum ſpiritu. Aſſentior *Vaſcoſano*, qui *Caropi* excudit ſecunda declinatione. *Plutarchus* enim ſic, niſi me fallit memoria, appellat. Nec mirum in peregrinis ita variatum, cum in domeſticis & Romanis nominibus ita libri pugnent. SCHOTT. Secunda inflexione *Charopus*, *Charopi*. Si locus mendo caret. Verum & ſic recte *Charops*, *Charopis*. Χάροπα *Plutarchus* & *Polybius*: imo & ſic melius, quidquid *Schottus* & alii. ANNA. *Charopae* dedimus ex omnibus Scriptis, Edit. Agripp. Ven. & *Mach.* Χάροπα tertia flectione eum appellat *Plut.* Flam. p. 370. F. *Charopum*. *Livius* lib. XXXII. cap. XI. Terminationem quamvis non admodum morer, malim tamen adſpirationem retinere, cum ita ceteri. Vide *Suidam* in Χάροψ. Similiter inter Reges Athenienſium *Charops* memoratur, de quo *Scaliger* ad *Euſebii* Chron. ad Ann. MCCLXIV. *Charops* Trojanus apud *Ovidium* lib. XIII. Met. verſ. 260. Et inter Graecos occurrit Niteus *Charopi* filius *Homer.* Il. B. in Catal. verſ. 179. *Hygin.* fab. XCVII. & *Munck.* ad Eund. fab. CCLXX. *Charopinus* apud *Herodotum* lib. V. cap. XCIX. & *Martial.* lib. V. Epigr. 81. Hac igitur in parte ſecutus ſum *Aldum* ceterosque. ARNTZ.

Praelio fudit.] Ante annos triginta ſexto die Regem Philippum praelio fudit. *Plutarchus* ſcribit, ſiquidem Philippus, cum teneret cacumina phalange, undique miſſilium atque ſagittarum ictibus Romanos petebat: accedunt inter paſtores quidam indigenae, qui per quosdam neglectos ab hoſtibus anfractus exercitum ſeſe ducturos & tertio demum die in ſummis conſtituere montibus pollicentur, fidei vero cognitionem, infirmationemque praeſtitere. MACH. Vide *Livium* lib. XXXII. & XXXIII. ANNA. A prima manu fuerat in *Boend. expugnavit*, ſed emendatum poſtea.

2 *Demetrium.*] *Plutarchus*: verum Titus eum regno Macedoniae reſtituto, a Graecia juſſit abſtinere, mille talentis tributi nomine, & praeter decem naves, univerſa claſſe mulctatum: alterum ex liberis ejus *Demetrium* pro obſide ſuſceptum, Romam miſit. MACH.

Multatum.] *Mulctatum* codices paullo veruſtiores. Tu ſcribe *mulcatum*: quae vox, ut pleraeque rarae & elegantes, a bonis libris hactenus exſulat: Reponatur & in integrum reſtituatur in *Terentio*, *Cicerone*, *Livio*, *Nepote*, caeterisque ab aliis repoſita. SCHOTT. Reſtitue, inquit *Schottus*, *mulcatum*, quae vox male apud *Terentium*, *Ciceronem*, *Livium* & alios in *multatum* mutata eſt. *Multare* quidem & *mulcare* non idem ſunt. Illud de poena pecuniaria, iſtud de verberibus, illud a Sabinis ortum, iſtud a *mulcendo* deducitur. Sed & *mulcare aliquem pecunia* venuſtius dicitur, nam & *tangere aliquem pecunia*, apud Comicos reperias. ANNA. Immo, ſi *mulcatum* legeretur, ego ſubſtituerem *multatum*. Etenim (quamvis fortaſſe non injuria proprium

ſibi

monio filium obſidem accepit. Liberos etiam Graecos Nemeae per praeconem pronuntiavit. Legatus etiam ad Pruſiam, ut Hannibalem repeteret, miſſus.

ſibi vindicet de Venuſtate judicium femineum genus) non video, cur *venuſtius* poſſit eſſe illud, quod uſui & omnium auctoritati adſentiretur. Videantur quae ipſa monet *Anna* in notis ad *Terent.* Eun. Act. IV. ſc. VIII. verſ. 4. & in Adelp. Act. I. ſc. II. verſ. 11. *Lipſius* ad *Tacitum* lib. I. Ann. cap. XXXII. *Tollius* ad *Auſon.* Idyll. VI. verſ. 90. Cl. *Burman.* ad *Phaedr.* lib. I. fab. III. verſ. 9. *Mulcare* igitur eſt, qui privato conſilio aliquem male tractat. *Multare*, ſi a Magiſtratibus poena inponatur. *Cicero* lib. I. de Orat. cap. XLIII. *Fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exſiliis, morte multantur. Nepos* Milt. cap. VII. §. 6. *Capitis abſolutus*, pecunia multatus *eſt*. in Cimon. cap. I. §. I. & Pelop. cap. I. §. 3. *Curtius* lib. IV. cap. I. §. 37. *Inſulas praeſidio occupat*, pecunia multat. l. 27. ff. de Cond. & Dem. *Heredes magna* pecunia multare. Minus bene *mulcata morte* apud *Virgilium* lib. XI. verſ. 839. edidit Nobil. *Heinſius:*

Proſpexit triſti mulcatam morte *Camillam.*

Nec debuerat hoc exemplum ſequi Doctiſſ. *Emmen.* *Multata* nos in duobus MSS. invenimus & recepit *Masvicius.* Latine enim dicitur *multare morte*, non *mulcare. Cicer.* lib. I. Tuſc. Quaeſt. cap. XXII. Orat. I. in Catil. cap. XI. & Orat. II. Catil. cap. II. *Florus* lib. I. cap. XXVI. §. 7. *Val. Max.* lib. VI. cap. IV. ext. 2. *Apulej.* lib. III. Met. p. 140. *Ne morte multata Fotide.* apud Noſtrum, *pecuniarum mulcta* erat in Agripp. ARNTZ.

3 *Nubide Lacedaemonio.*] Contra quem legimus pernicioſiſſimum flagitioſiſſimumque *Lacedaemoniorum* tyrannum Quintum longe pulcerrimum atque juſtiſſimum bellum inchoaſſe: Graecos ad extremum ſua ſpe fefellit, quod, cum eum capturus exiſtimaretur, haud voluit. MACH. *A Nabidi.* quatuor ſcripti.

4 *Liberos.*] Hoc fuit, dum Iſthmia agerentur, & frequens hominum conventus adeſſet: juſſo per tubae ſonum ſilentio praeco ita proclamavit: Senatus populusque Romanus, ac Titus Quinctius Imperator & proconſul Rege Philippo ac Macedonibus debellatis Graecos ſine cuſtodiis, liberos, immunes, ſuo jure viventes fore permittunt. MACH. Longe aliter ſcripti libri: *Ludos Junonis Samiae* (alii *Junoni Samiae*) Mediolanenſis *Liberos eſſe Graecos.* Unde amicus quidam meus faciebat *Ludos Junoni Samiae, liberos etiam Graecos Nemeae per praeconem pronuntiavit.* Bis Graeciae reddidit libertatem, ſive duobus locis Flamininus, ludis Iſthmiis, & Nemeae, qui genitivus loci eſt. *Val. Max.* lib. IV. cap. VIII. *Livius* XXXIII. & XXXIV. Annali Argis exhibitos *ludos* ait. *Plutarchus* in Flaminino in Iſthmiis. Quatuor vero Graeciae certamina a *Pindaro*, Archia poëta, aliisque decantata, quae illi ἀγῶνας vocant, Iſthmia, Pythia, Nemea, Olympia. SCHOTT. Ita cum *Schotto* recepi, quod tantum in quibuſdam reperi antiquis Editt., inter quas non incommodius: *Liberos eſſe Graecos* legit illa *Macbanei.* ceterum Scripti, Ed. Agrip. & Ven. *Ludos Junoni Samiae per.* Porro *pronunciavit* male in *nunciavit* mutat Leid. ſec. & Haun. nec melius alii *praenunciavit.* Propria enim illa vox de iis rebus, quae in publico concilio & conventibus populi voce praeconis indicantur. *Cicero* lib. V. ad Fam. Ep. IV. *Verecundiores eſſe praecones ludorum gymnicorum, qui cum ceteris coronas inpoſuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint. Livius* lib. XXIII. cap. XXXII. *Proceſſit, & tuba ſilentio facto, ita pronunciat. Val. Max.* lib. IV. cap. VIII. exem. 5. *Iterata deinde pronunciatione Praeconis. Florus* lib. II. cap. VII. §. 15. *Livius* lib. IV. cap. LIX. lib. XLV. cap. XXIX. & XXX. Eodem modo haec vox erat corrupta apud *Livium* lib. XLV. cap. XL. ubi adeundus Cl. *Gronovius.* ARNTZ.

Nemeae.] In Peloponeſo prope Argos. ANN. Vid. Cl. *Duker.* ad *Flor.* lib. II. cap. VII. §. 14.

Miſſus.] Neſcio unde haec in MSS. addita: *Idem poſtea proconſul Philippum bellum renovantem, & cum eo Thracas, Macedones, Illyrios, multasque gentes partium ipſius, bello ſubegit.* quae cum prioribus gemina eſſe videntur. SCHOTT.

CA-

CAPUT LII.

ARGUMENTUM.

Hiſpanos Praetor ſuperat, & ovans urbem introit, Aetolos, Ambraciotasque victos in deditionem accipit & triumphat M. Fulvius Nobilior.

1 Marcus Fulvius Nobilior Conſul Oretanos ſuperavit, unde ovans
2 urbem introiit. Conſul Aetolos, qui bello Macedonico interfuerant;

1 *Marcus.*] Praenomen in vulgatis corruptum; *Quinctus* enim appellabatur. Tantum ſibi audaces illi emendatores permiſerunt. *Quinctus* Nobilior filius ejus dictus, auctor *Cicero* in Bruto. SCHOTT. *Quintus* tamen MSS. quinque, & omnes fere Edit.

Nobilior.] Cognomine. MACH. *Liv.* lib. XXXVI. cap. XXI. *Per eosdem dies & Fulvius Nobilior, qui biennio ante* (An. U. C. 560. ut ex *Livio* conjicio) *Praetor in ulteriorem Hiſpaniam erat profectus, ovans urbem eſt ingreſſus.* ANNA.

Conſul.] *Conſul Hiſpanos ſuperavit*, ita emendandum *Sigonio* videbatur, in Mediol. perantiquo Codice *Conſul* afuit. In MSS. quoque longe aliud ſcriptum erat: Partim, *Conſul Ettanos, Vritonosque.* partim *Surnitanosque.* alius *Suritanosque.* Pariſinus vero & Mediolanenſis *Orethanosque* & mox *introivit.* Colonienſis *Ottanosque.* Monſtra verborum, ex quibus veram lectionem, ni fallor, elicio: *Vettonas, Oretanosque ſuperavit.* Nam de *Vettonibus* diſerte *T. Livius* lib. XXXV. ſcriptum reliquit a Fulvio Nobiliore fuſos fuiſſe apud Carpetanos. Ex *Ettanis*, quod in MSS. erat, *Vettonas* exſculpo, *Oretanos* retineo. quamvis nulla de his apud *Livium* mentio, quod veriſimile, quia non longe a Carpetanis abeſſent, cum illis dimicatum. Suntque Geographis omnibus & Hiſtoricis noti *Oretani.* Vulgata lectio: *Conſul Aetolos Ambraciotasque ſuperavit*, quomodo proximo verſu legendum monuerunt libri calamo exarati. *Conſul Aetolos qui* &c. pro quo tamen Pariſ & Colon. *Conatheos* habebant corrupta voce ex *Con. Achaeos.* Et aliquanto poſt, *Romanis adfuerant.* lege ex MSS. ut proxime in Manlio Vulſone. Phraſis Auctori noſtro familiaris. Praetura autem in Ann. U. C. IↃLXII. cadit, Conſulatus IↃLXIV. legendus *Oroſius* lib. IV. cap. XX. SCHOTTUS. Corrupti hic erant omnes MSS. quorum tamen varietatem, ſi quid alii melius conjiciant, adſcribam: *Conſul Aetolos Oretanosque* (ita *Gramm.* & Fran. *Orchanos* Haun. *Orethinos* Leid. pr. *Conretanos* Leid. ſec. delet vero vocem hanc *Boend.*) *ſuperavit, unde ovans urbem introiit* (*introivit. Boend.* & Fran.) *Conatheas* (ita Leid. ſec. *Canqtheas* Leid. pr. *Conateos. Gramm.* Fran. & Ed. Agripp. *Conaceos. Loend. Corinthios* Haun.) *qui bello* &c. Antiquae Editiones hic exhibent. *Conſul Aetolos Ambraciotasque ſuperavit, unde urbem introiit* (*introivit Mach.* & Agripp.) *Conſul Achaeos, qui bello.* In *Schotti* vero Editione & illis Variorum: *Praetor Hiſpanos ſuperavit, unde ovans urbem introiit. Conſul Aetolos Ambraciotasque, qui.* Ex hiſce optime veram lectionem conjecerit, qui minime a MSS. receſſerit. Eruditiſſimus *Pighius* tom. II. Ann. p. 284. haec ita refingit. *Praetor Vectores Oretanosque ſuperavit, unde ovans urbem introiit. Conſul Aetolos qui bello Macedonico interfuerant, poſt ad Antiochum deſecerant.* Proxime ad MSS. me editurum credidi, ſi ſcriberem ſecutus veſtigia antiquae lectionis: *Conſul Oretanos ſuperavit, unde ovans urbem introiit. Conſul Aetolos, qui.* De Oretanis vide *Livium* lib. XXXV. cap. VII. lib. XXXVI. cap. XXI. & XXIX. de Aetolis autem *Florum* lib. II. cap. IX. &c. Offendet certe repetitio vocis *Conſul*, ſed tamen ita omnes MSS. & Editt. ſine ulla varietate, quare puto, hic minus accuratum eſſe Noſtrum, qui *Conſul* poſuerit pro *Praetore* ſeu *Propractore.* vide Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. II. cap. XIV. §. 5. cap. XVI. §. 3. cap. XX. §. 5. & lib. IV. cap. XII. §. 38. ARNTZ.

Ovans.] Id eſt, minori triumpho, de quo ſuperius vide. MACH.

2 *Conſul.*] An. U. C. 565. Vide *Flor.* lib. II. cap. IX. ANNA.

Aetolos.] Inter Ambracium & Corinthiacum ſinum. EADEM.

Interfuerant.] Hic quoque contra omnes Editt. & MSS. *Romanis adfuerant* ediderat. Erud. *Schottus*, cum recte utique dicatur *intereſſe bello*, pro bellum ſimul gerere. *Juſtinus* lib. XV. cap. II. §. 16. *Bellumque communibus viribus inſtruunt; cui cum*

fuerant; post ad Antiochum defecerant; praeliis frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit; tamen signis tabulisque pictis spoliavit, de quibus triumphavit. Quam victoriam per se magnificam, Quinctus Ennius amicus ejus, insigni laude celebravit.

eum Cassander interesse non posset: Curtius lib. IV. cap. V. §. 9. *Bello quod supererat interfuturus. Valer. Maximus* lib. IV. cap. III. exem. 12. *Cum bellis Civilibus interesset.* & lib. I. cap. VII. exemp. 1. ut in MSS. esse testantur Viri docti: *Proximo bello non interesset.* ARNTZ.

Ambraciam.] *Plinius* lib. III. *Maximeque nobilitatus Ambracius sinus faucibus spatiosum aequor accipiens & in sinu opidum Ambrati.* MACH. *Ambrachium* Leid. pr. & *Boend. Ambraciam* Fran. & Leid. sec.

Tamen signis.] Vulgati *tamen*, MSS. *tum* praeferunt. Agrippinense exemplar *Tm.* unde *tantum* scribo: ex notis rursum natum mendum. SCHOTTUS. Est a *Schotti* conjectura; cum invenisset in exemplari Agrippinensi *tm.* Vulgati prius *tamen signis.* MSS. ejus & Palatinus unus, *tum signis*; quod malim. GRUT. Ex emendatione *Schotti* hic habebamus *tantum* & sic erat in Codice Haun. solenni Librariorum errore ex compendiis scribentium Cl. *Duker.* ad *Flor.* lib. I. cap. XIII. §. 15. & lib. III. cap. V. §. 25. Cel. *Burman.* ad *Ovidium* Epist IX. Her. vers. 119. & comm. ad *Valer. Maximum.* lib. V. cap. IX. §. 4. Malui ego recipere *tamen* quamvis enim in deditionem receperat, tamen graviores iis conditiones inposuit, ut etiam signa tabulasque debuerint tradere. Illa enim publice de victis gentibus circumferri & in Triumpho ostentari solebant. *Eutropius* lib. IV. cap. XIV. *Antequam signa aenea & pictae tabulae, & alia Urbis clarissimae ornamenta, praelata sunt. Livius* lib. XXV. c. IV. *Ornamenta Urbis signa tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam devexit.* lib. XXVII. cap. XVI. *Signa tabulaeque prope, ut Syracusarum ornamenta aequaverint.* & Epit. LII. fin. *Signa aerea marmoreaque & tabulas pictas in triumpho tulit. Livius* lib. XXVI. cap. XXXIV. *Signa, statuas aeneas, quae captae de hostibus dicerentur. Florus* lib. II. cap. XII. §. 13. *Primus dies signa tabulasque.* Confer *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XI. §. 6. ARNTZ.

Signis.] Statuis. Ex Ambracia novem *signa* omnium Camoenarum ab eo Romam translata, ANNA.

Tabulis.] Picturis. MACH.

De quibus.] Lege: *Deque iis.* ANNA.

3 *Quinctius Ennius.*] *Ennii* praenomen in MSS. afuit. in Parisino & Colonienſi *Quinctus Ennius* diserte. Caeterum *Q. Ennius*, poëta ille insignis, nascente lingua Latina, post *Livium Andronicum* fuit, cujus scripta intercidisse dolent omnes. *Cicero* Tusculana prima principio. *Cato objecit probrum Marco Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset. Duxerat autem Consul in Aetoliam, ut scimus, Ennium.* Quae tamen pugnant cum iis, quae de Porcio Catone dixit Auctor noster cap. XLVII. Idem pro Archia poëta: *Jam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.* Et in Bruto: *Dicunt etiam Qu. Nobiliorem M. filium jam patrio instituto deditum fuisse studio literarum: qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum Triumvir coloniam deduxisset.* Plinius lib. XXXV. Nat. Hist. *Zeuxis fecit figulina opera, quae sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior transferret.* Haec ideo copiosius; ut *Aetolos* leg. ex antiquis scidis confirmem, non *Achaeos.* SCHOTT. *Marcus* Fran. & *Boend.* non agnoscit uterque Leid. & Haun. *Quintus Gram.* Edit. Agripp. & Ven. ceterae *Marcus.* Adde *Eumenii* Paneg. pro Rest. Schol. cap. VII. §. 3. ARNTZEN.

Insigni laude celebravit.] Lib. XV. Annalium; cujus fragmenta quaedam ad nos pervenere. In his:

Fulvius Nobilior stravit certamine crebro
Aitolos.

ANNA.

CAPUT LIII.

ARGUMENTUM.

Antiochum Syriae Regem vincit, pecuniae interceptae reus in carcerem non ducitur, ſed ignominiae cauſſa equo privatur L. Scipio Aſiaticus.

1 Scipio Aſiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Afri-
ca virtutis nomine a fratre laudatus, Conſul, Antiochum Regem Syriae, legato fratre, apud Sipylum montem, cum arcus hoſtium pluvia hebetati fuiſſent, vicit, & regni relicti a patre parte priva-
2 vit; hinc Aſiaticus dictus. Poſt reus pecuniae interceptae, ne in carcerem duceretur, Gracchus pater Tribunus plebis interceſſit. M. Cato Cenſor equum ei ignominiae cauſſa ademit.

CA-

1 *A fratre.*] Qui dixit ſe iturum legatum, ſi fratri ſuo provinciam Graeciam decreviſſent. MACHAN. Afuit a MSS. aliquot. SCHOTTUS. *Not. Min.*

Conſul.] Anno U. C. 563. & anno ſuperiore *Conſul* fuerat Scipio Africanus. ANNA.

Legato.] *Regem ſine Legato*, Franeq. *Regem Syriae ſine Legato*, Leid. lec. *Regem Syriae ſin. Legato.* Haun. Forte reponendum *ſimul.*

Apud Sipylum montem.] In Aſia. Libro VII. belli Macedonici circa medium eam pugnam *Livius* non minus eleganter, quam aperte declarat. *Sipylus* notus eſt fabula illius decantatae Niobes, ut hemiſtichium poëtae elegiographi indicat:

Lacrymas defluit a Sipylo.

MACH. *Siphylum* alii. Pugna facta circa *Sipylum* montem ad Magneſiam Aſiae urbem. *Livius*, *Eutropius*, alii. SCHOTT. Veteres adſpitare mediam Syllabam hujus vocis monuit etiam *Cioſius.* ad *Ovid.* lib. VI. Met. verſ. 149. & 231. Fran. *Sipillum Boend. Sepillum.*

Arcus.] MSS. *artus* dicunt hebetatos, non *arcus.* SCHOTT.

Pluvia hebetati fuiſſent.] *Flor.* lib. II. c. VIII. *Sed haec omnia praepedita magnitudine ſua; ad hoc imbre, qui ſubito ſuperfuſus mira felicitate Perſicos arcus corruperat, primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt.* ANNA.

Aſiaticus dictus.] MSS. plenius legunt: *Hic cum Bojorum gente conflixit, in quo praelio* XX. *boſtium millia interemit* (alius *interfecit* habet.) Sed vereor ne ad Scipionem Naſicam ſit referendum, qui cum Bojis pugnavit. Eadem autem ad verbum legas apud *Oroſium* lib. IV. c. XX. SCHOTTUS. Admiſi verſum iſtum, ſuadentibus duobus MSS. *Schotti.* ut enim forte minus heic ſpectet, & referendus magis ſit ad Scipionem Naſicam, cui cum *Bojis* iſtis negotium: quid tum? non inſolens eſt ſcriptori iſti, quae duorum fuerunt, attribuere uni. abeſt tamen periodus iſthaec Palatinis codicibus. GRUT. Sed nihil tale eſt in Noſtris, quare gloſſema eſſe exiſtimo, ex *Oroſio* aliove, unde ille ſua habeat, ſcriptore, huc tranſlatum.

2 *Reus pecuniae interceptae.*] Petiliis accuſantibus; vel, ut alii cenſent, Marco Naevio: qui Africano quoque fratri inſtiterat. *Livii* verba haec ſunt: *Scipio cum contenderet omnem, quam acceperat, pecuniam in aerario eſſe, nec ſe quidquam publici habere; in vincula duci coeptus eſt.* MACH.

Gracchus pater Tribunus plebei licet inimicus ejus.] Eximie. memorabile profecto, *Tib. Sempronium Gracchum* patrem *Graccborum*, in cauſſa publica privatas inimicitias depoſuiſſe: Alienum enim a Reipublicae dignitate videri ajebat Imperatorem populi Romani triumphatorem in carcerem duci, in quem hoſtium duces victos conjeciſſet. Teſtis Auctor Noſter cap. LVII. & *Livius* XXXVIII. Annali extremo. *Agellius* lib. VII. cap. XXI. & *Val.* lib. IV. cap. I. Tametſi hic pro *Lucio* non *Publio Scipione*, *Tib. Gracchum* interceſſiſſe nobiſcum ſentiat, ut & *Valerius Antias.* Ille vero cum *Livio* ſcribat pro *Publico Africano* non pro *Lucio Aſiatico*, cum quo tamen inimicitiae intercedebant, haec geſſiſſe: vel Pub. Corn. Africanum pro fratre L. Aſiatico rogaſſe Tribunos, verbaque feciſſe: intercedente tandem Tib. Sempronio, cui tamen cum Publio Scipione inimicitiae erant. *Livius* hoc ſenſu: pro P. Scipione & frater Aſiaticus praedes poſtulatus ſe in judicio ſiſtit,

excu-

excusat: Tandem Tribunis appellatis intercedit Gracchus, licet inimicus Publii gravis ob plerasque in Republica dissensiones esset: juravitque in amicitiam ejus. SCHOTT. *Pater* in nonnullis codicibus exsulat, sed admittunt *Gramm.* & Fran. cum Editionibus Agripp. & Ven. Quod in sequentibus scripserat *Schottus: Plebis, licet inimicus ejus*, tria ultima verba in nullis vel impressis vel scriptis inveni, contra quorum auctoritatem admittendum non fuit, quod sine damno etiam sententiae abesse posset. Inimicitiae tamen inter eos fuerunt, ut patet ex *Livio* lib. XXXVIII. cap. LII. nec tamen exinde statim sequitur, harum meminisse debere brevioris compendii Epitomatorem. ARNTZ.

Intercessit.] *Livius* ab hoc Africani quoque filiam uxorem ductam narrat: Quod ad Asiaticum, haec ad verbum refert: *Tiberius Gracchus ita decrevit: quominus ex bonis Lucii Scipionis, quod judicatum sit, redigatur, se non intercedere praetori, Lucium Scipionem, qui Regem opulentissimum orbis terrarum devicerit, imperium populi Romani prorogaverit in ultimos terrarum fines, non passurum eum, qui tot plurimos duces hostium in triumphum ductos incluserit, in carcere & vinculis esse, mittique eum jubere.* MACH.

M. Cato Censor.] *Livius* lib. XLVII. Scipionem a *Catone* allatrari solitum refert, & ex illo *Fabius* lib. VIII. cap. VI. SCHOTT.

Equum ademit.] Non mirum, quia mirifico (alioqui gravissimus vir) livore in omnes Scipiones exardebat. MACH. In transvectione Censores equum ignominiae causa equitibus adimebant. Transvectio, vulgo *revene*. ANNA.

CAPUT LIV.

ARGUMENTUM.

Romanis bellum infert, Graeciam ejusque insulas occupat, in Euboea elanguescit, inde excitatus Thermopylas occupat, sed ejectus in Asiam refugit, navali praelio superatur, Scipionis Africani filium captum patri remittit, cum L. Scipione confligit, vincitur, ultra Taurum relegatur, & a sodalibus occiditur Antiochus Syriae Rex.

Antiochus, Syriae Rex, nimia opum fiducia bellum Romanis intu- 1
lit, specie Lysimachiae repetundae, quam a Majoribus suis in Thra-

1 *Nimia.*] V. L. *nimius*. SCHOTT.

Specie.] V. L. *in specie*. alii, *in spem*. Ex compendiis nata varietas. IDEM. *Spem* legit *Boend.* & uterque Leid. *spe*. Fran. corrupte. *Species* enim hic notat *praetextum* vel causam, quam huic bello praetenderet. *Justinus* lib. IV. cap. III. §. 5. *Ut sub specie ferendi Catinensibus auxilii tenerent Siciliae imperium.* lib. XXVII. cap. III. §. 5. *Sub specie Sororiae ultionis Asiae inhiabat. Sulpitius Severus* Hist. Sacr. lib. I. cap. XXXIV. §. 6. *Sub specie honoris objectare eum periculis statuit.* Sed non novum est, has voces a Librariis per scribendi compendium esse confusas. Exempla habebis apud *Freinshem.* ad *Curtium* lib. X. cap.

2 Thracia conditam Romani poſſidebant, ſtatimque Graeciam inſu-
3 lasque ejus occupavit. In Euboea luxuria elanguit. Adventu Aci-
4 lii Glabrionis excitus, Thermopylas occupavit; unde induſtria Mar-
ci Catonis ejectus, in Aſiam refugit. Navali praelio, cui Hanni-
balem

VIII. §. 21. & in Variis Lectionibus ad lib. IX. cap. I. §. 10. Summum *Gronovium* ad *Livium* lib. XXII. cap. XXIV. *Daviſium* ad *Caeſarem* lib. VIII. Bell. Gall. cap. XLIX. §. 1. Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. I. cap. XIII. §. 15. *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. VIII. cap. II. exem. I. & *Cortium* ad *Porcii Latronis* Decl. cap. VIII. ARNTZ.

Lyſimachiae.] A *Lyſimacho* Rege dicta, qui eam condi juſſit. MACH. Juxta Propontida ad fauces Iſthmi quem Helleſpontus ab Aſia dividit. ANNA.

A Majoribus ſuis.] *Florus* lib. II. cap. VIII. *Hic Lyſimachiam urbem, in littore Thracio poſitam a majoribus ſuis, Antiochus ut haereditario jure repoſcebat.* EAD.

Conditam.] MSS. fere *quondam* legunt. SCHOTTUS. *Not. Min.* Tamen omnes Scripti & Editi plerique *quondam.*

Graeciam.] Accitus eſt ab Aetolis contra Romanos dimicantibus, maxime ad Graeciam liberandam, Thoante eorum duce id decernente. MACH. *Regiam* Fran. *Regiam inſulam* Agripp.

2 *In Euboea luxuria elanguit.*] Nimirum verba id *Liviana* ſignificant: *Rex a Chalcide Demetriadem profectus amore captus virginis Chalcidenſis omiſſa omnium rerum cura in conviviis & vinum ſequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis quam ex ſatietate eorum in ſomno traduxit.* MACH. *Euboeam inſulam continenti adhaerentem tenui freto reciprocantibus aquis, Euripus abſcidit. Hic ille poſitis aureis ſericiſque tentoriis, ſub ipſo freti murmure, quum inter fluentia tibiis fidibusque concineret, collatis undique, quamvis per hyemem, roſis, ne non aliquo ducem agere videretur, virginum puerorumque delectus habebat. Florus* loco ſupra laudato. Vide *Liv.* lib. XXXVI. cap. II. ANN. *Languit* Leid. ſec. & Haun.

3 *Atilii,*] De quo, & Thermopylis ſuperius abunde lege in Catone. MACH. MSS. *Acinii* proxime veritatem & Capitolinas Tabulas, quae *Manium Acilium Glabrionem* nuncupant, ut in Cenſorio diximus. SCHOTT. *Atilii* utrique Leid. & *Boend.* & Editt. *Aflikii Gron.* Vid. tamen Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. VIII. §. 10.

Excitatus.] Scripta lectio. Poteſt etiam *exercitus* participium eſſe pro vexatus. Illud tamen malo. SCHOTT. *Not. Min.* Sic optimi Manuſcriptorum *Schotti*, neque abeunt Palatini, quam quod ii *excitus.* Prius Impreſſi, *exercitus.* minus recte: neque opus refingere id in *exercitu Thermopylarum*; nam illud *excitatus* reſpicit illud prius: *In Euboea luxuria elanguit*; tanquam nimirum ex deſide ſomno Antiochum *excitaverit* Acilius. GRUT. Neſcio cur haec ſcriptura Viros doctos potuerit turbare, cum ſine dubio *excitatus*, ſi a MSS. foret, poſſet ferri. Haec vox enim de eo dicitur, qui ſocordiae quaſi ſomno oppreſſus, interveniente aliqua re ad alacritatem & ſtudium bene merendi erigitur. *Livius* lib. I. cap. XLVIII. *Trepido nuncio excitatus, extemplo a veſtibulo Curiae magna voce, quid hoc, inquit. Valer. Max.* lib. II. cap. IX. ex. 9. *Rumore enim ejus excitati omnibus viribus incubuerunt.* Confer Cl. *Burm.* ad *Vell. Paterc.* lib. I. cap. VIII. §. 1. Praeſero tamen *excitus*, quod eſt in quatuor Codicibus, in duobus ſc. Fran. & *Boend. excitus*, quomodo reliquae etiam Editiones, ſi ab Agripp. & Ven. diſceſſeris, qui *excitus* tuentur, quam vocem etiam ſibi commodiorem videri monuerat in Variis Lectionibus Eruditiſſimus atque Humaniſſimus *Grammius.* Ita *Juſtinus* lib. II. cap. IV. §. 22. *Quare effectum eſt, ut paucae repentino tumultu excitae arma caperent.* ARNTZ.

4 *Navali praelio.*] Inciſum hoc male in Vulgatis interpungitur, leguntque: *in Aſiam refugit navali praelio:* neque enim haec cum illis cohaerere debent. SCHOTT. Non inficete *Boend. navali bello*; nam *praelio* poteſt eſſe expoſitio vocis *belli*, quia *bellum* ſaepe pro *praelio* ponitur, quod fugit indoctos Librarios. *Juſtinus* lib. V. cap. IV. §. 2. *Praelio commiſſo victoria penes Athenienſes fuit. Eo* bello *major pars exercitus caeſa. Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. XIV. *Prima autem & ſecunda acies totum ſuſtinet* bellum. *Frontinus* lib. I. cap. XI. ex. 2. *Praeclara victoria commiſſo ſtatim* bello *peracta eſt. Dict. Cretenſis* lib. II. cap. IV. *De ſepeliendis qui* bello *ceciderunt.* & c. XLI. *Ancipiti fortuna* bellum *ad occaſum ſolis producunt. Dares Phrygius* de Exc. Trojae cap. XXIV. *Hector ut audivit tumultum in* bello. Adde *Bernecc.* ad *Juſtin.* lib. IX. cap. IV. §. 4. Var. Lect. ad *Curtium* lib. III. cap. X. §. 3. Duo MSS. apud *Valer. Max.* lib. I. cap. VII. §. 1. *Proximo* bello *intereſſet.* reliqui *praelio.* quomodo apud *Salluſtium* variatur teſte *Cortio* ad Catil. cap. IX. §. 4. &c.

balem praefecerat, a L. Aemilio Regillo, superatus, filium Scipionis Africani, quem inter navigandum ceperat, patri remisit, qui ei, quasi pro reddenda gratia, suasit, ut amicitiam Romanam peteret; Antiochus spreto consilio apud Sipylum montem cum L. Sci- 5
pione conflixit. Victus, & ultra Taurum montem relegatus, a sodalibus, quos temulentus in convivio pulsaverat, occisus est.

4. & Jugurt. cap. LXIII. §. 3. A. Graecis transumta significatio, apud quos πόλεμος hac significatione frequentissimum, praesertim apud *Homerum* Il. Γ. vers. 133. Il. M. vers. 123. & passim. *Aelianus* lib. III. Var. Hist. cap. IX. *Raphelius* in Epist. I. ad Corinth. cap. XIV. §. 8. & ad Apocal. *Joannis* cap. XII. §. 7. ARNTZ.

Cui Annibalem praefecerat.] *Florus* lib. II. cap. VIII. *Classis regia Polyxenidae, Annibalique commissa. Nam Rex praelium nec spectare poterat. Igitur duce Aemilio Regillo, adremigantibus Rhodiis tota laceratur.* Hoc factum puto anno sequenti, postquam ad Thermopylas pugnatum est. Vide *Liv.* lib. XXXVII. ANNA.

A. L. Aemilio Regillo.] De quo *Lucius Florus*: *Aemilius Regillus adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Mionnessum Rhodiis adjuvantibus, & idem navalem duxit triumphum*: MACH.

Scipionis Africani.] De Antiocho, qui *Scipioni Africano* minori dona miserat, *Cicero* pro Dejotaro, ubi tamen *Attalum* pro *Antiocho* μνημονικῷ ἁμαρτήματι nominat. SCHOTT. Ita *Ursinus* ad *Cicer.* pro Dejot. cap. VII.

Quasi.] Deest in MSS. & certe a glossa est. SCHOTT. *Not. Min.* Invitis & omnibus scriptis & Editionibus hic ejecta fuerat vox *quasi*, quae hic nihil minus quam glossam sapit, nisi totam paragraphum ejiceres. *Livius* certe tuetur lib. II. cap. XII. *Tum Mucius, quasi remunerans meritum, quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos.*

5 *Apud Sipylum montem.*] Vide supra in L. Scipione Asiatico. Vide & *Liv.* lib. XXXVII. cap. XXXVIII. &c. ANNA.

Ultra Taurum montem.] Idem *Florus* scribit: *Victo deinde Antiocho a Lucio Cornelio Scipione, adjuvante Eumene Rege Attali Pergameni filio, pax data ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet.* MACH.

A sodalibus.] *Sodales* proprie in rebus levioribus & fere in conviviis & compotationibus. Quidam inde deducunt, quasi *simul edales*, vel quod *sederent simul* in mensa, vel una essent, vel quod e *suo datis* vesci solerent. *Cicero* in Catone Majore: *Epulabar modice cum sodalibus. Catullus*:

Mei sodales quaerunt in trivio vocationes.

Graece σύσσιτοι dicuntur. *Cajus* l. ultim. D. de Collegiis illicitis: Hinc *Syssitia* erant apud Lacedaemonios a Lycurgo instituta, hoc est, comissationes & socialia convivia, teste *Plutarcho*, & *Strabone* libro X. SCHOTT.

Pulsaverat.] Quod *Offutius* JCtus ait *Pulsare* esse sine dolore, *Verberare* cum dolore, claudicat. IDEM.

Occisus est.] *Strabo* lib. XVI. interfectum a Barbaris cum templum Beli spoliare conaretur: D. *Hieronymus* in XI. Danielis, cum adversus Elimaeos pugnaret cum omni exercitu deletum ait. Aliter *Justinus* lib. XXXII. adhibito exercitu nocte templum Didymaci Jovis aggressum, concursu insulanorum cum omni militia interfectum. IDEM. *Occisus* fuit an. U. C. 567. ANNA.

CAPUT LV.

ARGUMENTUM.

Pisidis & Gallograecis bellum infert Cn. Manlius Vulso. Centurionem, a quo stuprata fuerat, marito interficiendum tradit captiva, sed redemptione impetrata Regis Ortiagontis uxor.

Cnaeus Manlius Vulso [Consul] missus ad ordinandam Scipio- 1
nis Asiatici provinciam, cupidine triumphi bellum Pisidis & Gallo-

2 Gallograecis, qui Antiocho adfuerant, intulit. His facile victis, inter captivos uxor Regis Ortiagontis Centurioni cuidam in custodiam

1 *Vulso.*] MSS. & Romana marmora, non *Volso*. Iidem tamen libri *Cajum Manilium Vulsonem* vocant. SCHOTT.

Consul.] Addunt MSS. SCHOTT. *Not. Min. Consul* fuit cum M. Fulvio Nobiliori An. U. C. 564. ANNA. Immullis tamen nostris apparet.

Ordinandam.] Leid. sec. *ornandam*. *Ornare* milites, exercitum, classem quid sit sciunt omnes. *Cicero* pro Lege Manil. cap. VIII. & lib. V. in Verrem. cap. XVII. *Livius* lib. XXI. cap. I. *Tacitus* lib. III. Hist. cap. LXIII. *Justinus* lib. V. cap. VI. §. I. *Gellius* lib. V. cap. II. *Manut.* ad *Cicer.* lib. X. ad Famil. Epist. XXIII. *Heins.* & *Burm.* ad *Ovidium* Epist. IX. Her. vers. 103. *Dukcr.* ad *Florum* lib. I. cap. XVI. §. 7. & *Vorstius* & *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. IV. cap. III. exem. 4. & lib. V. cap. I. ex. ext. 3. *Ornari* igitur Provincia dicitur tum, si Romae omnia ea praeparantur, quae ad gerendum bellum & administrationem Provinciae censentur necessaria. *Livius* lib. XL. cap. XXXVI. *Qui suas ornari provincias, priusquam de Praetoris exercitu quaereretur, aequum censebant.* & *Sueton.* in Caesare cap. XVIII. *Neque more neque jure, antequam Provinciae ornarentur, profectus est.* Confer *Sigonium* lib. II. de Jure Prov. cap. I. Verum aliud quid notat *ordinare Provinciam*. Illud enim de ornatu pertinebat ad Senatum. *Ordinare* autem de ipso duce dicitur, qui rebus gerendis praeest, vel qui mittitur ad res inspiciendas, seu constituendam regiminis formam. *Florus* lib. II. cap. XVI. §. 3. *Igitur Metello* ordinanti *tum maxime* Macedoniam *mandata est ultio.* lib. IV. cap. II. §. 22. *Pulso fugatoque Pompejo maluit prius* ordinare Provincias. *Vellej. Paterc.* lib. II. cap. XCII. §. 2. *Aberat in* ordinandis *Asiae Orientisque* rebus *Caesar.* & lib eodem cap. XCIV. §. 4. *Missus cum exercitu ad visendas* ordinandasque, *quae sub Oriente sunt*, Provincias. *Livius* lib. XL. cap. XXXIX. & *Gronov.* ad *Justinum* lib. XL. cap. XXXIX. Sed hae voces passim solent a Librariis confundi. Adi *Gruter.* ad *Cicer.* lib. II. ad Quint. Fratr. Ep. III. *Bustum* ad *Nepotem* Attico cap. XVIII. §. I. & Commentatores ad *Valerium Maximum* lib. IX. cap. I. ex. ext. 2. ARNTZ.

Provinciam.] Universam Asiam. MACH.

Cupiditate triumphi.] MSS. libri *cupidine triumphandi* praeferunt. SCHOTT. Etiam MSS. Palatini: Nihilo pejus. GRUT. Quare ita nostris MSS. faventibus edidimus, quibus accedit Editio *Mach.* & *Ovidius* lib. VI. Met. vers. 50.

- - - *Stolidaeque* cupidine *palmae*
In sua fata ruit.

Sallustius Jug. cap. XIX. §. I. *Alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii* cupidine. *Livius* lib. XXI. cap. X. *Juvenem flagrantem* cupidine *regni. Dict. Cretensis* lib. III. de Bell. Troj. cap. XV. *An bellandi* cupidine *auxiliatum.* & lib. IV. cap. IV. *An* cupidine *deripiendarum rerum, quas secum advexerant. Vell. Paterc.* lib. II. c. XXXIII. §. I. *Bello pene invictus pecuniae expellebatur* cupidine. *Sulpitius Severus* lib. II. Hist. Sacrae cap. XVII. §. 5. *Adfectantes summum sacerdotium libidine, avaritia & dominandi* cupidine. Infra Epit. cap. XLI. §. 22. *Constans vero venandi* cupidine, *dum per silvas saltusque erraret.* Vide Emid. *Wasse* ad *Sallust.* Jug. cap. VI. p. 240. Porro *triumphandi* recipiunt tres Codd. quod perinde est. ARNTZ.

Pisidis.] Ii consentientibus cunctis cosmographis prope Pamphylios ac Lycios exstitunt. MACHAN. MSS. *Pisidiis* praeferunt. SCHOTT. *Not. Min. Pisidiis* Leid. pr. & *Boend. Perficis* Haun. corruptus uterque. *Mela* lib. I. cap. II. *Cappadoces*, Gallograeci, *Lycaones*, *Phryges*, Pisidae. *Cicero* lib. I. de Divin. cap. XV. *A Cilicibus*, *Pamphyliis*, Pisidis, *Lyciis tenentur. Plinius* lib. V. Hist. Nat. cap. XXVII. & *Strabo* lib. XII. Geogr. p. 854. &c. ARNTZ.

Gallograecis.] Qui duce Brenno in *Graeciam* se effuderant, auctore *Trogo Pompejo* lib. XXIII. ut & nomine ipso patet. MACH. Qui & *Galeta*, in Asia minori ad Alim fluvium. Vide omnino *Florum* lib. II. cap. XI. Vide & *Liv.* lib. XXXVIII. ANNA.

2 *His facile victis.*] *Lucius Florus* XXXVIII. Epitome ita scribit: *Cneus Manlius Consul collega ejus Gallograecos, Tholistobojos, Tectosages & Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum minime parerent, vicit.* MACHAN.

Orgiagontis.] Vetus lectio excusorum librorum: *Oriaguntis. Plutarchus* aliique *Origontem*, *T. Livius Orisgontem* nominat, vidi qui *Ortiagontis.* Uxor apud *Plutarchum* de Claris Mulieribus *Chiomera* appellatur, de qua *Valerius* lib. VI. cap. I. SCHOTT. Nec in certa scriptura sibi constant Nostri. *Orgiaguntis* habet *Boend. Oriaguntis Gramm. Orientis* Haun. *Oriaguntis* Agripp. & Ven. *Ortagontis Ald.* & *Gryph.* quos secuti sunt multi. Adi Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. I. cap. XI. §. 6. ARNTZ.

Centu-

diam data, a quo vi stuprata, de injuria tacuit. & post impetrata redemtione, marito adulterum interficiendum tradidit.

Centurioni.] *Plutarcho* raptor *Tribunus militum* est, non *centurio*. SCHOTT.

Adulterum.] In Vulgatis: *Adulterum Centurionem.* Centurio ἀπὸ κοινοῦ repetitur. In MSS. omnibus afuit. Recte. SCHOTT. Delevimus igitur addicentibus MSS. Edit. Agripp. & Ven.

Interficiendum tradidit.] *Livius* ac *Florus* inquiunt ipsammet centurionem occidisse. MACH.

CAPUT LVI.

ARGUMENTUM.

De Liguribus triumphat, Persen Regem capit, victum flet, assidere sibi jubet, & in triumphum ducit, duos filios amittit, Circensibus veste triumphali utitur, sed post mortem uxori dotem exsolvere non potest L. Paullus Aemilius.

Lucius Paullus Aemilius, filius ejus, qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publice posuit. Iterum Consul Persen Philippi filium, Regem Macedonum, 1 2 3

1 *Paullus.*] Duplici liquida scribo monente *Scauro* veteri Grammatico. SCHOTT.

Aemilius.] In ea familia primus a suavitate sermonis dictus, quam Graece ἀμιλίαν vocant, a Pythagorae filio nomen habente, alii ab Ascanii filio *Aemilio* dicunt. MACH.

Primo Consulatu.] An. U. C. 571. Collega Cnaeo Baebio Tamphilo. Sed tunc de Liguribus non triumphavit, sed anno sequenti proconsul. ANNA.

Adeptus erat.] *Egerat* MSS. Nihil tamen demuto. SCHOTT. Nulla est ratio, cur hic ut infra cap. LXI. *aegre adeptus erat* scribamus cum *Pighio* tom. II. Ann. p. 325. quod unde hauserit nisi ex ingenio ignorare me fateor, vel ex eo, quod *egerat* in aliis esse testetur *Schottus*, unde facile negotio *aegre* refingi posset. Attamen hoc si verum esset, tunc *adeptus erat* foret omittendum, ut in *Schotti* MSS. Nostri vel Editiones vel scripti nili quidquam variant. ARNTZ.

Liguribus.] Qui ei naves, & opida reddiderunt, ipse autem dirutis moenibus omnes naves praeter tres & quinquaginta eis reliquit. MACH.

Triumphavit.] Sicuti de Illyriis primo consulatu pater hujus triumphavit. De hoc sic *Vellejus Paterculus* libro posteriori. *Qui Praetor & Consul triumphaverat.* Forte mendum; pro *qui priore consulatu triumpharverat.* SCHOTT. Sic & concecere ante *Schottum* alii, rectius tamen receptam tuentur *Pighius* tom. II. Ann. p. 387. & *Lipsius* ad *Vellejum* lib. I. cap. IX. §. 3.

2 *Publice posuit.*] Malim *proposuit.* SCHOTT. *In tabulam* Fran.

3 *Iterum Consul.*] An. ab U. C. 585. Collega C. Licinius Crassus. Vide *Florum* lib. II. cap. XII. & *Liv.* lib. XL. ANNA.

Persen.] Regem Macedoniae, qui & *Perseus* dicitur, quem constat pugnantem exercitum deseruisse, ut Herculi deo sacra facturum; qui ignava sacra ab ignavis non recipit. Tandem ad templum confugit, M. Octavio Aemilii legato insequente, pactus cum Oroande Cretensi lembum habente, ut asportaretur. Cui cum aurum tradidisset, & argentum; & Perseus ad litus perveniisset: Oroandes arte Cretica Aretus, pecuniam quidem suscepit, ipsum vero Perseum cum liberis, conjuge ac necessariis noctu ad mare certa hora venire jussit, ac anticipata navigatione reliquit, unde per Anthonem proditorem filiis Romanis traditis coactus est a Romanis se tradere; ut avis captis ejus pullis se victum flevit: per Octavium ad Aemilium ductus est, (ut per dominum Lignici Maurus ad Regem) qui utpote vito ex alto dignitatis gradu prolapso assurrexit, & obviam cum amicis processit; ad illius casum illacrymatus est: Perseus vero, Plutarcho scriben-

donum, apud Samothracas cepit, quem victum flevit, & adſidere
4 ſibi juſſit; tamen in triumphum duxit. In hac laetitia duos filios
amiſit, & progreſſus ad populum, gratias fortunae egit, quod ſi
5 quid adverſi Reipub. inminebat, ſua eſſet calamitate deciſum. Ob
haec omnia, ei a populo & a Senatu conceſſum eſt, ut ludis Cir-
6 cenſibus triumphali veſte uteretur. Ob hujus licentiam & pauper-
tatem,

ſcribente, turpiter in terram procubuit, & genua Aemilii amplectens, voces emiſit degeneres, quas non tulit Imperator Romanus, nec audire preces ſuſtinuit, ſed triſti vultu illum intuens: *Quid fortunam*, inquit, *crimine liberas*, & reliqua. MACHAN. *Perſen* melius ſcribes, quam *Perſeum*, & ſic omnes Scripti & Editt. niſi quod Pran. *Preſem*. Confer *Gronovium* ad *Gellium* lib. VII. Noct. Att. cap. III. p. 379. Nobil. *Heinſium* ad *Velleium* lib. I. cap. IX. §. 4. *Graevium* ad *Juſtin.* lib. XXXII. cap. II. §. 10. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. XII. §. 2. & *Torren.* ad *Val. Maximum* lib. I. cap. V. exem. 3. ARNTZ.

Apud Samothracas.] Pariſinus non numero multitudinis legit *Samothracam*. MSS. partim *Samothracas Deos cepit*, partim *Samothracas decepit* praeferunt. SCHOTT. *Samothracia* inſula in ſummo mari Aegeo Thraciae oppoſita. ANNA.

Quem.] Relativum abeſt in MSS. SCHOTT. In *Plantiniana* Editione induxerat hoc relativum *Schottus*, ſed agnoſcunt antiquiores Editiones & MSS. *Vinctum. Mach.* & *Ald.*

Adſidere ſibi juſſit.] *Florus: Sed nec reverentior captae majeſtatis alius Paullo fuit. Quum in conſpectum veniſſet hoſtis, in ſellam recepit & convivio adhibuit, librosque admonuit ſuos, ut fortunam, cui tantum liceret, revererentur.* ANNA.

4 *Duos filios amiſit.*] Horum alter quinque diebus ante triumphum mortuus eſt: alter tertia die poſt triumphum deceſſit. MACH.

Eſſet calamitate.] MSC. unus eximie *ſua calamitate erat depulſum*. Tale dictum Camilli. *Val. Max.* lib. I. cap. VI. & de Paullo Aemilio ibidem. SCHOTT. Et *Seneca* Conſol. ad Marc. cap. XIII.

Deciſum.] Alii *depulſum*. Averruncare Deus mala dicitur. SCHOTT. *Not. Min. Deciſum* Ita & duo Palatini noſtri, videturque melius, quam id quod alii laudant e membranis ſuis. GRUT. *Decidere* eſt verbum juris quod ſignificat *tranſigere*, *divimere*. ANNA. *Decidi* dicitur cauſſa vel quaeſtio, quae pactione, tranſactione vel Judicis ſententia ad finem perducitur. *Cicero* pro Roſcio Amer. cap. XXXIX. *Ut cum Chryſogono tranſigeret atque* decideret. & de Haruſp. Reſp. cap. XX. *Recenti adventu ſuo cum propinquis ſuis* decidit. *Martial.* lib. IX. Epigr. IV.

Decidat *tecum qua Pater ipſe Deum.*

Symmachus lib. VI. Ediſt. XI. *Pretium ſcripſerum cum venditore* deciſum. Apud JCtos frequentiſſimum. Vide Clar. *Noodt* de Pactis cap III. & XXVII. *Gronovium* ad *Senecae* Controv. II. fine & Cl. *Burmann.* ad *Quinctil.* Decl. XII. cap. XII. & XXIII. ARNTZ.

5 *Ludis Circenſibus.*] In quibus equi currebant ad miſſus, de quibus alias diximus affatim. MACHAN.

6 *Licentiam.*] Sic vulgati paullum modo vetuſtiores, quae lectio cum *Colinaeum* offendiſſet, in *abſtinentiam* mutavit. Nos *continentiam* in calamo exaratis reperimus, quare nihil cauſſae viſum eſt, cur non eos potius quam vulgatos ſequeremur. Eſt enim *Continentia* virtus, qua quis ab alienis temperat: nihil quaerit, cupit, appetit amplius. Hanc in duce plurimum commendat *Cicero* in Manliana, & II. Offic. *Laudat*, inquit, *Africanum Panaetius, quod fuerit abſtinens*: Poſt non longe: *Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui R. P. praeſunt, quam abſtinentia & continentia.* Sic alibi ſaepius. *Corn. Nepos* in vita Attici. *Non intemperanter concupiſcere, quod a pluribus videas, continentis debet duci: & potius diligentia quam praeſto parare, non mediocris eſt induſtriae. Continentia* certe & *abſtinentia* in eadem fere uſurpantur re a *Cicerone* & *Val. Max.* qui lib. I. cap. III. titulum habet *De continentia & abſtinentia.* & *Vallae* Elegant. lib. IV. cap. XLI. *Continentiam* pro ea virtute, quae libidinem avaritiamque coërcet, *Cicero* uſurpat lib. I. Epiſt. ad Q. fratrem: *Quid eſt*, inquit, *negotii continere eos quibus praeſis, ſi te ipſe contineas.* Nam paullo poſt, *Tu tum pecuniarum voluptati, tum omnium rerum cupiditati reſiſtes, ut facies.* In Manliana vero pro ea, quae avaritiae inimica eſſet: *Neque enim poteſt exercitum continere is Imp. qui ſeipſum non continet.* Mox de *Temperantia*, quae voluptates reprimit, agit. Alias *continentia* generalius eſt & *abſtinentiam* comprehendit. *Temperantia* ab alienis; *continentia* a libidine & voluptate abſtinet. *Plutarchus*

autem

tatem, post mortem ejus dos uxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolvi.

autem Aemilium pecuniarum minime studiosum fuisse diserte scribit, & haereditatis parum habuisse. Si quis tamen *Licentiam* prodigalitatem significare exemplis doceat, facile patiar ita legi: sed cur addit *paupertatem*: an *pauper* prodigus esse possit? qui nihil quod det habet? Incontinentes & oculos & manus habuerunt, qui *continentiam* hic, quam aut non intelligebant, aut non servabant, contaminarunt, subjeceruntque licenter nimis *licentiam*. Facessant corruptores illi. Memini ego, *Johanni Olivario* viro disertissimo hanc meam emendationem vehementer probatam, cujus vel singulare judicium atque doctrina instar omnium erat futurum. SCHOTT. *Continentia* quidem ea est virtus Imperatorum & Magistratuum, qua se opibus publicis ditare nolunt, nec aliorum possessiones ad se trahere, sed res Civium sociorumque sancte tractant. *Justinus* lib. XVIII. cap. II. §. 8. *Huic continentiae Romanorum simile exemplum iisdem ferme temporibus fuit.* & lib. XLIV. cap. II. §. 8. *Cujus ea virtus continentiaque fuit. Frontinus* lib. IV. Strateg. cap. III. ex. 13. *Universi quoque exercitus notabilis saepe fuit continentia.* Et recte *Schottus* exponit per eam virtutem, quae libidinem avaritiamque coërcet, quibus vitiis eam opponit *Lactantius* lib. V. Div. Inst. cap. II. *Ut continentiae magister non magis avaritia, quam libidinibus arderet.* Adeo ut haec vox sensui quidem recte satisfaciat, praesertim cum hujus Paulli *abstinentia* quoque laudetur in Epitoma *Livii* XLVI. Verum ego id mihi non sumo, ut contra MSS. Codices, & antiquas omnes Editiones (princeps enim id mutavit *Schottus* in *Plantiniana*) talia audeam intrudere. Potius errorem hunc Auctoris puto, qui existimabat, quamvis falso, intemperantem vitam egisse Paullum, nec inmodicis sumtibus modum statuisse. Nec aliter *Pighius*, quamvis dubius, an non potius hoc vitium Librariis esset tribuendum, tom. II. Ann. p. 412. *Licentiam* igitur ei tribuit, qui liberius atque luxuriosius vivebat, qui omnia, quae libebant, licita putabat. *Cicero* lib. III. in Verr. cap. I. *Nunquam ipsimet nobis praecideremus istam licentiam libertatemque vivendi.* & lib. II. cap. XXII. *Luxuriae licentiam pollicetur.* Rogabit hoc loco *Schottus: Cur igitur addit* paupertatem, *an* pauper *prodigus esse possit?* respondeo, sine dubio *posse. Pauper* enim, non, ut multi prave putant *egenum* notat, sed eum, qui mediocri est fortuna, qui ea possidet, quibus facile vitam sustentare & quiete potest vivere. Confer *Passer.* & *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. I. vers. 3. Eo itaque modo haec lectio ferri potest, sed tamen multo prius praeferam *continentiam*, si ita voluerint MSS. ARNTZ.

Dos.] Ut soluto matrimonio *dos* redderetur jam heroïcis temporibus obtinuit, de quibus *Feithius* Ant. Hom. lib. II. cap. XIII. Quod postea ad Romanos transiisse constat ex *Cicer.* lib. VI. ad Fam. Epist. XVIII. & *Capitol.* in Anton. Philos. cap. XIX. Apud JCtos nemo hac de re dubitat. Vide Cel. *Noodt* & ceteros ad tit. ff. *Soluto matrimonio dos quemadmodum repetatur.* ARNTZ.

CAPUT LVII.

ARGUMENTUM.

Scipionem Asiaticum inimicum in carcerem duci non patitur, Galliam, Hispaniam, Sardiniam domat, libertinos in urbanas tribus dividit, & anguem marem domino interitum, si occideretur, portendentem interfici jubet T. Sempronius Gracchus.

Tiberius Sempronius Gracchus, nobilissima familia ortus, Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum, duci in carcerem non passus.

1 *Tiberius.*] Praenomen est, non *Titus* auctoribus libris antiquis & Capitolinis Fastis. Natus error quod *Ti.* compendio scriberetur. SCHOTT.

Duci in carcerem.] Vide supra in Scipione Asiatico.

2 ſus. Praetor Galliam domuit, Conſul Hiſpaniam; altero Conſulatu Sardiniam; tantumque captivorum adduxit, ut longa venditione 3 res in proverbium veniret: *Sardi venales*. Cenſor libertinos, qui ruſticas tribus occuparant, in quatuor urbanas diviſit, ob quod a populo.

atico. ANNA. Poſt ante *paſſus* cum plerisque Codd. & Editt. delevimus verbum ſubſtantivum *eſt*. de quo ſup. ad cap. XLIX. §. 1. & Cl. *Burman.* praefat. ad *Valer. Flacc.* pag. 7.

2 *Praetor Galliam domuit, Conſul Hiſpaniam, altero Conſulatu Sardiniam: tantumque captivorum.*] Ita vulgati omnes quos quidem videre contigit, nec variant MSS. Repugnat hiſtoriae veritas: Ordinem perturbatum ſic reſtituere ex *Livio* tentabam, neſcio an feliciter: *Praetor* a *Hiſpaniam obtinuit*, a DLXXIII. *& altero* b *Conſulatu Sardiniam*, b DXC. *quam* c *primum Conſul domuerat*: c DLXXVI. *tantumque* d *captivorum adduxerat*, d DLXXVII. & cetera. MSS. iidem addebant, *tantumque numerum captivorum adduxerat*, & cetera. Vel pro *Gallia* affini voce *Gallaeciam obtinuit* quis ſubſtituat, quod in *Galliam* depravatum. Lege & *Sebaſt. Corradum* in Brutum *Ciceronis* & *Appianum* in Ibericis, *Oroſium* lib. IV. cap. XX. SCHOTT. Praeſtat auctorem notare *ἀνεκφωνήτως* cum *Sigonio*, quam ei invitis omnibus MSS. facere medicinam. non admittunt eam loci tam deſperati. oleum tantum & opera perditur. GRUT. Conſule *Pighium* tom. II. Ann. p. 354.

Tantumque.] MSS. addebant *numerum*. SCHOTTUS. Sed hoc non opus eſt. *Capitol.* in Maximinis cap. XIII. *Tantum captivorum adduxi, ut vix ſola Romana ſufficiant.* Quid *ſola* hic? an igitur relictis ſedibus captivis habitationes ſuas concederent Cives Romani, an per *ſola* intelligit agrum Romanorum publicum? non crediderim. Malim *fora*, in quibus ſcilicet ſub corona vendebantur. ARNTZ.

Sardi venales.] *Plutarcho* in Problematibus & in libello Proverbiorum exponitur, uti ſi dicamus; copiam eſſe rerum vilium, ac nihil valentium. MACH. Vide *Plutarchum* in Problematibus & in vita Romuli. & *Erasmi* Chiliades Adagiorum. Libet autem ex *Sex. Pompeii* lib. XVII. de Verb. Signific. adſcribere locum antehac mutilum: nunc a *Joſepho Scaligero*, Julii filio ſummo ingenio integrum factum. *Sardi venales, hoc eſt, alius alio nequior. Ex hoc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a vicanis praetextatis, auctio Vejentium fieri ſolet, in qua noviſſimus is, qui omnium deterrimus, producitur a praecone in medium ſenex, cum toga praetexta, halleque aurea: quo cultu Reges ſoliti ſunt eſſe Etruſcorum, qui Sardi appellantur, quia Etruſca gens orta eſt Sardibus ex Lydia. Tyrrhenus enim inde profectus cum magna manu eorum occupavit eam partem Italiae quae nunc vocatur Etruria. At Simmius Capito ait Tib. Gracchum Conſulem, collegam P. Valerii Faltonis Sardiniam Corſicamque ſubegiſſe: nec praedae quidquam aliud, quam mancipia captum, quorum viliſſima multitudo fuerit.* Huc *Cicero* alluſit Epiſtola ad Fabium Gallum lib. VII. Epiſtolar. ad Famil. *Habes Sardos venales alium alio nequiorem.* Quo modo fere *Syros venales* explicat *Caeſar* apud *Ciceronem* II. de Oratore. Verum fallitur *Capito*, qui Faltonem Sempronii noſtri collegam facit: Hi enim anno U. 1DXV. Coſſ. fuere, quorum & *Tacitus* lib. III. Hiſtor. meminit. Lubricus error, hinc forte natus, quod eo anno ab illo Gracco *Sardi* fint debellati, teſte *Zonara*. Sed demus alienis erratis veniam, ut noſtris impetremus. SCHOTTUS. Et Magnus *Gronovius* lib. IV. de Pec. Vet. cap. X.

3 *Cenſor.*] Idem *Cicero* I. de Oratore refert. *Livius* vero XLIII. extremo, quod *in recenſendis Equitibus triſtis admodum & aſpera eorum Cenſura fuiſſet, multisque equum ademiſſent, equeſtrem ordinem offendiſſe, P. Rutilium Tribunum pl. patronum cauſſae ſuae nactos.* SCHOTT.

Ruſticas.] Nam *Urbanae* minoris erant dignitatis quam *ruſticae*. ANNA.

Qui occuparent.] *Occuparent* repore ex veteribus libris, niſi *quod* legere mavis. SCHOTT.

Quatuor.] Tribus Urbanae erant Suburana, Palatina, Collina, Exquilina. MACH.

Urbanas.] In quas transferri ignominia eſſet deſidiae. MACH. Ex *Livio* tamen lib. XLV. c. XV. apparet libertinos, qui jam inde usque a Servio Tullio Rege in quatuor tribus *Urbanas* conjecti fuerant, & poſtea, cum ſeſe in omnes tribus diffunderent, iterum in easdem quatuor a C. Flaminio & L. Aemilio Cenſoribus redacti, nunc a Tib. Sempronio Graccho in unam *Urbanam*, Esquilinam ſcilicet, fuiſſe conjectos. Verum & auctori noſtro favere videtur *Cicero* lib. I. de Oratore. Sect. IX. *Sed ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor, exceptis, Craſſe, vobis duobus eloquentiſſimos audiſſe Ti. & C. Sempronios, quorum pater homo prudens, & gravis haudquaquam eloquens, & ſaepe alius, & maxime Cenſor, ſalu-*

ti

populo collega ejus Claudius [nam ipsum auctoritas tuebatur] reus factus, & cum eum duae classes condemnassent, Tiberius juravit se cum illo in exsilium iturum; ita reus absolutus est. Cum in domo 4
Tiberii duo angues e geniali toro repsissent; responso dato, eum de dominis periturum, cujus sexus anguis fuisset occisus, amore Corneliae conjugis marem jussit interfici.

ti reipub. fuit, atque verbo libertinos in Urbanas tribus transtulit: quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jamdiu nullam haberemus. ANNA. Inspice *Sigonium* lib. II. de Jur. Civ. Rom. cap. XIV. & *Pighium* tom. II. Ann. p. 374.

Populo.] *Popillio* repono. Nam M. Popillius ex *Livio* lib. XLIII. & *Val. Max.* lib. VI. cap. V. etsi in *Stephani Pighii* editione hodie *Rutilius* legatur. De quo *Tacitus* lib. III. Annalium & in Oratorum Dialogo. De re autem sic *M. Tullius* VI. de Rep. apud *Agellium* lib. VI. cap. XVII. *Quod quidem eo fuit majus, quia cum in causa pari collegae essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.* SCHOTT. Sed unanimi consensu omnes *a populo*, & *Rutilius* editur apud *Livium* lib. XLIII. cap. XVI. & *Val. Max.* lib. VI. cap. V. exem. 3. ubi confer Erud. *Torrenium.*

Collega ejus Claudius.] *Appianus* primo belli civilis: nec non Appius Claudius Tyberii socer consona totius populi voce declaratur. MACH.

Cum eum duae classes condemnassent.] Mediolanensis, *cum Claudium condemnassent* ἀπὸ κοινοῦ, SCHOTT. Ita edidimus ex MSS. omnibus & priscis Editionibus, dederat *Schottus: factus est: & cum.* In Editione vero *Pitisci* haud dubie incuria librariorum exsulabat particula *&*. Vid. *Gronov.* ad *Melam.* lib. I. prooem. In sequentibus truncavit Auctorem Leid. pr. cum deleat: *in exsilium. Val. Maximus* lib. III. cap. VIII. exem. 4. In exsilium *quam in legem ejus* ire *maluit.* ARNTZEN.

4 *Geniali e toro.*] Ubi fit generatio. MACH. Ante *cum* part. *&* neglexerat *Schottus*, aliter ac MSS. & Editt.

Repsissent.] Libri veteres *serpsissent* legunt, SCHOTT. *Not. Min.* Ita solus Leid. sec. & Edit. *Mach.* Sed vide, quae ad cap. XXII. §. 2. notavimus supra. *Erepsissent* Haun.

De dominis.] *De duobus* legunt libri veteres. SCHOTT. *Not. Min.* Vel Tiberium Gracchum, vel Corneliam uxorem. ANNA. *De divinis.* Fran.

Marem interfici.] Paullo post jussit: subsequuta morte, relictisque XII. liberis superstitibus. MACH.

CAPUT LVIII.

ARGUMENTUM.

Persen victum persequitur, provocatorem singulari praelio vincit, hostium muros ascendit, cohortes obsidione vallatas servat & corona obsidionali donatur, Aedilitatem petit, Consul fit, Carthaginem delet, Numantiam fame vincit & Numantinus dicitur, ob res gestas superbit, domi repente exanimis invenitur, & obvoluto capite effertur P. Scipio Aemilianus.

Publius Scipio Aemilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione 1
Africano adoptatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen

1 *Aemilianus.*] Dictus, quia ipse Paulli *Aemilii* fuit filius: e quatuor n. liberis duo in adoptionem dati: duo autem retenti a Scipione Africano filio majoris Africani, qui ob imbecillitatem gi-

 guere

sen tam pertinaciter persequutus est, ut media nocte in castra re-
2 dierit. Lucullo in Hispania legatus, apud Intercatiam oppidum
3 provocatorem singulari praelio vicit. Muros hostilis civitatis pri-
4 mus adscendit. Tribunus in Africa sub M' Manilio Inperatore, co-
hortes

gnere non potuit. MACH.

Scipione Africano.] Non patre, sed filio valetudinario: nam *Africanus* major huic avus fuit ex adoptione filii. Hic enim apud *Ciceronem* in Somnio, ait, sibi *Africanum* avum magis ex imagine, quam ex ipso notum fuisse. Vide *L. Ann. Florum* lib. II. cap. XV. SCHOTT. *Flor.* lib. II. cap. XV. *Hunc* (Scipionem) *Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius, in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret.* Et *Liv.* XLIV. cap. XLIV. *Publius Scipio is erat, Africanus & ipse postea, deleta Carthagine appellatus, naturalis Consulis Paulli, adoptione Africani nepos.* ANNA. Quare Leid. sec. hic legit *a Scipionis Africani filio* & Haun. *a Scipione Africani filio.* Leid. autem prior: *a Scipione Africano pro filio adoptatus.*

Persequutus est.] Septimum decimum tunc annum agens. Vide *Livium* loco supra laudato. ANNA. *Secutus* alter Leid.

2 *In Hispania.*] Alii accusandi casu *Hispaniam*, non recte. Vide *Appianum* in Ibericis, *Eutropium* lib. IV. aliosque. SCHOTT. *In Hispaniam* Leid. pr. Haun. & Ed. *Mach.* Vide ad cap. VI. §. 9. & Vir. Doct. ad *Curtium* lib. I. cap. V. §. 10.

Legatus.] An. U. C. 602. Coss. L. Licinio Lucullo, A. Postumio Albino. ANNA.

Apud Intercatiam oppidum.] *Livii* Epitom. XLVIII. *P. Cornelius Africanus Scipio Aemilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit: & in oppugnatione Intercatiae urbis majus multo etiam periculum adiit; nam murum primus omnium transcendit. Intercatia* Vaccaeorum opidum. EAD. Et *Ampelius* Lib. Memor. cap. XXII.

3 *Hostilis civitatis.*] *Hostiles* antiqui libri edunt. SCHOTT. Quomodo Ed. Agripp. & aliquot MSS.

Adscendit.] MSS. alter aperte, *escendit*, quomodo *Cornelius Fronto* Grammaticus in litera E. Latine dici ex *Sallustii* Jugurthina docuit. Unde antiquos admodum aut ex antiquissimis descriptos colligo codices nostros. SCHOTT. Exemplum unum *Schotti: escendit*, forma antiqua. GRUT. Pariter apud *Caesarem* lib. VII. Bell. Gall. cap. XXVII. §. 2. restituit *Gronov.* ad *Livium* lib. II. cap. XXVIII. & *Davis: Iis, qui primum murum escendissent.* & sic passim *escenaere* pro *adscendere* e MSS. praetulere Eruditi. *Gebhardus* lib. III. Crepund. cap. XXIII. & ad *Cicer.* lib. V. Tusc. Disp. cap. IX. *Graevius* ad *Cicer.* lib. III. de Off. cap. XX. *Taubman.* ad *Plauti* Trin. Act. IV. Sc. II. vers. 100. *Gronov.* ad *Senec.* Herc. Furent. vers. 21. *Perizon.* ad *Val. Maximum* lib. I. cap. I. exem. 10. *Snakenb.* ad *Curtium* lib. III. cap. VIII. §. 22. *Cortius* ad *Sallust.* Catil. cap. LV. §. 3. & Jug. cap. XXV. §. 5. *Burm.* ad *Ovidium* lib. XI. Met. vers. 394. & *Bentleius* ad *Terentii* Andr. Act. II. Sc. II. vers. 19. Sed Noster non adeo est antiquitatis studiosus, & aliter volunt scripti cum omnibus Editionibus, quare talia non semper cuivis Auctori sunt inculcanda, praesertim cum *adscendere* hoc modo recte dici nemo negaverit *Virgilius* lib. IX. vers. 507.

Quaerunt pars aditum, & scalis adscendere muros.

Et eod. lib. vers. 37.

Ferte citi ferrum, date tela, adscendite muros.

Sic Codex oblongus apud *Pierium* & Excerpta *Vossiana*, quamvis & eo loco *escendite* maluisse Nobil. *Heinsium* ex eo colligo, quod pluribus de hac voce se acturum eo loco promittat ad *Val. Flaccum* lib. I. vers. 206. quae tamen notae iniqua conditione perierunt. ARNTZ.

4 *Tribunus in Africa.*] Anno quo tertium bellum Punicum initum est, de quo *Flor.* lib. II. cap. XV. tunc *tribunum* fuisse Scipionem declarat *Cicero* in Somnio Scipionis, ubi ipsum sic loquentem inducit. *Cum in Africam venissem M. Manilio Consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum*, &c. ANNA.

M' Manlio.] Ita restitui. Male vulgati *Tito Manilio*. MSS. *Mallio:* excusi antiqui Parisinus & Colonienſis *Manlio*, Mediolanensis vero, *cum Tito Manlio.* Fuit autem L. Marcii Censorini collega, anno DCIV. *M' Manilius.* Sic enim Fasti Capitolini, *Cicero* VI. de Republ. & lib. XII. ad Attic. & *Appianus* nominant. SCHOTT. Quinque scripti & antiq. Edit. *Tito Manlio.* Haun. *Tito Mallio.* Primus *Aldus* eumque secuti *Gryph.* & alii edidere *Tito Manilio.* Sed tales aberrationes & faciles & frequentissimae sunt. *Sigonius* ad *Livii* Epist. XC. *Gronov.* ad *Plinium* lib. XXII. Hist. Nat. cap. VI. Comment. ad *Florum* lib. I. cap.

fortes octo obſidione vallatas conſilio & virtute ſervavit, a quibus corona obſidionali aurea donatus. Cum Aedilitatem peteret, Con- 5
ſul ante annos ultro factus, Carthaginem intra ſex menſes delevit. Numantiam in Hiſpania, correcta prius militum diſciplina, fame vi- 6
cit. hinc Numantinus. Cajo Laelio plurimum uſus. Ad Reges ad- 7
eundos

cap. XI. §. 1. *Oudend.* ad *Obſeq.* de Prod. cap. CII. & nos ſup. ad cap. XVI. §. 1. ARNTZ.

Cohortes.] Acies. nam aliud *cortes* ſignificat, pallorum enim ſunt. MACH. Hoc ſic narrat Epitome *Liv.* XLIX. *Obſideri oppugnarique coepta eſt Carthago, ab L. Martio, Manio Manilio Conſulibus. In qua oppugnatione, quum negligentius ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupiſſent, & ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione Africano expliciti ſunt, per quem & caſtellum Romanorum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus juvantibus liberatum eſt: caſtrorumque, quae Carthaginienſes omnibus copiis ab urbe pariter egreſſi oppugnabant, liberatorum is ipſe praecipuam gloriam tulit.* ANNA.

Obſidionali.] *Gellius* ſcribit ſolitam dari talem coronam gramineam his qui *obſeſſum* locum primi aſcendebant. nam ea in deſertis locis naſcitur. MACH. *Aurea.* Vox haec ope veterum codicum accrevit. de coronis vide ſupra in Decio & *Agell.* quinto. SCHOTT. Illud *aurea* non legitur in antiquitus editis: ſed exſtat tamen in Palatinis, ut etiam in tribus MSS. *Schotti* noſtri. GRUT. Et in omnibus noſtris, Edit. Agripp. & Venetа.

5 *Conſul.*] Ann. U. C. 605. ANNA.

Ante annos.] *Florus* Epitomes *Livii* capite quadrageſimo nono: *Cato vir promptioris ad vituperandum linguae in ſenatu ſic proſequutus eſt: ut diceret, reliquos, qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigore; Et Po. Ro. eo favore illum complexus eſt: ut communiter eum tribus conſulem ſcriberent, quum hoc per aetatem minime liceret.* MACH. Aetatis trigeſimo ſexto anno, *M. Velleio Paterculo* auctore. SCHOTT. *Not. Min.*

6 *Numantiam in Hiſpania.*] Ad flumen Durium ſitam. Vide *Flor.* lib. II. cap. XVIII. ANNA.

Correcta prius diſciplina.] Per Pompejum, quae per Mancinum corrupta erat: omnia enim deliciarum inſtrumenta rejecit; duo millia ſcortorum e caſtris ejecit; militem omni die in opere habuit. MACH. Alii *Correpta.* SCHOTT. Ridicule quidam Librarii *correpta*, quaſi *corrigere* non eſſet vox haec in re propria. *Cicero* lib. X. ad Fam. Epiſt. XV. *Quod exercitus Lepidi eam partem, quae corrupta eſt & ab Rep. alienata & corrigere & coercere praeſentia tua exercitus poſſem. Suetonius* Veſpaſ. cap. IV. §. II. *Correcta ſtatim caſtrorum diſciplina.* & cap. VIII. §. 7. *Ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam praetermitteret. Plinius* Paneg. cap. VI. §. 2. *Corrupta eſt diſciplina Caſtrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres. Quinctilianus* Decl. III. cap. XV. *Delicta militum coercebit? Tribuni corpus & peccatum corriget? Vulcat. Gallic.* in Avidio Caſſio cap. VI. *Ergo correcta diſciplina res optime geſſit. Capitolinus* in Maxim. cap. VIII. *Cum videretur diſciplinam velle regere militarem, cujus exemplo civilia etiam corrigere voluit. Frontinus* lib. IV. Strat. cap. I. ex. I. *Corruptum ſuperiorum ducum ſocordia exercitum correxit.* ubi alia *Kuchenius. Eutropius* lib. IV. cap. XXVII. *Exercitum ingenti ſeveritate & moderatione correctum.* Noſter cap. ſeq. §. I. *Exercitum Popilii acceptum prius corrigere decrevit.* Eadem eſt varietas apud Eruditiſſimum *Cortium* ad *Salluſtium* Jug. cap. XCIV. §. 7. ARNTZ.

Numantinus.] *Ovidius:*

Ille Numantina victor ab urbe redit.

MACH. MSS. uno conſenſu: *Panaetio philoſopho*, non male. Utroque enim familiariter uſum non difficile mihi eſſet ex *Ciceronis* Lucullo & VI. de Rep. & *Plutarchi* non ſolum Vitis, ſed & Ethicis ſcriptis, ac *Suida* ac *Velleje* lib. I. & II. extr. comprobare. Sic ille I. Offic. *Panaetius auditorem Africanum, & familiarem ſuum ſolitum aiebat dicere: ut equos propter crebras &c.* Poſt: *In C. Laelio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione ambitio major. Horat.* lib. II. Sat. I.

Virtus Scipiadae, & mitis ſapientia Laeli.

Auſonius Paullino:

Nos documenta magis felicia, qualia magnus
Scipio, longaevique docit ſapientia Laeli..

Uſus & *Polybio* familiariter hiſtoricorum Graecorum principe. *Suidas & Velleius* lib. I. SCHOTTUS. Palatini non agnoſcunt voculam *diſtus*, neque admodum requiritur. At enim MSS. *Schotti* uno conſenſu: *Hic Numantinus Panaetio Philoſopho plurimum uſus,* Adeo ut videatur reſcribendum: *Hinc Numantinus. Panaetio Philoſopho plurimum uſus.* Alludit huic ſcripturae alter Palatinus, in quo: *Hinc Numantinus, & eo plurimum* &c. Certe *Laelius* huic intruſus eſt ab iis, qui

8 eundos missus, duos secum, praeter eum, servos duxit. Ob res gestas superbus, Gracchum jure caesum videri respondit, obstrepente populo: Taceant, inquit, quibus Italia noverca, non mater
9 est; & addidit: Quos ego sub corona vendidi. Censor, Mummio collega

non meminerant de Panaetio unquam locutum *Plinium*, saepius vero meminisse Laelii. hancque lectionem alioquin propugnat sequens versus; *ad reges adeundos missus, duos secum praeter eum servos duxit.* Consulatur *Vellejus* lib. I. cap. XIII. GRUT. *Numantinus & eo plurimum.* Haun. & Leid. pr. *Num. & C. Laelio eo. Boend.* ceteri *Num. C. Laelio plurimum.* & omnes Editiones, nisi quod *dictus* interponant, excepta Agrippin. Forte utriusque fecerat mentionem, ut scriptum fuerit: *Panaetio & Laelio plurimum.* De *Panaetio* inspiciatur *Menagius* ad *Diogenem Laërtium* lib. VII. Segm. 41. Alia non addo, scribentem enim & nonnulla de hoc loco meditantem interrumpit & valde conturbat tristissimus nuncius de morte carissimi Fratris *Arnoldi Arntzenii*, de cujus mihi ingenio atque industria multa promittebam. Commendationem jam primae aetatis adquisiverat Elegantissima dissertatione de *Lamina aurea Pontificis Maximi.* Et plura ei debuisset Eruditior Orbis, nisi inmatura morte praereptus spem nostram destituisset.

Ille jacet gelido praeceptus funere, quondam
Qui mihi deliciae, qui mihi Frater erat.
Quid raptum flemus Juvenem, qui Numine tutus
Maluit aethereas laetus adire domus.
Ut vivat, moritur, Matrem Fratresque reliquit,
Quo celebret placidum per pia secla Deum.

Non aegre feret hunc excursum ingenuus Lector, qui intelligit, quid debita fraternis Manibus pietas, quid Litterarum amor queat efficere apud eos, quorum studia ab Humanitate sibi vindicant nomen. ARNTZ.

7 *Duos servos.*] Quinque refert *Athenaeus* lib. VI. Δειπνοσοφ. his verbis: Σώφρονες δ' ἦσαν καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι. Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπίκλην, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσι, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας, ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος. Plura de his *Johannes Alexander Brassicanus* Adagione *Sannione relicto.* Caeterum de simili Romanorum veterum continentia, *Cicero* in Maniliana, pro Flacco, & Verrina VI. *Val. Max.* lib. IV. cap. III. & nos alibi ex *M. Porcio Catone & Plinio* majore lib. VII. SCHOTT.

Superbus.] *Superbe* malo. SCHOTT. Duo Codices Fran. & Haun. *Superbum*, ut ad Gracchum referatur; male. neque melius quod *Schottus* mavult *superbe.* Quorsum enim tum referas voces: *ob res gestas.* Sed *superbus* hoc loco est is, qui propter res praeclare gestas se super alios extollit. *Lucanus* lib. II. vers. 508.

Capitivum traxere Ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes.

Conferantur quae supra notavimus largiori manu ad cap. VIII. & XVIII. de Vir. Ill. ARNTZ.

Gracchum.] *Tiberium Gracchum* intelligo, de quo vide *Flor.* lib. III. cap. XIV. ANNA.

Caesum.] Non *occisum* habent scripti libri. Idem *Cicero* II. Offic. *Ti. Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probabantur bonis, & mortui nomen obtinent jure caesorum.* Ubi codices nostri MSS. *numerum obtinent.* SCHOTT. Veterem etiam formulam defendunt MSS. quae originem suam debet jam legibus XII. Tabb. Ita ex his *Macrobius* lib. I. Sat. cap. IV. *Sei im occisit, joure caisus esto.* l. 4. Cod. ad leg. Corn. de Sicar. *Jure caesum videri.* Alia *Savaro* ad *Sidon. Apoll.* lib. III. Ep. XII. p. 210. *Brissonius* de Form. lib. V. p. 483. ARNTZ.

Quibus Italia noverca est.] Ergo peregrini sunt, non Romani, non Itali. ANNA.

Quos.] Codices nostri MSS. legunt. Et *quos ego* ἐμφατικῶς SCHOTT. *Quos ego* uterque Leid. *Boend.* & Haun. (*Gramm.* enim verba *obstrepente* usque ad *vendidi* cum antiquissimis Editionibus omittit.) Particula *ego* magnam saepe orationi addit energian, quam passim neglexerunt Librarii. Vide *Pierium* ad *Virgil.* lib. III. Aen. vers. 252. Eleg. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. IV. vers. 29. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. vers. 340. & lib. X. vers. 440. *Burman.* ad *Ovidium* Epist. III. Her. vers. 47. & *Cort.* ad *Sall.* Catil. cap. LII. §. 24. ARNTZ.

Sub corona vendidi.] *Caesar* III. Bell. Gall. *Omni Senatu necato, reliquos sub corona vendidit.* Utitur & *Livius* lib. XXXI. *Tacitus* XIII. Annali, *Florus* lib. IV. cap. XXII. Vidend. *Agell.* Noct. Att. lib. VII. cap. IV. SCHOTT. Itaque non sunt Romani; sed captivi, sed servi. Vide *Gellium* lib. VII. cap. IV. Servi venales *coronam* gestabant. ANNA. De tali venditione Servorum sub

collega segniore, in Senatu ait, Utinam mihi collegam aut dedisfetis, aut non dedisfetis. Suscepta Agrariorum causfa domi repente exanimis inventus, obvoluto capite elatus, ne livor in ore adpareret. Hujus patrimonium tam exiguum fuit, ut XXXII. libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit.

sub corona vide *Livium* lib. II. cap. XVII. lib. IV. cap. XXXIV. lib. XXXIV. cap. XVI. lib. XXXV. cap. XXXVI. lib. XXXVIII. cap. XXIX. & XLI. cap. XI. *Curtium* lib. IX. cap. VIII. §. 15. *Orosium* lib. IV. cap. VI. & XVIII. lib. V. cap. III. & ex recentioribus longo ordine. ARNTZ.

9 *Censor.*] Exprimam lectionem scriptam, ut liberum suum cuique sit judicium & censura integra. *Consore Nummio collega seniore. Nummio* vero perpetuo scribit per N. forte, ex soni affinitate. SCHOTT. Censor fuit A. U. C. DCXI. Collega L. Mummio Achaico. ANNA. *Numio Boend. Nummio* Agripp. *Munio* Leid. sec. *Mumio* Leid. pr.

10 *Suscepta causfa.*] *Appianus* ait, ipsum maxime legi Agrariae restitisse, ne ferretur, ubi haec subdit: animadvertentes hi, qui Scipioni adversabantur, palam eum criminari coeperunt, quasi Gracchi legem omnino soluturum. Ne cuncta transcribam: Vicit, ac de illo triumphavit. MACHAN.

Agrariorum.] Per agrarios, Fulvium Flaccum, C. Gracchum, & C. Carbonem intellige, qui leges agrarias ferebant, ut agri a privatis occupati plebi dividerentur. Contra hos causfam susfcepit Scipio, qui cum pridie fortis ac validus domum se recepisfet, mortuus in cubiculo inventus est; susfecta fuit, tanquam ei venenum dedisfet Sempronia uxor, hinc maxime quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. ANNA.

Livor in ore.] Corrupte *levior gore.* Nam ideo solebant Romani tales, qui foeda tabe seu morte perierant, operto funere efferre, ne distorta defuncti facies posset videri. *Quinctilianus* Decl. XII. cap. XIII. *Cum maxime inferimus in tumulos ossa insepulta, ducimus opertas exsequias.* Egit hac de re *Boecleus* ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. IV. §. 6. & *Vignoli* de Columna Antonini Pii cap. VIII. p. 128. Ceterum post *elatus*, *est* delevimus cum MSS. & prisfis Editionibus. ARNTZEN.

11 *Argenti, duas & semilibram auri.*] MSS. hic variant: XXXII. *libras, & semis libram auri.* alii: XXXII. *libras & selibram auri*, in quibus hae voces, *argenti duas* superfluunt. *Plinius* tamen *librarum argenti* meminit lib. XXXIII. cap. II. Nat. Hist. SCHOTT. Quae trecentos & viginti circiter nummos nostros argenteos efficiunt. ANNA. XXII. quatuor Codices.

Semilibram.] *Ut triginta duas libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit*, omnes omnino Palatini p. *Schotti* enim Codices non agnoscunt, *argenti duas*. GRUT. Libra auri valet nummos nostros circiter 112. cum dimidio. Duae igitur & *selibra* efficiunt nummos 281. ANNA. *Semilibram* quinque MSS. & olim editi. *Argenti duas* exhibent etiam omnes.

Reliquerit.] Mediolanensis *relinqueret.* SCHOTTUS.

CAPUT LIX.

ARGUMENTUM.

Avibus vetantibus adversus Numantinos proficiscitur, caeditur, in hostium leges foedus consul percutit, foedere per senatum improbato hostibus deditur, sed non recipitur, & postea praeturam consequitur A. Hostilius Mancinus.

Aulus Hostilius Mancinus Praetor adversum Numantinos vetantibus avibus, & nescio qua voce revocante profectus, cum ad Numan-

1 *Aulus Hostilius.*] *Caji* praenomen fecimus, etsi libri quidam *Aulum* appellent, & *Plinius* lib. XXXV. cap. IV. *Lucium.* In Mediolanensi erat *Tullus* praenomen Regis Romani III. sed facessant

Numantiam veniſſet, exercitum Pompeji acceptum prius corrigere decrevit, & ſolitudinem petiit. Eo die Numantini forte ſolenni nuptu filias locabant, & unam ſpecioſam duobus competentibus, pater puellae

ſant ſomnia. SCHOTT. *Hoſtilius* hic in vulgatis libris *Aulus* praenomine dicitur, apud *Plinium Lucius*. Praeterea pro *Conſul* vulgati libri habent, *praetor Pompeji*. *Schotti* lectio conſentit cum *Sigonio* 198: 50. & 199: 5. SYLB. Praenomen quidem huic Mancino fuit *Cajus* quod praeter memoratos auctores confirmant *Cicero* lib. I. de Orat. cap. XL. & LVI. lib. III. de Off. cap. XXX. de Harusp. Reſp. cap. XX. *Plutarchus* in Gracch. p. 826. *Eutropius* lib. IV. cap. XVII. & reliqui, ſed veritati contrariantur omnes Scripti Haun. uterque Leid. *Tullius*. *Bond. Tullus*. Fran. & *Gramm.* cum ceteris Editt. *Aulus*. Potius dixerim ipſius auctoris eſſe errorem, qui duos Mancinos confuderit, cum utique etiam Auli Hoſtilii Mancini fuerint, ut apud *Pighium* tom. II. Ann. p. 369. Et quam facilis his in rebus ſit lapſus pater ex nota *Schotti*, qui confundit *Lucium*, de quo *Plinius* agit, & hunc *Cajum* Mancinos, qui certe diverſi fuerunt, de quo conſule eundem *Pighium* tom. II. Ann. p. 462. ARNTZ.

Praetor.] *Praetor* quod in vulgatis eſt, abſuit in MSS. nos *Conſul* repoſuimus ex *Val. Max.* lib. I. cap. VII. *Floro* abbreviatore, *Oroſio* lib. V. cap. VII. *Obſequente*, caeterisque, qui *Conſulem* diſerte nominant. Fuit autem *Conſul* anno DCXVI. Praetor vero DLXXIII. Quare neſcio quo illud extremo hoc capite pertineat: *praeturam poſtea conſecutus eſt*. SCHOTT. Palatinus uterque ſtat a vulgatis olim, habetque *Praetor adverſum Numantinos*. an dicemus auctorem caſca ſignificatione uſum voce *Praetoris*, & intellexiſſe *Conſulem*? GRUT. Simile quid vidimus ſupra ad cap. LII. §. I. Et ſic *Praetor* non raro ponitur pro *Conſule* ſeu *Proconſule* ſummoque belli duce. Adi Comment. ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. IV. §. I. & Cl. *Dukerum* ad *Florum* lib. II. cap. XX. §. 4. ARNTZ.

Vetantibus avibus.] De hac hiſtoria ita *Lucius Florus* Epit. LV. refert: *Cajo Hoſtilio Mancino Conſule ſacrificante, pulli ex cavea evolaverunt.* MACHAN.

Neſcio qua voce.] *Florus* Epit. LV. *Conſcendenti in navim, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, accidit audiri: mane Mancine. Auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt. Victus enim a Numantinis & caſtris exutus eſt.* idem *Valerius Maximus* aſſerit. IDEM. Vox quam ſe ignorare fingit, daemonis ludibrium eſt: *Mane, Mancine*. SCHOTT.

Pompeji.] *Popilii* lego parva facta immutatione. Vulgati *Pompeji* proclivi errore, vel *Pompilii*. Dictus autem *M. Popilius Laenas*. *Appianus* & *Oroſius* lib. V. cap. IV. SCHOTT. *Pompeji* tamen omnes MSS. & priſcae Editiones qualem varietatem apud *Oroſium* lib. V. cap. IV. notat etiam *Fabricius*. Sed tamen error potuit eſſe auctoris, cum & *Pompejum* paullo ante infame foedus cum Numantinis pepigiſſe ſcribat *Oroſius* loco laudato, & ſtatim poſt *Pompejum*, *Mancinum* collocat *Eutropius* lib IV. cap. XVII. *Q. Pompejus deinde Conſul a Numantinis ſuperatus, pacem ignobilem fecit. Poſt cum C. Hoſtilius Mancinus Cos.* &c. & ſic *Florus* lib. II. cap. XVIII. ubi *Dukerus*, & *Vell.* lib. II. cap. XC. §. 3. Adeoque *Victor* omiſit, ut ceteri, quos adtuli, *Popilium*, qui medius fuit inter *Pompejum* & *Mancinum*. Popilius enim ſucceſſor fuit Pompeji, Mancinus autem Popilii. ſic recte *Appianus* de Bell. Hiſp. p. 510. Edit. *Tollii*. ARNTZ.

Inde ſolitudinem petit.] MSS. *& ſolitudinem petiit*. SCHOTT. Quo modo ſcripti & Editiones apud me, qui etiam *petiit* habent.

2 *Nuptu.*] Vox *Puellae* abeſt in MSS. & *Nuptum* nonnemo legit. Et haec aliter diſtinguunt MSS. *Eo die Numantinis forte ſollemni; nuptum filias locabant*. SCHOTTUS. Palatini, *Nuptui*. *Schotti* MSS. lectio melior videtur hactenus recepta. GRUT. Sed recepta lectio magis placet. Et omnia plana. Eo die, inquit, forte ſollenni Numantini nuptu filias locabant. *Nuptu* autem pro *nuptui*. ANNA. *Nuptui* quatuor Codices. *Solenniis nuptiis* Haun. ſed *nuptu* hic erit ablativus, a quo pendet *ſolenni*, quae vox neque jungenda erat τῷ *forte* neque *nuptu* pro *nuptui* exponendum. Confer Cl. *Gronov.* ad *Gellium* lib. II. Noct. Att. cap. XXIV. & de phraſi *dare* ſeu *locare nuptui* Comment. ad *Valer. Max.* lib. IV cap. IV. exem. 9. ARNTZ.

Speciosam.] In Fran. *ſponſam* eſt. *Ovidius* lib. III. Art. verſ. 421.

Se quoque det populo mulier ſpecioſa *videndam.*

Horatius lib. I. Epiſt. XVI. verſ. 45.

Introrſus turpem, ſpecioſum *pelle decora.*

Appetentibus mox Leid. ſec. & Haun. Porro haec ita facta ſunt ex more Veterum, apud quos antea debebant glorioſum aliquod facinus perpetrare, quam virginem domum poſſent ducere;

exem-

puellae conditionem tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dextram retulisset. Profecti juvenes, abscessum Romanorum in modum fugae 3
properantium cognoscunt; rem ad suos referunt. Illi statim quatu- 4
or millibus suorum viginti millia Romanorum ceciderunt. Mancinus, auctore Tiberio Graccho Quaestore suo, in leges hostium foedus percussit; quo per Senatum inprobato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus, Praeturam postea consequutus est.

CA-

exempla sunt in Sacris Litteris, de quibus *Dougtaeus* in Anal. Sacr. part. 1. etc. LXXX. & *Sulpitius Severus* lib. 1. Hist. Sacr. cap. XXXIV. §. 3. Ex aliis *Ovidius* Epist. XVI. Her. vers. 261.

Di facerent, magni pretium certaminis esses,
Teque suo Victor posset habere sinu.

Et *Apollod.* lib. 1. Bibl. cap. IX. §. 15. ARNTZEN.

3 *Abscessum Romanorum.*] Quia Mancinus solitudinem petebat, supra. ANNA.

Rem ad suos referunt.] MSS. habent, *& ad suos deferunt.* SCHOTT.

4 *Quatuor millibus.*] Palatini, ut & aliae editiones, *quatuor millibus suorum.* Neque video cur abjici debeat. GRUT. Neque ego, nisi si offendat repetitio vocis, quae mox praecesserat. Sed nemini tale quid in Auctore nostro mirum videri debet. Quare cum *Grutero*, MSS. & nonnullis Editt. reduximus fugientem vocem.

Viginti millia.] *Triginta millia* Epitoma *Livii* LV. numerat. In compendiis, quae singulis literis notantur, litera decussatim scripta, vel illic omissa, vel hic addita. SCHOTT. *Not. Min.*

Ceciderunt.] Non minus bene Haun. & Leid. sec. *occiderunt*, cujus locutionis exempla plusqula adtulimus jam sup. ad cap. XXIII. §. 7. *Livius* lib. XXIII. cap. XXXVII. *Supra duo millia hominum occidit.* & lib. XXVII. cap. XXX. *Mille admodum hostium utraque pugna occidit. Caesar* lib. 1. Bell. Gall. cap. ult. *Magnum ex his numerum occiderunt.* Sed cum reliqui codices nihil varient, neque Editt., receptam lectionem servare tutissimum credidi. ARNTZ.

Tiberio Graccho.] Vide infra in Tib. Graccho. ANNA.

Quaestore suo.] MSS. amplius. SCHOTTUS. *Not. Min.*

Quo per Senatum inprobato.] Pacem cum Numantinis fecit ignominiosam, quam ratam esse Senatus vetuit. MACH.

Deditus nec receptus.] MSS. aliter. *redditus nec repetitus a genero in castra ductus.* Sed recte legitur: tantum illud de auspicato in urbem deductio alibi collocandum videtur ex *Orosio* lib. V. c. IV. & V. *Plautus* Epidico:

Virtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo.

SCHOTT. De hoc more supra in Spurio Postumio. Mancinus hostibus *deditus*, neque ab iis *receptus*, suis etiam defertus, castra repetere non audebat; sed tandem favente *augurio in ea deductus* est. ANNA. *A genero* etiam Leid. pr. *Augurio a genero*, Fran. forte ex illo more Librariorum, quod variantes lectiones bis ponant. *deditus, a genero receptus, augurio* Haun. Inspice praeterea *Pighium* tom. II. Ann. p. 504. Neque mutanda est formula illa, *deditus nec receptus*; quae voces sunt hac in re propriae. *Cicero* lib. 1. de Orat. cap. XL. *Pater Patratus ex S. C. Numantinis* dedidisset, *eumque illi non* recepisset. & lib. II. de Orat. cap. XXXII. *Quotiescunque is, quem Pater Patratus* dediderit, receptus *non erit.* Idem in Topicis cap. VIII. *Mancini caussa defendi potest postliminio rediisse*: deditum *non esse, quoniam non sit* receptus. *Livii* Epit. LVI. *Quum hujus rei Auctor fuisset*, deditus *Numantinis, non est* receptus. *Vellejus Paterculus* lib. II. cap. 1. §. 5. *Per Feciales nudus, ac post tergum religatis manibus* dederetur *hostibus, quem illi* recipere *se negaverunt.* l. 17. ff. de Legationibus. *Quintus Mucius* dedi *hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere, quem hostes si non* recepissent. ARNTZEN.

Praeturam postea consequutus est.] Anne Consularis *Praetor* fit? Nimirum probri caussa ordine motus, ut eum recuperaret, praeturam alteram gerebat, ut ab integro honorum gradus faceret sublato probro, uti apud *Sallustium* Catilinario Cornelius Leatulus Sura, & *Cic.* III. Catilinaria de secunda praetura. Simile in *Livio* exemplum extremo lib. X. de Papirio Cursore. Vide notas nostras ad *Metellum Pium* & L. IV. D. de Captivis & Postliminio reversis, & 1. fin. D. de Legationibus, & *Cic.* in Topicis. SCHOTTUS.

His exemplis patet Consulares viros probri causſa ordine motos praeturam alteram gessiſſe, ut iterum omnes honorum gradus implendo, ad alterum quasi novum Consulatum pervenirent. Et sic non iidem omnino, sed alii fere & novi homines viderentur; sed infra in Metello Pio non ita te facile expedias, de quo *Victor*. *Adoleſcens*, inquit, *petitione praeturae & pontificatus conſularibus praelatus eſt*. Vides consulares in petitione *Praeturae*. Quid igitur? an hic voeem *praeturae* suspectam habeamus? at eam & MSS. omnes & editiones constanter agnoscunt. Videant eruditi; neque enim satis mihi perspecta est tota haec magistratuum ratio, ut de ea quidquam pronuntiare audeam. ANNA. Vide omnino quae adtulit *Valesius* ad *Ammianum Marcellinum* lib. XIV. cap. XI. prope finem & *Cortius* ad *Salluſtii* Catilinam cap. XVII.

CAPUT LX.

ARGUMENTUM.

Adverſus Corinthios miſſus, ſed victoriam alieno labore quaeſitam intercipit, Corinthum ſignis tabulisque ſpoliat, & illis totam Italiam replet conſul L. Mummius Achaicus.

1 Lucius Mummius, devicta Achaja, Achaicus, adverſus Corin-
2 thios miſſus, victoriam alieno labore quaesitam intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudiſſet, & duce Critolao privaſſet; cum lictoribus & paucis equitibus in Metelli castra properavit, & Corinthios ad Leucopetram vicit duce Diaeo, qui

1 *Mummius*.] Momii ante in MSS. fere omnibus *Nummius* per *N*. scribi, forte ex soni in liquidis cognatione. Vide *Suidam*. ex MSS. *Consul* accrevit. SCHOTT.

Devicta.] Melius est in iisdem quam *deleta*. Neque enim *delevit*. IDEM. Vulg. *deleta Achaja*. Synecdochice pro deletis Achajae copiis, seu profligato Achajae bello. Sed rectius fortasse *domita Achaja*, ut paullo post. SYLB. *Dictus ab Achaia* Leid. sec. Post *Achaicus* invitis MSS. & Editionibus absque ulla necessitate *Consul* interpoſuerat *Schottus*.

Achaja.] Est Graeciae pars ab *Achaeis* dicta. De *Achaico* bello ita *Florus*: *Diaeus Achaici motus primus auctor ab Achaeis dux creatus ad Iſthmon Mummio conſule, victus eſt: qui Achaja in deditionem accepta, Corinthum ex ſcelere conſulto diruit. Mummius ipſe abſtinentiſſimum virum egit: nec quidquam ex his opibus ornamentisque, quae praedives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit*. MACH.

2 *Heracleam*.] Ab *Hercule* nomen sortita est: de qua vide *Diodorum Siculum*. MACH. Urbs Elidis supra Olympiam in Peloponneso. ANNA. *Praetor apud Her*. Haun. Confer. Comm. ad *Florum* lib. II. cap. XVI. §. 3.

In Metelli Caſtra.] *Florus*: *Sed, fata rerum! quum Metellus dimicaſſet, ad victoriam Mummius venit*. ANNA.

Lucopetra.] Alba petra exponitur: ut λευκόπαιον album pannum dicimus. MACH. *Sub Iſthmi faucibus* Corinthiacum inter & Saronicum sinum. ANNA. Erroris hoc loco Scriptorem nostrum arguit Erud. *Pighius* tom. II. Ann. p. 457. cum *Leucopetra* Promontorium sit Brutiorum in Italia, & haec pugna facta sit sub ipsis Isthmi faucibus; confundit haec *Anna*. Porro reposui cum duobus Codicibus *Boend*. & Leid. pr. *ad Leucopetram*, cum ceteri *apud. Virgil*. lib. I. Aen. vers. 24.

Prima quod ad Trojam pro charis geſſerat Argis.

Cornelius Nepos in Hann. cap. IV. *Tertio idem Scipio cum Collega Ti. Longo ad Trebiam adverſus eum venit*. Sic ibi est in Vet. Edit. *Ampelius* Libr. Mem. cap. XXVIII. *Scipionem ad Ticinum ſuperavit*. *Lucanus* lib. VII. Phars. 254.

- - - Mihi quam Rubiconis ad undas
Promiſſam memini.

Plura reperies apud Nob. *Heinſium* ad *Ovidium* lib. IV. Fast. vers. 310. Clariſſimum *Graevium* ad *Juſtinum* lib. XVII. cap. II. §. 1. *Burmannum* ad

qui domum refugit, eamque incendit, conjugem interfecit, & in ignem praecipitavit; ipse veneno periit. Mummius Corinthum 3
signis tabulisque spoliavit, quibus cum totam replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.

ad *Quinctilianum* lib. II. Inst. cap. XVI. p. 188. *Drakenborchium* ad *Silium* lib. XIII. vers. 606. Commentatores ad *Valerium Maximum* lib. III. cap. VII. ex ext. 5. & *Cortium* ad *Sallustium* Jug. cap. XX. §. 1. Nec aliter infra in uno Codice Epitome cap. XL. §. 8. *Maximinus ad Tarsum morte simplici periit.* Recte tamen *apud* hoc sensu & multo frequentius adhibetur, quae causa est, cur facilius corruptelae praebeat suspicionem. ARNTZ.

Diaeo.] Sic scribendum. *Pausanias* enim in Achaicis, Διαῖος ὁ Κριτολάου διάδοχος: tametsi libri antiqui varient, in quibus est *Dineo*, pro *Diaeo*, *a* in *n* migrante. Unde Parisinus fecerat *Clineo*, quod *c* & *l* in *d* saepe commutetur: & contra. Vulgati ineptissime *Dioneo*. SCHOTT. Hunc sibi post Critolaum Achaei praetorem elegerant. ANNA. *Dinaeo*, *Clinaeo*, *Drumeo*, *Dioneo*, *Cancio*, est in MSS. & Editionibus; sed vide *Sigon.* ad *Livium* Epit. LII. *Fabric.* ad *Orosium* lib. V. cap. III. & *Pighium* tom. II. Ann. p. 457.

Eamque incendit.] Unde conflatis & currentibus per vias liquefactis metallis nobilis illa mistura auro carior effecta: e qua candelabra, & alia vasaria fiebant, *Plinio* testante. MACH.

Ipse veneno interiit.] Sic emendo, partim ab ingenio, partim ex librorum vestigiis odoratus veram scripturam: nam illud *excepto* afuit. Corrector quidam, vel corruptor potius ex *veneno* fecit *nemo*, &, quod necessarium videbatur, adjecit *excepto*: ut breviter dicam, excepto cerebro, caetera sanus. *Joannes Grejonius* Professor Parisinus conjecerat, *accepto ipse veneno interiit.* Nec displicet. SCHOTT. Olim legebatur *excepto ipso nemo interiit*, sed *Schotti* emendationem confirmant omnes nostri, nisi quod quinque *periit* habeant pro *interiit*. ARNTZ.

CAPUT LXI.

ARGUMENTUM.

Pseudophilippum praetor vincit, Achaeos praelio fundit, Arbachos Consul domat, cohortes loco pulsas locum recipere jubet, filios tres consulares, unum triumphantem videt, & illorum humeris ad sepulturam effertur Q. Caecilius Metellus Macedonicus.

Quinctus Caecilius Metellus a. domita Macedonia, Macedonicus, 1
Praetor Pseudophilippum, qui idem Andriscus dictus est, vicit. Achaeos bis praelio fudit, triumphandos Mummio tradidit. 2
Invisus

1 *Praetor.*] An. U. C. 605. Male hunc Consulem *Florus* lib. II. cap. XIV. & hinc firmabis quae apud illum diximus. ANNA.

Pseudophilippum.] Id est, *falsum Philippum*, qui se jactabat Macedoniae Regem, nam ψευδὴς, ψευδὴ, ψευδὲς, idem est quod falsus, falsa, falsum. MACH.

Andriscus.] MSS. *Andariscus*, vel *Andricus*. Nihil muto. SCHOTT.

Achaeos.] Ab *Achaeo*, qui invitus caedem patrans in oram Lacedaemoniam profugus se recepit: & ejus loci accolas *Achaeos* vocari constituit. *Strabo* libro VIII. auctor est. MACH.

Bis.] Imo semel ad Heracleam. *Florus. Et uno praelio peractum erat bellum.* ANNA.

Triumphandos.] Patiendi significatione, ut *Prudentius* Christianus *Pindarus* in Ἀμαρτιγενείᾳ.

- - *Quanto ferrata satellite ductor*

3 Inviſus plebi ob nimiam ſeveritatem, & ideo poſt duas repulſas Con-
4 ſul aegre factus, Arbacos in Hiſpania domuit. Apud Contrebiam
5 oppidum cohortes loco pulſas, redire & locum recipere juſſit. Cum
omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam quid actu-
rus eſſet roganti: Tunicam, inquit, meam exurerem, ſi eam con-
6 ſilium meum ſcire exiſtimarem. Hic quatuor filiorum pater, ſupremo

Bella gerit: quanta victos ditione triumphat? SCHOTT. Et idem ad *Senecae* Suaſor. VII. p. Edit. *Gron.* 560.

3 *Tertio poſt duas repulſas.*] Superat *tertio* ex MSS. niſi forte alius a ſecundo numerus eſt in ſciolorum Arithmetica: credo ſupra adſcriptam vocem, *poſt*, ut fit, ſeriem orationis invaſiſſe, & vi locum tenuiſſe. SCHOTT. Eadem vox abeſt in noſtris omnibus.

Conſul.] An. U. C. 610. ANNA.

Arbactos.] In MSS. in vulgatis *Arbachos*. Reſtitue *Arevacos*: quod opidum hodie una litera mutata *Arevalo* nomen retinuit, meminitque *Plinius* lib. IV. cap. XX. SCHOTT. In Celtiberia, iidem qui *Arcuaci*. ANNA. Tamen receptam tuentur vel Scripti vel Editi, niſi quod nonnulli ex illis *Arbacos* ſine adſpiratione, quomodo *Arbace* Civitas eſt Celtiberiae apud *Stephanum* de Urb. hac voce.

4 *Contrebiam.*] Pro *Cantabriae*, *Contrebiam Colinaeus*, quam lectionem retineo. Sic enim *L. Annaeus Florus*, *Vellejus Paterculus* & *Frontinus* opidum appellant, *Valerius Maximus* plerumque *Trebiam*. Male itaque operae *Contebriam* per oſcitantiam evulgarant, ut in Theſauro Geographico diligens *Ortelius* noſter in dictione *Centobria* notarat, qua etiam *Val.* utitur lib. V. cap. I. SCHOTT. Celtiberorum urbem, alii vocant *Centobriam*. ANNA. *Corebiam Boeud. Cotebriam* Fran. *Chorebriam* Leid. pr. *Contream* Leid. ſec. *Cetebriam Gramm. Corembiam* Haun. *Cethebriam* Ed. Agripp. Reliquae *Cantabriae*. Ego Eruditiorum ſecutus ſum judicium, ut *Sigonii* ad *Livium* lib. XL. cap. XXXIII. & *Voſſii* ad *Vellejum* lib. II. cap. V. §. 2. ARNTZ.

5 *Proprio.*] *Propero* MSS. *Valerius* lib. II. c. II. Nihil demuto. SCHOTT. Sic etiam Palatini, non *propere*, quod in aliis; ſed male, vult enim ſimilem fuiſſe Tiberio Imperatori, quem ait *Suetonius* cap. XVIII. *ſui arbitrii, & contentum ſe uno*, ante cladem Varianam, quem morem examinavimus in *Livianis* Diſſertationibus: ubi voluimus, Imperatorium eſſe, quid fieri debeat, tractare quidem cum multis; quid vero facturus ſit, cum pauciſſimis, ac fideliſſimis, vel potius cum nullo, niſi ipſo ſe. GRUT. *Proprio* omnes noſtri Scripti & Editi, de cujus lectionis veritate nemo debet dubitare.

Exurerem.] MSC. *exuerem*. Nihil demuto. SCHOTT. *Not. Min.* Et ſic aſſquot etiam exemplaria, ſed error eſt Librarii. *Frontinus*, qui tamen hoc Metello Pio tribuit, lib. I. cap. I. ex. 12. *Tunicam meam, ſi id eloqui poſſet, inquit, combureret.* Ubi eodem modo ac *Schottus* hunc locum emendat *Keuchenius*, admirantur interim talia a *Schotto* intacta eſſe. ARNTZ.

6 *Quatuor filiorum pater.*] *Plinius* lib. VII. c. XLIV. *Nam praeter honores ampliſſimos cognomen Macedoniae. A quatuor filiis illatus eſt rogo, uno praetore, tribus conſularibus, duobus triumphalibus, uno cenſore.* MACH.

Latus eſt.] *Elatus* repono. *Efferri* enim funera dicuntur, quod vel pueris notum. SCHOTTUS. Verum eſt, ſolere hac in re compoſitum *efferri* plerumque adhiberi, ut apud *Livium* lib. XXVIII. cap. XXVIII. *Melam.* lib. II. cap. II. *Juven.* Sat. I. verſ. 72.

Per famam & populum nigros efferre maritos.

Quinctil. Decl. IV. cap. XXII. Decl. VI. cap. I. & XI. *Capitol.* in Anton. Phil. cap. XIII. *Spartian.* Severo cap. XIV. Noſt. ſup. cap. LVIII. & alios, ſed tamen non debemus omnium aliorum Scriptorum loca ad hanc formulam detorquere, praeſertim ſi aliud jubeant omnes MSS. & Editiones, nec ipſe Linguae Genius ſimplicem vocem reſpuat. Hac eadem namque in hiſtoria *Valerius Maximus* lib. VII. cap. I. exem. I. *Filii & generi humeris ſuis per urbem* latum *rogo impoſuerunt. Ovidius* lib. III. Art. verſ. 20.

Proque ſui eſt uxor funere lata *viri.*

Cicero Orat. II. Phil. in Anton. cap. XII. *Iſte operta lectica* latus *eſt per oppidum ut mortuus.* Iterum *Ovidius* lib. II. Amor. El. XIV. verſ. 39.

Ipſa perit, ferturque toro reſoluta capillos.

lib. I. Art. verſ. 587.

Interea ſive illa toro reſupina feretur.

lib. XIII. Met. verſ. 695.

- - - *Pulcrisque per Urbem*
Funeribus ferri, *celebrique in parte* ornari.

Et

mo tempore humeris eorum ad sepulcrum latus est, ex quibus tres Consulares, unum etiam triumphantem vidit.

Et lib. 1. Trist. El. III. vers. 89.

Egredior, sive illud erat sine funere ferri.

Deinde *ad sepulturam* haud dubio properantis calami vitio hic citat Amplissimus *Cuperus* lib. 1. Obs. cap. VII. sed recte exponit, de qua etiam significatione vocis *sepulcri* pro *rogo* & nos pauca adtulimus sup. cap. XXIV. §. II. *Summo tempore* pro *supremo* est in *Boend.* ARNTZ.

Tres Consulares.] Ita reposui ex MSS. tribus, Parisino, & Mediolanensi. Vulgati *Consules* faciunt, male, quod vel unus *Paterculi* locus volumine priore, qui hunc valde illustrat, docebit: *Quatuor filios sustulit: omnes adultae aetatis vidit: omnes reliquit superstites & honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii: unus Consularis & Censorius: alter Consularis, tertius Consul, quartus candidatus Consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare, quam mori.* D. quoque *Augustinus* II. de Civit. Dei cap. XXIII. tametsi quinque filios attribuat, *Consulares* omneis fuisse ait, non *Consules:* bini enim quotannis, nec plures simul *Consulatum* inibant. *Plutarchus* de Fortuna Romanorum senem ait Caecilium Metellum Macedonicum elatum a quatuor filiis *Consularibus*, qui fuerunt.

I. Q. Caecilius Metellus Balearicus, Consularis, triumphalis & Censorius.

II. L. Caecilius Metellus Delmaticus Consularis & triumphalis.

III. M. Caecilius Metellus Consularis.

IV. C. Caecilius Metellus Caprarius, Praetorius.

Nisi quod quidam M. Caecilio Consule mortuum putent, alii sequenti anno. Sunt qui plures liberos numerant. *Valerius* lib. VII. septem illi tribuit: viros quatuor, feminas treis. *Plinius* lib. VII. Natur. Hist. cap. XLIII. sex liberos reliquisse tradit, undecim vero nepotes, nurus, &c. & cap. XLIV. *Quatuor filiis elatus rogo, uno praetore, tribus Consularibus, duobus triumphalibus: uno Censorio.* Quo loco, *uno praetorio* legendum ex *Val. Max.* Magna est igitur inter Metelli liberos dissensio. Quod autem L. Caecilium Metellum Delmaticum supra agnominavi, doceor ab hujus aevi eruditis Diadematum potius cognominandum videri, *Turnebo* in jocos Ciceronis, *Lambino* ad *Aemilium Probum*, *Stephano Pighio* in *Val. Max.* lib. VII. cap. I. *Fulvio Ursino* in orationem *Ciceronis* ad Quirites post reditum. Idque auctoritate *Plutarchi* in Coriolano, ubi hoc ipsum *Xylander* observavit, itaque *Plinium* emendat. lib. VII. idem *Turnebus.* SCHOTT. Idem *Cicero* lib. V. de Fin. Bon. & Mal. cap. XXVII. *Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios Consules vidit, e quibus unum etiam & Censorem & triumphantem, quartum autem Praetorem, eosque salvos reliquit, & tres filias nuptas; cum ipse consul, Censor etiam, augurque fuisset, & triumphasset,* &c. Ii quatuor filii sunt.

I. Q. Caecilius Metellus Balearicus Cos. an U. C. 630. Triumphavit an. 631. Censor an. 633.

II. L. Metellus Dalmaticus Cos. an. U. C. 636. quo anno etiam, si *Eutropio* fides, triumphavit.

III. M. Caecilius Metellus Cos. an. 638.

IV. C. Caecilius Metellus. Hunc sub Consulatu Metelli Dalmatici Praetorem fuisse conjicio. Cos. fuit an. 640. Sed anno superiori mortuus Metellus Macedonicus. Quare tres tantum filios *Consulares*, quartum tantum Praetorem vidit. ANNA.

CAPUT LXII.

ARGUMENTUM.

De Jugurtha Consul triumphat, Quinctium in censum non recipit, in exsilium agitur & revocatur, sororis virum laudare non vult Q. Caecilius Metellus Numidicus.

Quinctus Caecilius Metellus, Numidicus, qui Consul de Jugurtha Rege Numidiae triumphavit. Censor Quinctium, qui se Tiberii

1 *Quinctus Caecilius.*] Nomen in MSS. aspecti *Q. Fabius Caecilius Metellus.* SCHOTT.

Numidicus.] Quia Jugurtham duobus praeliis fudit: vide *Sallustium* in Jugurthino. MACH.

2 Tiberii Gracchi filium mentiedatur, in censum non recepit. Idem in legem Appulejam per vim latam jurare noluit, quare in exsilium 3 actus, Smyrnae exsulavit. Calidia deinde rogatione revocatus, cum ludis forte litteras in theatro accepisset, non prius eas legere 4 dignatus est quam spectaculum finiretur. Metellae sororis suae virum,

Qui Consul.] Haec lectio a libris antiquis est. SCHOTT. An. U.C. 644. Vid. *Flor.* lib. III. cap. 1. ANNA. In quinque MSS. & ceteris priscis editionibus est, *qui de Jugurtha rege triumphavit.* Solus tamen Franequeranus ita, ut cum *Schotto* edi jussimus, nisi quod ille *qui* tueatur. ARNTZ.

Censor.] De *Censura* ejus *Cicero* pro Sextio. *Q. Metellus Censor florentem hominem in populari ratione L. Saturninum Censor notavit, & institutum Gracchum, contra vim multitudinis incitatae, censu prohibuit.* Sic *Valerius* libro nono. Vulgati quidam *in censu* hic legunt, auferendi casu. SCHOTT. Cum C. Caecilio Metello patruele suo an. U. 651. ANNA.

Quinctium.] Hunc a *Valerio Maximo L. Equitium* Firmo Piceno oriundum lib. IX. cap. VII. de Seditionibus, & XV. rursus lib. III. c. VIII. de Constantia: a *Cicerone* in oratione pro Sextio *supr.* §. 4. *institutum Gracchum*: ab *Annaeo Floro* C. praenominari video lib. III. cap. XVI. ut sit. *C. Quinctius Gracchus.* SCHOTT. *Flor.* lib. III. cap. XVI. *Hominem sine tribu, sine nomine*, qui *subdito titulo in Gracchorum familiam ipse se adoptabat.* Vide infra in Apul. Saturnino. ANNA. Eruditissimus *Pighius* tom. III. Ann. p. 161. legebat: *Equitium. Quintum* quinque MSS. Haun. vero & Editi nihil variant.

2 *Legem Appulejam.*] Quam ferebat Appulejus Saturninus, qui Gracchorum leges asserebat. Vide *Flor.* lib. III. cap. XVI. ANNA. Pro *per vim* reponit Leid. pr. *proinde*, frustra. *Cicero* Orat. pro Sextio cap. XVI. *Cum unus in legem per vim latam jurare noluerat. Livii* Epit. LXIII. *Cum legem agrariam per vim tulisset.* ARNTZ.

In exsilium actus.] *Appianus*: Metellus, quum censuram gereret, Glauciam virum Senatorium, & Appulejum Saturninum, qui Tribunatum ceperat, ob vitae turpitudinem dignitate summovere conatus est, adversante collega repulsus: jurare autem non solum jusjurandum renuit; sed, ut prius juraverat, constanti animo, & intrepido perstitit. Inibi scribit: Consules per praeconem adnuntiare jubentes, Metello igni & aqua tectoque ab omnibus interdicendum esse; conquerentibus autem maxime de his civibus, & Metellum continue armis circumseptum praemittentibus, Metellus eos complexu, & electionem plurimum commendans dixit; haud aequum sibi videri ejus caussa aliquod discrimen inferri patriae: his dictis, civitate egressus est. *Florus* quoque: Saturninus Metello Numidico, quod in legem Agrariam minime juraſſet, diem dixit: qui a bonis civibus defensus, in voluntarium exsilium abiit. MACH.

Smyrnam.] Asiae urbem, *Homeri* patriam. Id versus probat:

Smyrna, Rhodos, Colophon; Salamis, Cos,
Argos, Athenae,
Certant de Homero.

IDEM. Haec inter caetera auctoris hujus ἀμφιτέρατα numeranda. Rhodum enim in voluntarium exsilium secessit. Epitoma *Livii* LXIX. & *Plutarchus.* Deceptus fortasse nominis affinitate, quod P. Rutilius, non Q. Caecilius *Smyrnae* exsulavit. *Cicero* pro Cor. Balbo & in Bruto. SCHOTT. *Pighius* ad *Val. Maximum* lib. IV. cap. 1. exem. 13.

3 *Claudia.*] *Calidia* legendum: siquidem *Q. Calidius* Tribunus plebis legem hanc, qua in civitatem Numidicus restitueretur, tulit. *Val.* lib. V. cap. VII. de Gratitudine, *Cicero* pro Planico. & Claudii patricii, quamquam non omnes. Observatum hoc postea comperi a *Sebastiano Corrado* in Brutum *Ciceronis*, ut sua illi laus reddatur, & a *Martiali Rogerio* in Laelium *Ciceronis.* SCHOTTUS. Tulit hanc Q. Calidius tribunus plebis an U. 654. ANNA. Pro *Claudia* pugnant MSS. & Editiones omnes, contra quos tamen stat rei veritas & tot Eruditorum consensus. Adde *Pighium* tom. III. Ann. p. 180.

Rogatione.] Lege; namque erat promulganda, & *rogabatur* populus, an in civitatem eum accipere vellet: inde nomen *rogationi* inditum. MACHAN. *Legatione* Haun. *rogatum* Leid. pr.

Non prius eas legere dignatus est, quam spectaculum finiretur.] Ita & de Rustico scribit *Plutarchus* fine libri περὶ πολυπραγμοσύνης, cum adesset ipsi *Plutarcho* declamanti, & miles Rustico epistolam a Caesare missam traderet, & intermittere vellet *Plutarchus* orationem, eique concedere spatium legendi literas; renuit ille, neque ante epistolam solvit, quam *Plutarchus* peroraſſet. GRUTERUS.

4 *Metellae sororis suae virum.*] *Sic* legendum videri

rum laudare noluit, quod is solus judicium contra leges detractarat.

videri admonuerat me *Johannes Olivarius* vir doctissimus, quod Metellarum sororum Numidici filios Lucullos, Servilios, & Scipiones fuisse constet. *Cicero* Orationibus post reditum, pro Domo, pro Sextio, & *Plutarchus* Lucullo. Nec enim verisimile est sororis maritum Metellum appellatum, nisi incestas nuptias fuisse putemus. Sed sororum Metelli mentio in eadem oratione *Ciceronis* pro Sextio. Ex *Ciceronis* Actione VI. in Verrem, lege *L. Lucullum sororis suae*. Fuit, quum scribendum putarem *Metellum sororis suae filium*. at *ex sorore nepotem* dixisset. Is autem esset P. Cornelius Scipio, qui in Fastis dicitur Q. Caecilius Metellus Pius Scipio; erat enim a Pio, Numidici filio, adoptatus. Itaque hanc lectionem tuerer, nisi tempora refragarentur. Vertio tamen in eam sententiam, ut rescribendum ita existimem: *Metellus L. Lucullum sororis suae (Caecilliae) virum. L.* enim *Lucullum*, patrem illius Luculli, qui cum Mithridate bellum gessit, sororis Metelli Numidici virum fuisse & furti condemnatum auctor *Plutarchus* in Lucullo, ut vidit idem *Corradus* in Brutum. Vulgatam tamen in auctore nostro lectionem retinere *Pighius* videtur *Valerii* sui auctoritate lib. I. cap. VI. ubi *Caeciliam Metelli uxorem* accipit, ut in via Appia vetus spectatur inscriptio alterius Caeciliae hoc modo:

CAECILIAE.
Q. CRETICAE. F.
METELLAE. CRASSI.

SCHOTT. *Metellum* tamen omnes vel Scripti vel Editi, nisi quod solus Leid. pr. *Metellum sororis suae filium*. Leid. vero sec. videtur praeferre illam, quae nunc vulgo circumfertur lectio, *Metellae sor. suae Virum*, cum nulla varietatis fiat mentio. Vulgatum veritati repugnat, nec verosimile est hunc errorem ipsum auctorem potuisse admittere in eo capite ubi de ipso *Metello* agat. *Cicer.* Act. IV. in Verr. cap. XXVI. & *Metellae Virum* laudat, locutionemque eam exemplis confirmat *Savar.* ad *Sidon. Apoll.* Carm. XX. ARNTZEN.

Laudare noluit.] Intellige de laudatione funebri. ANNA.

Solus.] Ita in MSS. in vulgatis vero *olim*. SCHOTT. *Solum* Fran. *Boend. Gramm.* & Leid. sec. *olim* Leid. pr. & Edit. *solus* Haun.

Suum judicium & leges.] Sic vulgati libri veteres: *judicium contra leges.*] Parisinus, quomodo excudendum curavi, quae lectio non longe a libris antiquis recedit, & vetus est, nam *Raphael Volaterranus*, qui hunc libellum paene in opere suo transcripsit, ita fere legit libro XVII. SCHOTTUS.

Detractarat.] Exemplum Agrippinense *detractaret* praefert. IDEM. *Detractaret* est in Agrippinensi. *detractarat* in MSS, esse monebat *Schottus* in *Not. Min.* ita est quoque in *Boend.* & Fran. *detractavit* Leid. sec., sed totam vocem ignorat Leid. pr. Antiquam hic secutus sum Scripturam, quae in multis exstat MSS., sed rarius ab Editoribus recipitur. Ego sic existimo, facilius Librarios *detractare*, quod ignotius erat, corrupisse, quam *detrectare*. Hac ratione *Ovidius* lib. II. Trist. vers. 337.

Et tamen ausus eram, sed detractare videbar.

Cornelius Nepos Arist. cap. I. §. I. *Namque obtrectarunt inter se.* Ita est in Codice MS. Leidensi. *Valerius Maximus* lib. V. cap. IV. exem. 1. *Verecundia detractandi ministerii.* sic aliquot scriptos Codices habere testatur diligentissimus *Torrenius*. *Seneca* Thyeste vers. 693.

Stat ipse ad Aras, ipse devotus neci
Contractat.

In Phoenis. vers. 222.

Nefandus, incestificus, exsecrabilis
Attracto.

Et Her. Oetaeo vers. 1307.

Vel, si piget, manusque detractat nefas.

Hoc modo tribus illis locis inveni in exemplari scripto. *Curtius* lib. III. cap. VIII. §. II. *Sed non amplius ipsum esse passurum detractare certamen.* & lib. VIII. cap. XI. §. 8. *Secutus est nullo detractante munus.* Vide illis locis variantes Lectiones, quas textui suae Editionis subjecit doctissimus *Snakenburgius*. *Quinctilianus* Decl. VIII. cap. XIX. *Dum deliberas, dum unumquemque detractas.* Ita esse in aliis monuit Cl. *Burmannus*, & ipse postea in Codice scripto inveni. *Lactantius* de Mort. Pers. cap. X. *In eos, si detractassem, verberibus animadverti.* Ubi *Bauldri, Wasse* & *Curtius* ad *Sallust.* Jug. cap. LIII. fine & Cel. *Burmannus* ad *Ovidium* lib. V. Met. vers. 246. ARNTZ.

CAPUT LXIII.

ARGUMENTUM.

Q. Popedium praetor interficit, Herculejos fratres Consul opprimit, Hispania Sertorium expellit, & in petitione - - - - Consularibus adolescens praefertur Q. Metellus Pius.

1 Quinctus Metellus Pius, Numidici filius; Pius, quia patrem lacrimis & precibus adsidue ab exsilio revocavit, Praetor bello so-
2 ciali Q. Popedium, Marsorum ducem, interfecit. Consul in Hispania

1 *Pius.*] *Appianus* inquit: Publius Furius Tribunus plebis non liberto, sed libertino patre genitus, audaciter admodum & constanter illis resistebat. Ut neque Metelli filii precibus in conspectu populi suppliciter eum deprecantis, & ad pedes ejus provoluti lacrymisque flecti potuerit, qua ex causa puer idem ab hujusmodi prospectu *Pius* subinde cognominatus est. MACH. Nam & amor in parentes proprie *pietas* dicitur. ANN.

Adsidue.] Mallem hoc loco *adsiduis*, ut ad *lacrymas precesque* referatur, quomodo *adsiduus* talibus substantivis recte jungitur. *Cicero* pro Cluentio cap. VI. *Augebatur ejus molestia quotidianis querimoniis*, & adsiduo fletu *sororis*. *Ovidius* lib. II. Met. vers. 486.

Adsiduoque *suos* gemitu *testata dolores*.

Et lib. III. ex Pont. Epist. IV. vers. 45.

Adde, *quod* adsiduam *domini meditata* querelam.

Propertius lib. II. El. XIV. vers. 1.

Adsiduae *multis odium peperere* querelae.

Plinius lib. II. Epist. XV. *Habent hunc finem* adsiduae querelae. *Seneca* lib. I. de Clem. cap. XVI. *Quod* adsiduis plagis *pueros compescam*. *Seneca* Hippol. vers. 381.

Lacrymae cadunt per ora, & adsiduo *genae*
Rore *irrigantur*.

Quinctilianus Decl. V. cap. XXII. *Brevi te genitus mei liberabunt*, adsiduis planctibus *everberata vitalia*. & Decl. VI. cap. VI. *Cum* adsiduos planctus, & *irrequietas diceres lacrymas*. *Appulejus* lib. II. Metam. p. 126. *Voce contenta quidem*, *sed* adsiduis singultibus *impedita*. *Sedulius* Presbyter lib. IV. Carm. p. m. 189.

Adsiduis vocibus *precibusque extorsit anhelis*. Vel ita exponi posset, *adsidue lacrymando* ab exsilio revocare conatus fuit, & tandem, ut revocaretur, effecit. Eum enim sensum vox *revocavit* hic sibi vindicat. *Ausonii* Paneg. cap. XVI. §. 2. *Neque enim justius Metellus cognomento Pius*, *patre revocato*. Hoc sensu *restituit* dixit *Vellejus Paterc.* lib. II. cap. XV. §. 5. *Pietate sua*, *auctoritate Senatus*, *consensu Reip. restituit patrem*. Contra *damnare* dicitur accusator, qui damnationis exsistit caussa. Scholiastes Vetus *Juvenalis* ad Sat. I. vers. 33. *Qui ipsum apud Neronem detulit & damnavit*. *Vellejus* lib. II. cap. XLVII. §. 4. *Milonem reum non magis invidia facti*, *quam Pompeji damnavit voluntas*. *Suetonius* Vitell. cap. II. §. 4. *Pisonem inimicum & interfectorem ejus accusavit condemnavitque*. & Nostter inf. c. LXXXI. §. 3. Ceterum voces *ab exsilio* ejiciunt quinque Codices, Edit. Agripp. & Ven. & possent abesse cum vel ex subjecta materia & capite praecedenti pateat hoc loco agi de exsilio. *Cicer.* pro domo cap. LVII. *Vosque qui maxime me repetistis atque revocastis*. *Plinius* lib. VII. Hist. cap. XXX. *In exsilium egere*, *rerum conditorem revocavere*. *Suetonius* Claud. cap. VII. *Potentia revocatae restitutaeque matris usque eo floruit*. Integre tamen in Calig. cap. XXVIII. *Revocatum quendam a veteri exsilio*. ARNTZ.

Praetor.] Imperator. In bello idem *praetorium*, & porta *praetoria*. MACH.

Bello sociali.] Alias Italico, quia Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Maruzini, Lucani, Samnites, initio belli a Picentibus moto, hi omnes [inquam) defecerunt, & arma sociarunt; nam hi omnes legatos ad Romanos misere, apud eos conquerentes, quod omnia ad praecipitatum illorum meditati, haud digni eorum republica habiti essent. Quibus Senatus acerbe respondit; si eorum, quae egissent, illos poeniteret, legatos ad se mitterent, sin minus, mittere desisterent: illi desperatis rebus, ad bellandum se praeparant, quibus exercitus ex urbibus in commune affuere. IDEM. De illo vide *Flor.* lib. III. cap. XVIII. ANNA.

Q. Po-

gia Herculejos fratres oppreſſit; Sertorium Hiſpania expulit. A-3 dole-

Q. Popedium.] Audi *Appianum* in ſcribentem: Caecilius Metellus ſucceſſor illi ſubſtitutus, ad bellum cum veniſſet, in Japygas deſcendit, eoſque bello devicit: & Popedius alter ex ducibus, qui in bello defecerant, interim occubuit: reliqui per partes ad Caecilium venere: & haec quidem per Italiam Sociali in bello geſta ſunt. MACH. *Q. Popedium* in veteribus libris eſt. *Silio Popedius* dicitur, *Vellejo* lib. II. & *Floro* Epit. lib. LXXVI. In Mediolanenſi & *Gryphio* erat *Q. Pompedium*, quemodo & *Strabo* libro quinto Geog. ſcribit Πομπιδιος. apud *Diodorum Siculum* lib. XXXVII. Πομπαιδιος cum diphthongo, *Pompaedius*, apud *Plutarchum* in Apophth. Πομπώνιος Σίλωνος. In Mario Πομπαῖος Σίλωνος, corrupte utrobique. Atque non ignoro Graecos nomina Romanorum ſaepe corrupiſſe ſcribendo, quod hodieque in Barbaris vocibus fieri ab exteris ſolet. Romanos autem Barbaros a Graecis appellatos etiam in vulgus notum eſt. In editis hinc hoc mendum inſedit, ut *Q. Pompejum* ſcribant: ſed ferri non poteſt. Errori anſam praebuit, quantum conjicio, quod eo bello Marſico, Italico, ſeu ſociali *Cn. Pompejus Strabo*, pater Cn. Pompeji Magni, Conſul cum C. Porcio Catone feliciter depugnarit. SCHOTT. *Popedium* etiam Ioan. *Compendium* Haun. & Leid. ſec. Sed ubique hac in voce variatur. Vide *Torren.* ad *Val. Max.* lib. III. cap. I. exem. 2. ARNTZ.

Marſorum ducem.] *Popedius Marſos ſub ſuis ſignis habebat. Florus. Marſi* ad lacum Fucinum. ANNA.

2 *Conſul.*] Non *Conſul* ſed *pro Conſule*, anno poſtquam fuerat *Conſul* quarto, DCLXXVII. SCHOTT. Immo *Conſul* vel *Praetor* ſaepe idem eſt, qui *Proconſul* vel *Propraetor*. qui harum vocum uſus ſaepe in errorem abduxit Viros etiam eruditiſſimos. *Cornelius Nepos* in Caton. cap. I. §. 3. *Quaeſtor obtigit L. Cornelio Scipioni Africano, Conſuli.* Non dubito ibi reſcribere Doct. *Boſius, Proconſuli. Valerius Maximus* lib. V. cap. VIII. exem. 4. *Romani Equites pulſi, deſerto Conſule Catulo, urbem petere repeterent.* Ubi contra MSS. *Proconſ.* non edendum fuerat. *Florus* lib. II. cap. VI. §. 43. *Sed parte exercitus ſub Appio Conſule relicta.* & lib. II. cap. VII. §. 12. *Et illi quidem Conſul pacem dedit.* Neque hanc ſignificationem cogitavit Vir ſolidae Eruditionis *Schultingius* ad ff. tit. de Juriſd. th. 35. cum in Actis *Pionii* pro *Conſulis*, legeret *Proconſulis*. Iterum *Corn. Nepos* Hann. cap. IV. *Centenium Praetorem cum delecta manu ſaltus occupantem.* Et illic *Propraetorem* in textu reponere non debuerat *Boſius* & *Heuſſr.* *Cicero* Act. V. in Verr. cap. IX. *Quaeret, quamobrem Faſces Praetoribus praeferantur, cur ſecures datae.* Atqui Praetores Urbani non habebant ſecures, ſed hi quidem, qui Propraetores mittebantur in Provincias. Adde *Sigonium* ad *Livium* lib. XXVIII. cap. XXXVIII. & Virum variae doctrinae atque elegantiſſimae lectionis, inter reliqua Urbis noſtrae decora non ultimo loco nominandum, *Noodtium* lib. I. Probab. cap. VI. ARNTZEN.

Herculejos fratres.] Ut puto, vim fortitudinemque referentes, atque nomen. MACH. *Hirtulejos fratres* non nemo appellat, quos alii *Herculejos*. SCHOTT. Sertorii legatos. ANNA. *Herculeos* quatuor Codd. Edit. Agripp. & Ven. Vide Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. III. cap. XXII. §. 6. ARNTZ.

Sertorium.] De quo inferius in Pompejo plura. MACH.

Praeturae.] Vox *Praeturae* ſuſpecta, cum Praetoria aetas fuerit quadrageſimus annus. Nam ſacerdotia admodum adoleſcentibus committebantur: quod vel ex Julio Caeſare clarum eſt apud *Suetonium* cap. XIII. Sed eodem plane modo loquitur de Caeſare *Salluſtius* Catilinario. *Catulus ex petitione Pontificatus odio incenſus: quod extrema aetate maximis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Caeſare victus diſceſſerat.* Atqui tum aedilitate functus, Praeturam petebat Caeſar: *Suetonius* cap. XIII. & noſter Pius biennio poſt factus eſt Conſul: cum Scaevulae interfecto Pontifex Maximus anno DCLXXI. Pius ſucceſſerit, idemque DCLXXIII. cum Sulla Conſulatum geſſit. Sic apud *Cornelium Nepotem* Marcus Brutus, quo tempore Caeſarem praetor, hoc eſt, quadragenarius interfecit, non ſemel adoleſcens vocatur, in vita Attici. Illud autem, quod ſequitur, *Conſularibus Viris*, magis etiam ſuſpectam vocem *Praeturae* reddit, niſi dicamus a Conſularibus Praeturam iterum ambiri ſolere, quod ex hiſtoria Mancini probabile videri poſſit, qui Conſularis iterum Praetor factus eſt, de quo ſupra cap. LIX. Alteri id accidiſſe non memini: Praetorios vero, iterum Praetores fieri interdum ſolere ſcio, quod de Mario Grattidiano memoriae proditum eſt ab *Aſconio Pediano* in orationem *Ciceronis* in Toga Candida. Exſtat lex Genutia anno CCCCXI. lata, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet &c. apud *Livium* lib VII. Certe locus iſte diu nos torſit, miratusque ſum Praeturam poſt *Conſulatum* peti: conabarque facere *Conſularibus ſtiis:* quemadmo-

doleſcens in petitione Praeturae & Pontificatus Conſularibus viris praelatus eſt.

dum *Patricios* dicimus, qui patribus, id eſt, Senatoribus nati erant, non ſolum, qui patrem ciere poſſent, eſſentque ingenui. Sed ipſe mihi non ſatisfacio. libri ſcripti nihil opis tulerunt: lector conſideret. SCHOTT. Vox *Praeturae* falſa eſt. quomodo enim huic conſtitat: eum ſequatur *conſularibus viris praelatus eſt*. viſitur tamen in omnibus manuſcriptis, & quidem cunctis perſcriptum literis. quod ſi admittimus, primum admittamus neceſſe eſt, ad praeturam admiſſos eſſe adoleſcentes, deinde conſulares iterum de gradu ſuo deſcendiſſe, uti ambirent praeturam; quod de Mancinio ſupra cap. LIX. Noſter hic pronuntiare viſus. verum conſulatur amicus noſter *Schottus*: nam ego feſtino, neque aliud ſuccurrit, quam id quod ſupra poſui. GRUTERUS. Vide quae ſupra in Hoſtilio Mancino dicta ſunt. Locus ſane difficilis: Tenebat *Schottus*: *conſularibus filiis*, pro *conſularibus viris*, ut *conſulares filii*, de *conſulum filiis* intelligatur. Neque tamen ita ſibi ipſe ſatisfacit vir doctiſſimus. ANNA. Recte hoc loco obſervat Erud. *Schottus*, ſacerdotia adoleſcentibus etiam fuiſſe commiſſa. Id patet ex *Seneca* lib. I. de Ira cap. IX. Sacerdotium *tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi*. Sunt verba Auguſti Cinnam increpantis, quem eodem capite vocarat, *adoleſcentem nobilem*; & certe illi etiam adoleſcentes fuerunt, quorum Patres ipſi Auguſto in bellis Civilibus adfuerant. *Cicero* lib. II. ad Famil. Epiſt. VII. *De* Sacerdotio *tuo quantam adhibuerim curam*, & tum paucis interpoſitis: *A Senatore nobiliſſimo & Adoleſcente gratiſſimo*. *Vell. Paterculus* lib. II. cap. LIX. §. 3. *Pontificatusque* ſacerdotio puerum *honoravit*. *Livius* lib. XXVII. cap. VIII. *Ob* adoleſcentiam *negligentem luxurioſamque C. Flaccus* Flamen *captus erat*. lib. XXXIII. cap. XLII. *Q. Fabius Maximus* Augur *mortuus eſt admodum* adoleſcens, *priusquam ullum magiſtratum caperet*. Quod tamen rarius olim acciſſe conſtat ex Eodem lib. XXIX. cap. ult. Augur *Tiberius Sempronius Gracchus admodum* adoleſcens, *quod tunc perrarum in mandatis* ſacerdotiis *erat*. Adde Erud. *Cortium* ad *Salluſtium* Catil. cap. XLIX. §. 2. Sed majores difficultates Viris Eruditis excitavit vox *Praeturae*, quae tamen etiam in omnibus noſtris & Editionibus exſtat. Quidam eam vocem omittunt, quod durum eſt, vel reponunt *Conſularibus filiis*, quae lectio, ut de ratione hujus locutionis nihil dicamus, veroſimilis non eſt, nam ipſe Pius filius erat Viri Conſularis, & quid mirum tum, illum etiam adoleſcentibus praeferri talibus, qui Patrem habebant conſularem. Ipſe etiam tentabam hoc modo: *In petitione Pontificatus Praetoriis & Conſularibus*. Ut ex compendiis vocis PRAET. natum ſit vitium. Sed invitis Exemplaribus, & ſine neceſſitate. Nam quod Virum Eruditiſſimum offendat addi *Conſularibus*, & ab his *Praeturam* ambiri non ſolere, niſi quod hoc factum ſit in ſolo Mancino, memoria ei inponit, cum Conſulares, praeſertim qui Senatu moti erant, iterum deberent praeturam petere. *Vellejus Paterculus* lib. II. cap. XXIV. §. 4. *Lentulus Conſularis & Praetor iterum*. ubi conſulendus *Sebegkius*. Adeoque hoc offendere non debet, neque etiam illud, quod urguet *Gruterus*, ad Praeturam non admiſſos fuiſſe *Adoleſcentes*. Sed hic Metellus vocatur adoleſcens reſpectu Seniorum, qui jam conſulatum geſſerant. Et ſic *adoleſcens* in tali oppoſitione de aetate etiam provectiori adhiberi multis exemplis illuſtravit diligentiſſimus *Cortius* ad *Salluſt*. Cat. cap. XXXVIII. §. 1. Quare patet *Conſulatum* petere & *Adoleſcentem* hoc ſenſu gerere potuiſſe *Praeturam*. Tandem quid hic intelligendum ſit per *petitionem* vide de hoc loco diſſentientes *Jac. Gutherium* de Jure Pont. lib. I. cap. IX. & *Boſium* de Pontif. Max. Romae veteris cap. III. Quos tu expende, Lector, ne nimii ſimus. ARNTZ.

CA-

CAPUT LXIV.

ARGUMENTUM.

Mancini foedus quaestor probat, leges tribunus plebis fert, potestatem sibi prorogari vult, Capitolium petit, diadema poscere videtur & opprimitur Tiberius Gracchus.

Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, Quaestor Mancino 1
in Hispania, foedus ejus flagitiosum probavit. Periculum dedi- 2
tionis eloquentiae gratia effugit. Tribunus plebis legem tulit, ne 3
quis plus mille agri jugera haberet. Octavio collega intercedente, 4
novo

1 *Gracchus.*] Per aspirationem scripsi semper, *Flavii Sosipatri* auctoritatem sequutus & Graecam consuetudinem, tametsi *Graccus* in antiquis sit, vel a *gerendo*, ut *Varro*, vel a *gracilitate*, ut *Sosipater*, derivant; itaque scribit *Scaurus*. SCHOTTUS.

Africani.] *Scipionis* addit MSC. IDEM.

Filia.] Cornelia quae Gracchorum mater fuit. ANNA.

Nepos.] Ratione avi, patrui, avunculique dicitur, a quo omnis posterior. ut illud *Virgilianum*:

Carpent tua poma nepotes.

Nec minus ganeonem signat a *nepa* voracissimo animali. *Manilius* mathematicus:

Ardentemque nepam.

Inde *nepotiae*, & *Suetonius*: *nepotinis sumptibus*; in Nerone. MACH.

Quaestor Mancino.] Vide supra in Hostilio Mancino. ANNA.

Probavit.] *Plutarchus* inquit: Missus igitur ad hostes, in hybernis, partim suadendo, partim recipiendo, foedu[illegible]it, ac per eum modum viginti millia Ro[illegible] absque auxiliariis, & aliis, qui extra [illegible]sequuti erant, servavit. MACH. Inepte [illegible]dam *putavit*: legendum *probavit*, [illegible] Ho[illegible]ancino videre licet. Gracchanae seditionis caussam vide apud *Plutarchum*, *Livium*, *Vellejum* lib. II. *Appianum* & *Orosium* lib. V. cap. VIII. *Cicero* de Aruspicum Responsis. *Tiberio Gracchо invidia Numantini foederis, cui feriendo Quaestor C. Mancini Consulis cum esset, interfuerat, & in eo foedere improbando Senatui severitas doloris & timori fuit, istaque res illum a gravitate Patrum desciscere coëgit.* SCHOTT.

2 *Periculum deditionis.*] Ne cum Mancino hostibus dederetur. ANNA.

Eloquentia.] Qua facile princeps. *Florus*. EAD.

Effugit.] Nam ingressus urbem Numantinam, utpote amicus, liberali convivio exceptus, memoria paterna, qui pacem cum Numantinis servaverat, eamque semper apud populum recte justeque defenderat. MACH. *Fugit* quatuor Scripti cum Editione Agripp. & Veneta.

Tribunus plebis.] Anno U. C. 620. ANNA. In margine testabatur *Schottus*, et ex eo *Sylburgius* vocem *legem* abesse a MSS. adeoque parenthesi incluserat, sed eam defendunt quinque MSS. cum *Schotto* enim facit Fran. & omnes Editiones. Suspectam fortasse habuerunt vocem ex nota distinctione JCtorum inter leges & plebiscita, cum haec plebejo, illae Senatorio Magistratu rogante constituantur. Sed tales distinctiones non esse perpetuas, & *legem* pro *Plebiscito* dici patet ex *Cicer*. Bruto cap. XXVII. *L. Piso Tribunus plebis* legem *de pecuniis repetundis* tulit. & post reditum in Sen. cap. V. *Quo inspectante ac sedente* legem *Tribunus Plebis* tulit. *Lucan*. lib. IV. vers. 690.

Lege Tribunitia *solio depellere avorum*
Curio tentarat.

Vellejus Paterculus lib. II. cap. XVIII. §. 5 & 6. *P. Sulpitius Tribunus pl.* legem *ad populum* tulit. & cap. XXXI. §. 2. *Post biennium A. Gabinius Tribunus* legem tulit. Noster inf. cap. LXV. *Tribunus Plebis agrarias & frumentarias* leges tulit. Et in ipso jure passim haec vox latiori significatione adhibetur. ARNTZ.

Plus mille.] Corrupte haud dubie. Corrige *plus quingenta*. Suspicor hinc natum mendum, quod notis numeros signarent antiquitus librarii, cujus hodie vestigia exstant in IↃ. & CIↃ. *Quingenta* enim omnes habent. *Appianus* lib. Emphyl. 1. μηδένα τῶν πεντακοσίων πλέθρων πλέον ἔχειν. Sic & *Plutarchus* in Gracchis. *Florus* tamen abbreviator

5 novo exemplo magistratum abrogavit. Dein [illegible] familia, quae ex Attali haereditate erat, ageretur, & populo divideretur. Dein-

Livii Epit. LVIII. *decem* habet dumtaxat; & *Siculus Flaccus* in libro de Conditione Agrorum *ducenta* male: Manavit error rursus e corruptis numerorum notis. SCHOTT. Attamen omnes unanimi consensu *mille* retinent, ut ipsius auctoris possit esse error. Vide de dissensu in numero horum jugerum apud *Sigon.* ad *Livii* Epit. LVIII. & *Pigh.* tom. III. Ann. p. 5.

4 *Intercedente.*] Impediente, namque multitudine rogantium victus intercessit. de Octavio *Appianus*: *Octavius*, inquit, *quamprimum tribunatu dejectus clanculum effugit.* MACH. Melius alii, *intercedenti*, dandi casu. *Cicero* de legibus: *Tib. Gracchum nihil aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit.* SCHOTT. *Flor.* lib. III. cap. XIV. *Sed ubi intercedentem legibus suis Cnaeum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus potestatis, injecta manu depulit rostris: adeoque praesenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur.* Vide quae ibi notata sunt. ANNA. Quos alios hic innuat Schottus ego quidem ignoro, sed hoc certum est mihi, melius hic non esse dandi casu. Non minus enim eleganter ablativus absolutus ponitur, ubi dativus requirebatur. *Juvenalis* Sat. I. vers. 70.

- - - *Miscet viro sitiente rubetam.*

Vide, quae eo loco adduxit *Britannicus*. *Sallust.* Jug. cap. LXIII. §. 1. *Mario per hostias dis supplicante magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat.* Sic ex suis Codicibus receperat Erud. *Cortius*, aliorumque scriptorum testimoniis munivit. Junge Comment. ad *Just.* lib. II. cap. III. §. 16. & Cel. *Dukerum* ad *Florum* lib. IV. cap. XII. §. 28. Infra Epit. cap. XII. §. 5. *Dicente Nerva, quid nunc faceret, si Domitiano supervixisset; nobiscum, inquit Mauricus, coenaret.* Ubi fortasse plura. Ideoque hoc loco nihil temere fuerat mutandum, praesertim invitis Editt. & Scriptis. ARNTZEN.

Abrogavit.] Sic libri antiqui. Unus scribit *abdicavit*. Falso. nam insequenti anno Tribunus plebis refici voluit Gracchus. SCHOTT. *Obrogavit* manus recentior in *Bong.*

5 *Ut ea familia, quae de Attali haereditate.*] Aliter in MSS. nostris: *ut ex ea pecunia, quae de &c.* praepostere collocatis praepositionibus. Forte legendum: *ut de ea familia, quae ex Attali.* Vide infra cap. LXXX. *familia* enim I.C. illis veteribus usitata vox, ut & in XII. *Ulpianus* enim tit. de Verb. Signif. duplicem facit, rerum & personarum. Rerum, ut in legum XII. Tabulis. Significat enim bona & haereditates defuncti. Verba autem:

PATERFAMILIAS. SI. INTESTATUS. MORITUR. CUI. SUUS. HAERES. NEC. ESCIT. ADGNATUS. PROXIMUS. FAMILIAM. HABETO. SI. ADGNATUS. NEC. ESCIT. GENTILES. FAMILIAM. ERCISCUNTO.

Unde *Cajus* l. 1. D. Familiae Erciscundae, [illegible] nem familiae erciscundae proficisci [illegible] XII. *Tranq.* in Nerone cap. IV. *Fam*[illegible] tione usurpat, additque *pecuniam* explica[illegible] Suspicor igitur *Familiam* potius, [illegible] ce usum in lege roganda Gracchum eloquentissimum, & verborum studiosissimum, [illegible] Cornelia matre eductus cum fratre [illegible] quentiam cum lacte nutricis imbiberat. [illegible] Bruto & Oratore. *Quinctil.* lib. I. [illegible] autem sensus est: legem promulg[illegible] ut iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, [illegible] quae Regis Attali fuisset, divid[illegible] autem reliquerat populum Romanum [illegible] gami Rex, Eumenis filius, pau[illegible] *Plutarchus* in Gracc[illegible] quae hic *familia* est. SCHOTT. [illegible] ris doctissimis notatum. Ita & apud *Terent.* Heautontim. Act. V. Sc. I.

Decem dierum vix mihi est familia.

ANNA.

Ex Attali haereditate erat.] *Plutarchum* [illegible] haec scribentem: posthaec Attali Philo[illegible] functi testamento a Pergamenis Romam [illegible] so, quo populus Romanus haeres scriptus [illegible] statim Tiberius ad populum tulit, ut regia [illegible] nia civibus Romanis, quibus agri dabantur, [illegible] cultura assignaretur. MACH.

Ageretur.] Sic caput [illegible] ius eleg[illegible] *cero* in Laelio: *Minus* [illegible] *corum* [illegible] *adjuvandae sunt, in* [illegible] *aut caput* [illegible] *fama.* Quam [illegible] *gellius* lib. I. cap. XII. [illegible] tuerunt. *Terent.* Heautont.

Non nunc pecunia agitur.

Quemadmodum in Phorm. legendum [illegible] IV. Cicero pro Caecina: *Agitur* [illegible] *omnium* [illegible] Cato [illegible] *Multa me dehortata sunt huc* [illegible] *aetas, vox, vires, senectus: Verum* [illegible] *tum Rempublicam agi arbitrarer.* SCHOTTUS. *Ea familia ageretur*, eleganter. [illegible] tur doctissimus *Graevius de ea familia* legere jubet

Deinde cum prorogare sibi potestatem vellet, adversis auspiciis in 6
publicum processit, statimque Capitolium petiit, manum ad caput
referens, quo salutem suam populo commendabat. Hoc nobilitas 7
ita accepit, quasi diadema posceret; segniterque cessante Mucio
Consule, Scipio Nasica sequi se jussis, qui salvam Rempublicam
vellent, Gracchum in Capitolium persequutus oppressit. Cujus 8
corpus Lucretii Aedilis manu in Tiberim missum, unde ille Vespil-
lo

jubet in notis ad *Senecae* controversiam XI. ANNA. Verum in hisce exemplis *agi* idem est, quod periclitari, ut *agitur caput*, pro ejus vita in discrimen adducitur. *Cicer.* pro Lege Man. cap. II. Cl. *Gronov.* ad *Livium* lib. XXVII. c. XXXIV. & lib. XXVIII. cap. XIX. Sed *agere* alia significatione est quaerere, judicium exercere. Leid. sec. *de familia quae ex Att.* Haun. vero, *Gramm. Boend.* & Fran. *Ut ex familia, quae de Attali*, transpositis sine dubio praepositionibus. Deinde etiam priscam cum omnibus Editt. & MSS. lectionem reduximus *& populo* quod in *ut* mutaverat *Schottus*. ARNTZ.

6 *Prorogare.*] *Sequenti anno vellet* in MSS. est, sed non videtur necessarium. Nam hoc est *prorogare* in sequentem annum continuare. *Cicero* in Catilinam: *Tib. Gracchus, quod iterum Tribunus pl. fieri vellet occisus.* SCHOTT.

Potestatem.] Tribunatum. *Tib. Gracchus, quod iterum tribunus plebis fieri vellet, occisus. Cicero* in Catilinariis. ANNA.

Adversis auspiciis.] Mediolanensis *adversus auspicia*, quomodo in Scipione Nasica loquutus est. Vide *Obsequentem.* SCHOTT.

Manum ad caput referens.] *Florus* ibidem. *Inde quum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suae, manu caput tangens, hortaretur, praebuit speciem regnum sibi & diadema postulis, atque ita duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi jure oppressus est.* ANNA. *Qua salutem* minus recte Editio *Mach.* & *Aldi.*

7 *Diadema.*] A διαδέω ligo, quasi Regum ligamen. *Plutarchus* attestatur per eum demum *diadema*, & purpuram e regia gaza a Graccho allata. MACH. Quae signis potius indicamus quam verbis, perperam saepe recipiunt interpretationem. *Tranquillus* in Caesare cap. XXXIII. *Cum in alloquendo exhortandoque, saepius digitum laevae manus ostentans, adfirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque aequo animo detracturum sibi; extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus anulorum cum millibus cccc. distulit.* GRUTERUS.

Mucio.] Pub. Mucio Scaevola. ANNA.

Scipio Nasica.] Privatus hoc egit. *Cicero* I. Officiorum, pro Plancio, & pro Domo sua: *P. Scipionis factum statim P. Mucius Consul, qui in gerenda repub. putabatur fuisse segnior, multis Senatusconsultis, non modo defendit, sed etiam ornavit.* SCHOTT.

Qui salvam R. P. vellent.] Formula est, qua civium evocatio fiebat ad Rempublicam juvandam opprimendosque seditiosos. *Servius* in illud *Virgil.* Aeneid. VIII. versu. I.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Et *Isidorus* lib. IX. Etymolog. cap. III. *Cicero* vero Orat. I. pro Cornelio apud *Asconium. At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, Consulem mittere coëgisti, qui R. P. salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.* Videndi *Caesar* lib. VI. Belli Gall. & *Valerius* lib. III. cap. II. Simile apud *Livium* lib. XXXIV. cap. XXV. *Clamitans, ut qui salvam Rempublicam vellent, auctorem & ducem libertatis sequerentur.* Et Marcus Aemilius Lepidus consul oratione ad populum Romanum, ut arma contra Sullam Dictatorem capiant, lib. I. Historiarum *Sallustii, Adeste*, inquit, *Quirites, & bene juvantibus Diis M. Aemilium Consulem ducem & auctorem sequimini ad accipiendam libertatem.* SCHOTT. Haec tamen formula corrupta est in Leid. sec. ubi exstat: *salutem Reip.* Melius veram Scripturam tuentur testimonia a *Schotto* prolata, & *Livius* lib. IV. cap. XXXVIII. *Ut Equites, qui* salvam Remp. vellent *esse, ex Equis desilierent.* lib. XXII. cap. I. *Itaque ite mecum, qui & vosmetipsos &* Remp. salvam vultis. Eodem etiam lib. cap. LIII. *Irent secum extemplo armati, qui* Remp. salvam vellent. *Vellejus Paterculus* lib. II. cap. III. §. I. *Hortatus est, qui* salvam vellent Remp. *se sequerentur.* Ad quem locum vide quae notavit doctissimus *Boeclerus* & *Brissonius* lib. II. Form. p. 213. Mox *prosecutus* vitiose uterque Leid. ARNTZ.

Oppressit.] Lucio Saturnino & Ruso interfectoribus. MACH.

9 lo dictus. Nasica ut invidiae subtraheretur, per [illegible] nis in Asiam ablegatus est.

Vespillo.] Quia *vespertino* tempore cadavera sepeliebantur. *Martialis:*

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Paullus.

Ita enim in codicibus veteribus legitur. MACH. *Vespilio*, in aliis est. Caeterum monet *Julius Obsequens* extremo libro Prodigiorum neminem, qui magistratum collegae ademerit, annum vixisse: exemplisque declarat. SCHOTT. Nam *vespillones* dicebantur, quibus corporum sepeliendorum cura. ANNA. *Vispillio* Uterque Leid. & *Bonn.* *in spilio* Fran.

In Asiam.] Pergamum inquit *Valer.* lib. [illegible]. In MSC. meo haec [illegible] manu adscripta reperi. *Cum Comitiorum die Gracchus seditiones populi attenderet, auctore Nasica inflammata nobilitas, fragmentis subselliorum plebem fugavit. Gracchus per gradus, qui sunt super Calpurnium Tornicem, detracto amminiculo fugiens, ictus fragmento subsellii corruit, rursusque assurgens alio ictu clavae cerebro impactae occubuit. Ducenti ea [illegible] interfecti, quorum corpora in Tiberim* [illegible] SCHOTT. Sed ea ego *Victoris* esse no[illegible] ANNA.

CAPUT LXV.

ARGUMENTUM.

Sardiniam quaestor sortitus sponte decedit, defectionis invidiam sustinet, leges fert, Minucio legibus obrogante in Capitolium venit, in forum descendit, Aventinum occupat, ab Opimio victus in lucum Furinae pervenit & interficitur C. Gracchus.

1 Cajus Gracchus pestilentem Sardiniam Quaestor sortitus, non ve-
2 niente successore, sua sponte decessit. Asculanae & Fregellanae

1 *Cajus Gracchus.*] Hac de re Gracchus ipse apud *Agellium* lib. XV. cap. XII. *Cum rediret ex Sardinia*, inquit *Agellius*, *de sua parsimonia & continentia haec protulit: Cum Roma profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Meminit & *Symmachus* lib. IX. Epist. XXXIX. SCHOTT.

Pestilentem Sardiniam.] De Sardinia aëris insalubris ac pestilentis, sic *Martialis* lib. II. ut omittam *Claudianum* lib. II. de Bello Gildonico fine.

Nullo fata loco possis excludere, cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Cicero lib. VII. Epist. XXIV. ad Fabium Gallum: *Id ego in lucro pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua.* Habita tamen est pinguis, & soli uberis Sardinia. *Horatius* Od. XXXI. lib. I.

Sardiniae segetes feraces.

Vide *Strabonem* lib. V. IDEM.

Sua sponte discessit.] Contra leges: successorem enim expectare debebat, antequam e Provincia exiret. ANNA. Fran. & uterque Leid. habent *decessit. Discedere* dicitur multitudo, quae in varias partes abit. *Donatus* ad *Terent.* Andria Act. IV. Sc. II. vers. 24. Quare hoc verbum recte tribuitur exercitibus, qui vel ex hibernis se movent, vel militia confecta domum repetunt. *Caesar* lib. V. Bell. Gall. cap. I. §. I. cap. VII. §. 5. cap. XXVIII. §. 3. cap. XLI. §. 6. lib. I. Bell. Civ. cap. IX. §. 3. *Livius* lib. XXV. cap. XX. *Valerius Maximus* lib. III. cap. II. exem. 8. *Frontinus* lib. III. Strat. cap. XXII. & alibi. Sed haec significatio locum habere hic non potest, cum non de Militibus, sed de ipso Belli Duce agatur. Quare *decedere* proprie est Proconsulis & Magistratus, qui ex Provinciis abeunt, & praesertim eorum, qui successorem nondum habent. *Cicero* lib. II. ad Famil. Epist. XV. *Ego de provincia decedens Quaestorem Coelium praeposui provinciae.* & eod. libro Epist. XIX. *Ne ante, quam tu in provinciam venisses, ego de provincia decederem.* Idem lib. III. Epist. VI. *Te antea, quam Tibi successum esset, decessurum fuisse.* *Livius* lib. XXIII. cap. XXXII. *Veterem praetorem inde A. Cornelium provinciae*

nae defectionis invidiam sustinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. colonos etiam Capuam & Tarentum mittendos censuit. Triumviros agris dividendis se, & Fulvium Flaccum, & C. Crassum constituit. Minucio Rufo Tribuno plebis legibus suis abrogante in Capitolium venit; ubi cum Antilius, praeco Opimii

vinciae petitum decedere, novum exspectari. lib. XXVIII. cap. IX. *Consulem satis praesidii Galliae provinciae credere, L. Piscium cum suis legionibus esse, decedere se inde ac deduci exercitum consulem posse.* & cap. XXXII. *Ideo se quousquam provincia decedat, opprimendos Illergetes duxisse.* Adde lib. XXIX. cap. XIX. lib. XXXII. cap. VII. lib. XXXIV. cap. X. lib. XXXV. cap. X. lib. XXXVI. cap. XXXIX. & lib. XLV. cap. III. *Suetonius* Caes. cap. XVIII. §. 2. *Non exspectato successore ad triumphum simul Consulatumque decessit. Valerius Maximus* lib. II. cap. VII. exem. 3. *Generum suum provincia jussit decedere. Vell. Paterc.* lib. II. cap. XIX. §. 2. *Sortitus Macedoniam, appellatusque in ea Imperator, decedens ad petitionem Consulatus.* Conf. *Manut.* ad *Cicer.* lib. VIII. Fam. Epist. 1. & *Zitsman.* ad *Rutilii* Itin. lib. I. vers. 474. Reducenda igitur videbatur Vetus lectio, praesertim cum hae voces etiam a Librariis alibi fuerint confusae, cujus rei exempla reperies apud *Pierium* ad *Virgilium* Ecl. II. vers. 67. *Lipsium* ad *Senec.* Consol. ad Helviam cap. XII. *Gronovium* ad *Livium* lib. III. cap. XXXIII. lib. IV. cap. XXIX. & cap. III. & lib. XXVII. cap. X. cum *Oudend.* ad *Lucanum* lib. I. vers. 335. ARNTZ.

2 *Asculanae.*] Quod Asculum ejus causa defecerat in bello sociali. MACH. *Asculum* aliud est in Picenis, aliud in Apulis; de priore hic sermo est. ANNA.

Fregellanae.] Quod Fregellae etiam ejus causa defecerant in bello sociali. MACH. Mediolanensis *Fregellanae.* MSS. fere *Fregedanae.* SCHOTT. *Fregellae* in Latio. ANNA. *Fragelanae* Leid. pr. *Fragellanae Gramm.* & Haun.

Invidiam sustinuit.] *Invidia* est odium, crimen, exprobatio. Gallice verteres, *il fut accusé, seul de la revolte d'Asculum & de Fregelle.* ANNA.

3 *Agrarias & frumentarias.*] Vid. *Flor.* lib. III. cap. XV. EAD.

Colonos etiam.] Epitome *Livii*, *Effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur.* Vide *Plutarchum*: hac mente puto ut *colonis* sibi delegatis & Italiam & Provincias repleret. EAD. *Colonos & Capuam Boend. Colonos etiam & Cap.* Leid. pr.

4 *Triumviros.*] MSS. pro *Triumviros* habent *Tribuum viros* vitiose. *Sallust.* Jugurthino: *C. Gracchum triumvirum coloniis deducendis occidit Opimius.* SCHOTTUS.

C. Crassum.] Mendum subest, nullum enim in antiquis libris *Crassi* vestigium. Parisinus exhibet *C. Orosium.* Colonienſis *Corsum*; alii *C. Papirium Carbonem* nuncupant, & recte. SCHOTTUS. *C. Orosium* Cod. *Gramm. Corsium* Agripp. ceteri nihil variant, nisi quod *Gajum Crassum* nominet Fran. Ego de hoc homine nihil compertum habeo. & non una est sententia Veterum de his, qui agris dividundis creati fuerunt. Vide *Schegk.* ad *Vellejum* lib. II. cap. VI. §. 4. ARNTZEN.

5 *Minucio Rufo.*] *Florus. Obrogare auso legibus suis Minucio tribuno.* &c. ANNA.

Abrogante.] *Abrogatur* lex in totum, *derogatur* in partem. MACH. *Abrogante*, malim *obrogante*, ut hic MSS. legunt, & infra in Appulejo Saturnino. Quid sit autem *obrogare, abrogare, derogare*, &c. docebit te *Ulpianus* J. C. Quid si *leges ejus abrogante* reponas ex *Orosii* lib. V. cap. I. Dandi tamen casu dixit *Ovidius* lib. II. Trist.

Et nimium scriptis abrogat ille meis.

Nisi quis *abrogat* legendum ibi censeat, ut apud *Livium* in MSS. doctissimus *Petrus Pithoeus* observavit libro IX. Annal. *Ubi duae leges sunt, semper antiquae obrogat nova.* Et *Cicero* apud *Lactantium* lib. VI. Divin. Instit. *Huic*, inquit, *legi neque obrogari fas est, neque derogari ex ea aliquid licet, neque tota abrogari potest.* SCHOTT. Tamen receptam lectionem cum antiquis Editionibus tuentur omnes scripti, quare eam exprimere malui, praesertim cum Noster non sit adeo proprietatis studiosus, & dativum huic verbo addi docuerit vir de omni posteritate egregie meritus *Pithoeus* ad Coll. Legum Mosaic. & Roman. tit. IV. §. 2. & Cel. *Dukerus* ad *Florum* lib. I. cap. IX. §. 3. lib. III. cap. XV. §. 4. & cap. XVII. §. 8. ARNTZ.

Antilius.] In MSS. longe aliud nomen, partim *Anicullius*, partim *Anitullius*, qui *Plutarcho Anticyllius* est: *y*, autem ut, *u*, Gallicum pronuntiari solitum *Verrius Flaccus*, caeterique Literatores tradidere. SCHOTT. Turbant & nostri Palatini, in quorum uno *Antilius*, minus longe a publicatis quam ii, in quibus *Anicullius*, aut *Anitullius*, alter Palatinus *Antullius.* GRUT. *Antilius* antiquae Editt. *Antilius* Leid. pr. & *Gramm.*

Anci-

pimii Consulis, in turba fuisset occisus, in forum descendit, & inprudens concionem a Tribuno plebis avocavit, qua re arcessitus, cum in Senatum non venisset, armata familia Aventinum occupavit. ubi ab Opimio victus, dum a templo Lunae disilit, talum intorsit, & Pontino amico apud portam Trigeminam, P. Laetorio in Ponte Sublicio persequentibus resistente, in lucum Furinae pervenit.

Ancilius Haun. *Antilus* Leid. sec. *Antillius* Fran. *Amulius Boend.* Αντύλιον hunc praeconem appellat *Plutarchus* in Gracch. p. 840. & sic *Fabric.* ad *Orosium* lib. v. cap. xii. ARNTZ.

Praeco.] Tubicen a praecinendo. *Plutarchus* vult fuisse ministrum intestina ferentem: & quia dixit: *cedite bonis civibus mali*: brachiumque in obscoenum modum intorsit, a fautoribus Gracchi interfectum. MACH.

Concionem avocavit.] Cupiebat se de caede purgare, verum a nemine audientiam habens abiit. MACH. Non ferunt vocem *avocavit* Fran. & Leid. sec. quorum hic *advocavit*, ille *annotavit* nobis obtrudunt. Quid sit *avocare concionem* dudum docuerunt Viri Docti. Confer *Turnebum* lib. xvi. Advers. cap. xxi. & *Gronovium* ad *Livium* lib. i. cap. vi. ARNTZ.

Tribuno plebis.] Minucio Rufo. ANNA.

Quare arcessitus.] Recte in MSS. *qua re arcessitus*: illa enim vox sive conjunctim, sive separatim scribatur, nihil interest: haec vero propria est hujus loci, & rei, qua de agitur. Vide supra in Fufetio. SCHOTT.

Familia.] De servis proprie dicitur. ANNA.

Lunae.] Alii *Dianae* scribunt. Nam Luna in coelo: Dianae in nemoribus: Proserpina in inferno. MACH. Veteres *Lunae*. SCHOTT. Templum *Dianae* Aventinae intellige. ANNA. Nescio cur *Lunae* mutare voluerit *Aldus* eumque secuti, certe ita omnes ante eum Editiones, scripti nostri & *Orosius* lib. v. cap. xii. *Cum per aedem Lunae in domum privatam desiluissent.* Et *Lunae* aedem seu templum erectum fuisse in Aventino ostendit *Lipsius* ad *Tacitum* lib. xv. Ann. cap. xli. & *Neapol.* ad *Ovidium* lib. iii. Fast. vers. 884. *Publ. Victor* quoque de Region. Urb. Reg. xiii. *Templum Lunae in Aventino* collocat & *Appian.* lib. i. Bell. Civ. p. 622. *desiliit* habent priscae Editiones & omnes Scripti. ARNTZ.

Talum.] *Telum* autem etiam depravatum in auctore de Bello Hispaniensi, pro quo reponendum *talum*. SCHOTT. *Telum* Leid. pr. *bellum* Leid. sec. & Haun.

Pontino.] *Pomponio* vulgati. Veteres *Pontino*. *Volaterranus* lib. xvi. *Pontinium* quoque exscripsit. SCHOTT. Accedunt Palatina [illegible] eis, qui praeferunt *Pontinio*. GRUT. [illegible] Leid. pr. *Boend.* *Gramm.* & olim Editi. [illegible] Fran. *Ponticinio* Leid. sec. *Postumio* [illegible] *ponio* primus dedit *Aldus*, & sic alii [illegible] appellant. Vid. *Fabric.* ad *Orosium* lib. v. cap. xii. [illegible] se posset esse, utrumque hoc [illegible] viro [illegible] inditum, ut *Pomponius Pontinus* [illegible]

Apud portam Trigeminam.] Per quam Horatii trigemini ad bellum contra Albanos exierant. MACH. Hunc non apud *portam trigeminam*, sed in ponte sublicio Gracchum persequentibus restitisse innuit *Vellejus* lib. ii. cap. vi. *Quo die*, inquit, *singularis Pomponii equitis Rom. in Gracchum fides fuit, qui more Coclitis, sustentatis in ponte hostibus, ejus gladio se transfixit.* ANNA.

P. Lectorio.] In MSS. est. Non placet. Recte vero *P. Laetorium* vocant. *Valerius* enim *Maximus Pomponium* & *Laetorium* agnoscit lib. iv. cap. vii. de Amicitia. SCHOTTUS. *Lectorio* Cod. *Gramm.* uterque Leid. & Fran. *Lectore* Haun. & *Boend.* Sed facile hic apparet manifestus error Librariorum.

Resistente in lucum.] In MSS. est *resistens in locum*. Non placet. SCHOTT. *Locum* tamen firmiter retinent sex scripti, Agripp. & Ven. ceteri *Lucum* & ita laudat *Turnebus* lib. vi. Advers. cap. v. *Nardinus* de Roma Vet. lib. vii. cap. xi. p. 1413. in Thes. *Graev.* & *Borrichius* de Ant. Urb. Facie cap. xvi. p. 1609. in eodem Thesauro. Adde *Donatum* de Urbe Roma lib. iii. cap. xxi.

Furinae.] *Varro* de Lingua Latina: *Furinalia a Furina, quod ei deae feriae publicae dies is, cujus deae honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua: & flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.* Et alibi. *obscura est eorum origo. Volturnus, diva Palatua, Furina.* MACH. Libri veteres *Furrianae*. quod abnuo. De *Furina* Dea *M. Terentius Varro* lib. iv. & v. de Ling. Lat. *Ful. Ursinus* Notis in librum iii. *Cic.* de Nat. Deorum *Forinae* legi vult, ex antiquo lapide. SCHOTTUS. *Furianae* Uterque Leid. Fran. *Gramm.* Agripp. & Ven. *Funalem* Haun. *Furiante Boend.*

6 Eupori.

fuit. Ibi vel filia, vel servi Eupori manu interfectus, caput a Septi- 6
mulejo amico Gracchi, ad Opimium relatum, auro expensum fertur, propter avaritiam infuso plumbo gravius effectum.

6 *Eupori.*] *Euporus* vocatur a *Paterculo*, & *Macrob.* lib. 1. cap. XI. *Philocrates* a *Plutarcho* in Gracchis & *Val. Max.* libro VI. cap. VIII. qui & *Euporum* nominatum ab aliis refert. SCHOTTUS. *Anaefori servi*, Leid. sec. *Eusori* Fran. & *Boend. Euseri Gramm.* Agripp. & Ven.

A Septimulejo.] Omnes paene libri variant. MSS. *a Septimio Atejo*, Parisinus *Septimio Attelo*, Colonienfis *Septimio Attilio*, Mediolanenfis *Septimio Atello*. Vide *Plin.* lib. XXXIII. Natur. Hist. cap. III. & *Plutarchum* in Gracchis. SCHOTT. *Septimio Atello* omnes MSS. Edit. Ven. & *Mach. Septimio Attilio* Agripp. *Septumulejo* princeps *Aldus*, *Gryph.* & sequentes.

Gracchi.] Familiarem faciunt etiam *Plin.* lib. XXXIII. cap. III. & *Val. Max.* lib. IX. cap. IV. *Plutarchus* vero Opimii. SCHOTT.

Auro expensum fertur.] *Florus. Et illud sacrosanctum caput Tribuni plebis auro pensatum est.* ANNA. *Expressum* Leid. sec. *Impressum* Haun. Uterque ridicule nugax. *Cicero* lib. II. de Orat. cap. LXVII. *Scaevola septumulejo illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum. Valerius Maximus* lib. IX. cap. IV. exem. 3. *Quia Opimius Consul auro id se repensurum edixerat.* & Eruditissimus *Munckerus* ad *Hyginum* fab. CVI. Mox *effuso* Leid. sec. & pro *effectum*, Leid. pr. *esse factum.* ARNTZ.

CAPUT LXVI.

ARGUMENTUM.

Munus Aedilis dat, in Asia quaestor insignibus non utitur, Latinis civitatem - - - Tribunus plebis permittit, nimiae libertatis quia fuit, multa contra dignitatem facit, ex gratia in invidiam venit, & immisso inter turbam percussore corruit M. Livius Drusus.

Marcus Livius Drusus, genere & eloquentia magnus, sed ambi- 1
tiosus & superbus, Aedilis munus magnificentissimum dedit; Et ibi Remmio collegae, quaedam de utilitate Reipublicae suggeren- 2
ti,

1 *Drusus.*] Primus a Druso Duce hostium victo. De hoc *Suetonius* in Tiberio meminit. MACHAN. Vide *Flor.* lib. III. cap. XVII. ANN. Ante *Drusus*, *nomine* interserit Leid. pr.

Genere & eloquentia magnus.] Nobilissimum, eloquentissimum, & sanctissimum vocat *Vellejus* lib. II. cap. XIII. ANNA.

2 *Rubrio.*] In quibusdam *Rubrico*. verum antiquorum librorum tantus consensus, ut paene religio sit ab iis discedere. Parisinus *Reminio*, Colonienfis *Reminio*, MSS. vero, *Remmio*. SCHOTTUS. *Reminio* Leid. sec. *Boend.* & Fran. *Remmio Gramm. Reminio* Agripp. & Ven. aperto errore, cum nihil facilius librariis quam *m* & *in* vel *ni* inter se permutare. Eleg. *Broukh.* ad *Tibull.* lib. I. El. VIII. vers. 42. & lib. IV. El. I. vers. 89. *Scioppius* lib. II. Verisim. cap. IX. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. IV. vers. 26. Et ex hac regula feliciter tentabat *Plinium* in Paneg. cap. XVI. *Is. Vossius*, nam cum in duobus MSS. pro *non inanes currus*, repererat *non inimicos currus*, recte reponit *minicos*. Ut apud *Senec.* lib. II. de Ira cap. II. Magnus *Lipsius*. Sed de illo loco latius spero ad ipsum *Plinium* agemus. *Remmio* hic habent Leid. pr. & Haun. *Rubrio Macb. Ald.* & cet. Ceterum vitam duorum Drusorum Patris & Filii permiscere Nostrum monuit Erud. *Pighius* tom. III. Ann. p. 82. 100. & 194. ARNTZ.

Suggerente.] *Suggerenti*, dandi casus. Sic antiquissima exempla MSS. SCHOTT. *Not. Min.*

3 ti, Quid tibi, inquit, cum republica noſtra? Quaeſtor in Aſia nul-
4 lis inſignibus uti voluit, ne quid ipſo eſſet inſignius. Tribunus ple-
bis Latinis civitatem, plebi agros, Equitibus curiam, Senatui judi-
5 cia permiſit. Nimiae libertatis fuit; ipſe etiam profeſſus, nemini
ſe ad largiendum praeter coelum & coenum reliquiſſe, ideoque cum
6 pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulſam Mauri-
taniae principem ob Regis ſimultatem profugum, accepta pecunia
7 Boccho prodidit, quem ille elephanto objecit. Adherbalem filium
Regis Numidarum obſidem domi ſuae ſumſit, redemtionem ejus
8 occultam a patre ſperans. Caepionem inimicum actionibus ſuis re-
9 liſtentem, ait ſe de ſaxo Tarpejo praecipitaturum. Conſuli legibus
Agra-

Mox pro *voluit* eſt in *Boend.* *noluit*.

3 *Nullis inſignibus.*] Habent ſinguli magiſtratus inſignia ſua, de quibus lege *Feneſtellam* de Romanorum Magiſtratibus. MACH.

4 *Civitatum.*] *Appianus: Druſus vir illuſtris rogantibus Italis legem de civitate illis danda laturum ſe promiſerat.* IDEM. Imo jus civitatis iis tantum promiſit Druſus. ANNA.

Plebi agros.] *Inde populo ſubblandiens, plures colonias in Italia & Sicilia, quae jampridem decretae, nondum tamen conditae erant, deducere ſuaſit.* MACH.

Senatui judicia.] Quae penes Equites erant. ANNA.

Liberalitatis.] Ita omnes Editi, niſi quod *Piſiſcus libertatis*, vitio haud dubio Typothetarum. tamen ita Leid. ſec. & Fran. niſi velit quis de *libertate loquendi* intelligi, de qua *Cicero* lib. IX. ad Fam. Epiſt. XXII. Sed illud huic loco minus eſſet adcommodatum. ARNTZ.

5 *Praeter coelum & coenum.*] Qui *terram* hic ſcripſere, dicam audaciter, venuſtatem orationis corrupere, & gloſſemata dederunt, legunt quidam *praeter coelum & ſolum*, rectius. SCHOTTUS. *Florus. Extat vox ipſius, nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut coenum dividere vellet, aut coelum. Cicero* pro Rabirio: *execranda illa vox in libera Rep. M. Druſi: Nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut coenum dividere vellet, aut coelum.* ANNA. *Et terram* Agripp. pejus has voces non agnoſcit Haun. mutandum eſt nihil, nam uſitatam eſſe hanc paronomaſiam docet *Dausquius* Orthogr. tom. II. p. 88. *liquiſſe* uterque Lugd.

6 *Magulſam.*] *Maguduſam* libri veteres. SCHOTT. Hoc in hiſtoria me legiſſe non memini. ANNA. *Magulſum Gramm. Maguſſum* Leid. pr. *Boccho.*] Is *Salluſtio* auctore fuit Rex Mauritaniae. MACH.

Elephanto.] Elephas & elephantus utrumque declinatur: de quo animali *Plin.* lib. VIII. Naturalis Hiſtoriae perquire. IDEM.

7 *Adherbalem.*] Micipſae filium, de quo Jugurthinum *Salluſtii* conſule, is enim hunc & legitimos, Jugurtham vero nothum reliquit. ID. Regis Numidarum, quod mihi etiam ſuſpectum eſt. ANNA.

Domi ſuae ſumſit.] Agripp. excuſus: *domum ſuam ſumſit.* MSS. verius: *domi ſuae ſuppreſſet, redemtionem ejus occultam ſperans.* vulg. *occulte.* SCHOTT. *Suppreſſit* defendi poteſt ex illis, quae adtulit magnus *Gronovius* ad *Senec.* lib. III. de Ira cap. VIII. p. 108. Sed *ſumſit* praeferunt omnes MSS. & Editiones, nec ſenſus requirit, ut contra eorum auctoritatem quidquam introdamus. Sumſit enim domi ſuae, quia, ut notum, obſides in libera cuſtodia darentur principibus Viris. *occulte* Fran. *Gramm.* & Editiones. ARNTZ.

8 *Caepionem.*] Servilium *Caepionem*, qui equites aſſerebat. ANNA.

9 *Conſuli.*] Intelligo Metello; ſalvo ſemper meliori (ut ajunt) judicio. Nimirum variant ſaepe hiſtorici in nominibus, etſi in re conveniant. Quod his attribuit Druſo, *Plinius* lib. VII. Naturalis Hiſtoriae cap. XLIV. C. Atinio Labeoni tranſcribit his verbis: *In ipſo tamen flore dignationis ſuae a C. Atinio Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, Tribuno plebis, quem e Senatu Cenſor ejecerat, revertens e campo meridiano tempore, vacuo foro & Capitolio ad Tarpejum a damnato ſuo, raptus, ut praecipitaretur.* Paullo inferius, *bonis inde etiam conſecratis; tanquam parum eſſet, faucium certe intortarum, expreſſique per aures ſanguinis poena exacta eſt.* MACH. Eſt in MSS. quibus ſi vel *Dominicus Machaneus*, vel *Philippus Pon-*

cherius

Agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis effluueret e naribus, quam ille, luxuriam exprobrans, muriam de turdis esse dicebat. Deinde ex gratia nimia in invidiam venit. 10 nam. 1

cherius usi fuissent, non ita turpiter hic hallucinati essent. Fuere enim Consules, ut puto, anno DCLXII. post *U. C. L. Marcius Philippus & Sex. Julius Caesar.* SCHOTT. Sed *Philippo* abest ab omnibus Script. & Editt. In contextum receperat *Schottus*. Sed ejus Editio hic & alibi saepe mihi videtur liberalior, quam par est.

Obtorsit.] Per Viatorem hoc factum fuisse ait *Florus:* alii per Drusi clientem. ANNA. *Intorsit Gramm.* & Edit. Agripp. & Ven. Vide *Turnebum* lib. XXVIII. Adv. cap. XXXIV.

Effluueret.] Pro *effluueret* scripti codices *effunderetur*. Nihil tamen demuto. SCHOTT. *Not. Min. Effuderetur* Fran. reliqui nihil variant, nisi quod *de naribus* scribant Haun. & Leid. sec. *Ovidius* lib. VI. Met. vers. 669.

- - - Neque adhuc de pectore caedis
Effluxere notae.

ARNTZ.

Morti jam detrudi se dicebat.] Consonant huic & *Plinianae* haec verba: *aegre Tribuno, qui intercederet, reperto, a limine ipso mortis revocatus, actieno postea vixit beneficio.* MACH. Egregie hunc locum restitui, nisi fallor, e vestigiis MSS. Veram lectionem odoratus, in quibus repperi: *quem ille luxuriam exprobrans* (alii *opprobrans*) *muriam de turdis esse dicebat.* &c. Ubi fortasse, *ad quem ille* legendum videatur. Parisinus Codex vetus: *quae illa luxuria exprobrans morti autem detur dixisse dicebat.* Si quis ductus litterarum sequatur, dicet me veram lectionem eruisse, sensumque assequutum. Hoc enim vult. Cum mulus e naribus sanguis effluueret, *exprobrasse* Philippo Consuli Livium, non a se, sed *a turdorum sanguine suffocatum* esse: erat enim *luxuriae* deditus. *Turdos* autem in deliciis ponunt popinae artifices, ut *Apicii*, & *Martialis*. De *Muria* nos pluribus in Observationum libris. Nam quae hic interpretes de divinatione, morte jam imminente, & Cygnea cantione sunt commenti, meri λόγοι videntur. SCHOTT. Contaminatus locus si quis alius foedis Harpijarum unguibus. MSS. duo D. *Victorii* & *Franc. Pithoei: quae illa luxuria exprobrans mori aut detur dixisse dicebat.* Corrupte, propius tamen ad veram lectionem, quam in optimo exemplari *Theodori Pulmanni* reperi: *quem* (vel *quam*) *ille luxuriam opprobrans muriam de turdis esse dicebat*; Quam ego germanam lectionem esse Jovem lapidem jurare ausim. Vulgata certe ferri non potest. Et injuriam fecere *Schotti* Duacensis Typographi operae, quae *injuriam* excuderunt; pro *muriam*. De muria & Garo Sociorum, *Plinius*, *Columella*, *Athenaeus*, *Pollux*, alii. de turdis *Martialis* & popinae Professores *Apicii*. Mox *ex gratia nimia in invid. Pithoei* vero: *deinde ex gratia invidia. Nam.* De his judicet S. P. Q. litteratus. SCHOTT. *Not. Min.* Utramque notam adponere maluimus, cum altera alteram illustrat, nec poenitebit inspexisse eumdem *Schottum*, ut pateat quantopere sibi hac in emendatione placuerit, lib. III. Observ. cap. V. Omnes corrupti hic erant libri, quorum tamen varietatem, si quis melius quid queat adferre, adscribam. *Exprobans mori autem detur dixisse dicebat.* Fran. *Gramm.* uterque Leid. & Haun. nisi quod pro *mori*, in *Grammii* Codice *morti* supposuerat alia manus. *mōi aūt detur dixisse dicebat Boend.* sed Correctores primam vocem in *mōti* mutaverant. *Illa luxuria exprobrans morti cum detrudi se dicebat.* Agripp. & Ven. *Ille luxuria comprobrans morti jam detrudi se dicebat* reliquae Editiones. Ego lubentissime amplector, quam ex suis Codicibus lectionem protulit Erud. *Schottus*. Haec enim muria rubro & sanguineo erat colore, quoniam ex sanguine conficeretur. *Martialis* lib. IV. Epigr. LXXXIX.

Antipolitano nec quae de sanguine thynni
Testa rubet, nec quae coccina parva gerit.

Et *Manilius* lib. V. vers. 671.

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Evomit, & mixto gustum sale temperat oris.

Sed movere posset aliquem testimonium *Persii*, qui *muriam* inter viliorum cibos recenset, & *turdis* opponit, ut adeo luxuriae indicium esse nequeat Sat. VI. vers. 20.

Tinguat olus siccum muria vasor in calice emto,
Ipse sacrum inrorans patinae piper: hic bona mente
Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, uter.
Nec Rhombos idco libertis ponere lautus,
Nec tenuem soleas turdorum mosse saliuam.

Verum recte monuit ad eum locum Eruditorum princeps *Casaubonus* duplicem esse *Muriam*. unam tenuiorum, aquam sc. salsam, in qua cibus servabatur vel macerabatur, alteram beatorum hominum, quae fiebat ex sanie Thynnorum. Qua-

nam plebs acceptis agris gaudebat; expulsi dolebant. Equites in Senatu lecti laetabantur; [sed praeteriti quaerebantur] Senatus permissis judiciis exsultabat; sed societatem cum Equitibus aegre fere-
11 bat. Unde Livius anxius, ut Latinorum postulata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in publico concidit, sive morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine semianimis domum re-
12 latus. Vota pro illo per Italiam publice suscepta sunt. Et cum Latini

re fortasse apud *Persium* per *Salivam* intelligenda est *muria*, qua conditi erat *turdi*. Alia ratione exponit *Casaub.* cujus sententiam non rejicio, notum tamen est, *salivam* de omni humore & succo dici. Porro de *Muria* vide *Turnebum* lib. XVII. cap. XVI. *Cujacium* lib. IX. Obs. cap. IX. *Gothofredum* ad l. 3. §. 1. ff. de Penu Leg. *Taubmannum* ad *Plautum* Poen. Act. I. Sc. II. vers. 32. & *Vossium* Etym. voce *Muriatica*. Mox *idem ex gratia* ediderat *Schottus* contra omnes MSS. & Editt. nos veterem lectionem revocavimus. ARNTZEN.

10 *Plebs gaudebat.*] Solus populus coloniarum deductione laetabatur, in hac tum colonis agri dividebantur. MACH.

Equites lecti.] Aptior vetus lectio: *Equites in Senatum lecti laetabantur, sed praeteriti quaerebantur*. Eximie. Sunt enim, si animadvertas, quasi opposita: *gaudebant, dolebant: laetari, queri: exsultare, aegrè ferre*. Ergo in vulgatis male desideratur comma. SCHOTT. Hoc certe valde suspectum est, neque adduci possum, ut credam, *equites*, quae judicia ipsi possidebant, ea ad *senatum* aequa parte transmissa libenter vidisse. ANN. *In Senatum* rejicit Fran. & *Gramm.* cum Editis. *in Senatum* Haun. *in Senatu* uterque Leid. & *Boend.* quomodo locutus & *Cicero* lib. VI. ad Famil. Epist. XVIII. *Qui hodie Haruspicinam facerent, in Senatu Romae legerentur*. Neque enim ibi *Lambinum* hanc lectionem loco movere conantem sequor. *Festus* in *Praeteriti: Optimum quemque curiatim in Senatu legerent*. sup. cap. XXXIV. *Libertinos quoque in Senatum legit*. ubi monet *Schottus* in suis esse *e Senatu*. fuerat fortasse *in Senatu*. ARNTZ.

Praeteriti.] Dicebantur ii, quorum nomina Censores in recitando *praeterierant*. ANN. Hae voces a MSS. & Editt. absunt, quare his uncis includi jussimus.

Societatem cum Equitibus.] *Appianus* de Bellis Civilibus: *Senatum vero & equites judiciorum causa, jampridem inter se dissidentes communi lege conjungere tentavit*. MACH. *Societatem Equites*. Leid. sec.

11 *Repente in publico concidit.*] De ejus morte ita *Appianus*. *Cum igitur circa vesperam multitudinem emitteret, subito se percussum esse conclamavit, vixque finito clamore, in terram decidit, repertus deinde sutoris gladius femori ejus infixus: eoque modo Drusus, & ipse Tribunus, occiditur*. MACHAN. Paullo supra *deservet* Fran. Mox *decidit* Leid. pr. & Fran. *cecidit* Haun. & Leid. sec.

Morbo comitiali.] Caduco, dicto quia comitia impediebat: si quis enim cecidisset, ea dirimebantur. MACH. De illo *Plinius* lib. XXV. cap. V. & *Agellius* lib. XVII. cap. XV. *Sueton.* de Caesare cap. XLV. SCHOTT. Librarius in *Boend.* & Editio *Machanei* non ferebat illud *seu*, pro quo *sive* reposuerat, cum sine dubio existimarit, minus recte has particulas *sive* & *seu* conjungi. Sed deceptus fuit. *Tibull.* lib. III. El. V. vers. 32.

Sive *erimus*, seu *nos fata fuisse velint*.

Eruditissimus quidem *Gatakerus* de Stylo N. Inst. cap. XIX. hic legit *sev erimus*. verum frustra. Ita enim idem Poëta lib. IV. El. I. vers. 66.

Sive *supra terras Phoebus* seu *curreret infra*.

Propertius lib. III. El. IX. vers. 71.

At tu sive *petes portus*, seu, *navita, linques*.

Catullus Carm. LXVIII. vers. 25.

Sive *quod impia mens caeco flagrabat amore*,
Seu *quod iners sterili semine natus erat*.

Virgilius lib. II. Aen. vers. 32.

Sive *dolo*, seu *jam Trojae sic fata manebant*.

Martialis lib. VI. Epigr. XCIV.

Sive *foris*, seu *cum coenat in urbe domi*.

Suetonius in Caes. cap. LXXIX. *Dolens* seu *parum prospere motam regni mentionem*, sive *ereptam sibi gloriam recusandi*. *Plinius* in Paneg. cap. XVI. Sive *interfuso mari*, seu *fluminibus immensis defenditur*. *Dictys Cret.* lib. VI. de Bell. Troj. cap. X. & alii. Vide diligentissimum *Cortium* ad *Sallustium* Catil. cap. XXXI. §. 6. ARNTZ.

Caprino sanguine.] De illo *Plinius* lib. XXVIII. cap. IX. extremo. Taurino extinctus Themistocles, auctor *Cornelius Nepos* Mox *in Albano monte, monte* ex antiquis redundat. SCHOTT.

12 *Suscepta.*] Corrupte *accepta* Fran. *Vell. Paterc.* lib. II. cap. XLVIII. §. 2. *Universa Italia*

vota

tini Consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit ut caveret, unde in Senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Invidia caedis apud Philippum, & Caepionem fuit.

vota *pro salute ejus, primo omnium civium*, suscepit. ad quem locum de talibus votis egere Viri Eruditi & Eleg. *Broukhusius* ad *Tibullum* lib. 1. El. v. vers. 10. *Plinius* in Paneg. cap. LXVII. §. 8. *Quaeso, immo & obtestor, ne unquam pro me* vota *invita* suscipiar. Adde *Lipsium* eod. loco §. 3. ARNTZ.

Latini Consulem interfecturi essent.] *Flor.* lib. III. c. XVIII. *Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Julius Caesar & Martius Philippus Consules inter sacra & aras immolarentur. Postquam id nefas proditione discussum est*, &c. Sed tunc Philippum admonere non potuit Drusus, quem anno superiori mortuum tabulae notant. ANNA.

13 *Caepionem.*] *Scipionem* Leid. pr. *Capionem* sec. Pro *corruit*, *torruit* Fran. ipsamque vocem delet Leid. sec.

CAPUT LXVII.

ARGUMENTUM.

Humili loco nascitur, consulatum adipiscitur, Jugurtham ante currum agit, Teutones & Cimbros vincit, deque illis triumphat, Appulejum Saturninum & Glauciam interimit, armis a Sulla victus in palude delitescit, inventus in carcerem conjicitur, navicula in Africam trajicit & exsulat, revocatus exercitum facit, & caesis inimicis injuriam ultus voluntaria morte decedit C. Marius Pater.

Cajus Marius septies Consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Metello in Numidia, criminando eum Consulatum adeptus, Jugurtham captum ante currum egit. In proximum annum Consul ultro factus, Cimbros in Gal-

1 *Septies Consul.*] Hoc, auguriis apparentibus, consulti responsum: ob nidum *septem* pullorum aquilae, quos in veste Marius detulerat. MACH.

Arpinas.] *Juvenalis:*

Arpinas alius Volscorum in monte solebat.

Fuit enim conterraneus *Tullianus*. IDEM. *Sed is natus & omnem pueritiam Arpini altus. Sallustius* in Jugurthino. *Arpinum* in Volscis. ANNA.

Legatus.] Primo militavit sub Scipione apud Numantiam, inde Tribunus militum sub Metello, in cujus domo ipse a pueritia, paterque ejus ministri fuerant, inde *legatus* in Africa. MACH. *Legatus* fuit A. U. C. 644. ANNA.

Criminando eum.] Nuntiabant enim milites Romanis per literas, nunquam finem habitura bella contra barbaros, nisi C. Marium Consulem crearent. His rebus vehementer Metellus angebatur. MACH. Criminose de bello, quod Metello commissum erat, loquebatur. *Si dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum: ab Imperatore consulto trahi, quod homo inanis & superbiae regiae, imperio nimis gauderet. Sallustius.* ANNA. *Eum* delent omnes excepto Leid. pr. transpositis vocibus legente: *eum criminando*, quae res fortasse causam dederit, ut haec vocula in aliis desideretur.

Consulatum adeptus.] An. U. 646. ANNA. *Est* addunt Leid. pr. & Haun.

Captum.] Per Bocchum Mauritaniae Regem & socerum, a quo gener Jugurtha traditus est Sullae Quaestori in eo bello, ac per eum ad Marium ductus est. MACH.

Ante currum egit.] An. U. C. 648. ANNA.

2 *Cimbros in Gallia.*] Malim ex historiae veri-

Gallia apud Aquas Sextias, Teutonas in Italia, in campo Raudio 3 vicit, deque his triumphavit. Usque sextum Consulatum per ordinem factus, Apulejum Saturninum Trib. plebis, & Glauciam Prae- 4 torem seditiosos ex Senatusconsulto interemit. Et cum Sulpicia rogatio-

tate, ita legere: *Teutones in Gallia a. A. S. Cimbros in Italia in c. C. vicit. Teutones* vulgati; MSS. fere *Teutones*, quo modo & in *Caesaris* Commentariis Gallicis scriptum repperi. SCHOTT. Populi sunt ad mare Germanicum. ANN. Neque dubitavit hujus etiam emendationis Gloriolam, quae est hominis vanitas, sibi vindicare *Keuchenius* ad *Frontinum* lib. 1. Strat. cap. 11. ex. 6. Recte ita conjecit *Schottus* ex historiae fide, tamen aliud volunt & Editiones omnes & Scripti, quos seqnor. Pro se ipse causlam dicat *Aurelius*, cujus errores emendare & boni veracisque Historici laudem adsignare non meum judico. Videtur hos quoque populos confundere *Eutrop.* lib. v. cap. 1. ubi confer *Glareanum*. Prius *Cimbros*, deinde *Teutonas* devictos memorat *Suetonius* Caes. cap. xi. *Lucanus* lib. 1. vers. 254. & *Vegetius* lib. III. de Re Mil. cap. x. *Teutones* uterque Leid. *Theutones* Fran. *Teutonas* Haun. *Gramm.* & Ant. Editiones. *Centorias Boend.* alii *Tentoni*. Utrumque rectum est. Confer *Vossium* ad *Caes.* lib. 11. Bell. Gall. cap. IV. §. 2. *Davis.* ad Eundem lib. 1. Bell. Gall. cap. XXXIII. §. 4. *Dausq.* in Orthogr. part. II. p. 311. *Ciacconium* ad *Melam* lib. III. cap. III. & *Iorven.* ad *Val. Max.* lib. VI. cap 2. ex. ext. 3. ARNTZ.

Aquas Sextias.] Alii *Sextiles* scribunt, coloniam Romanorum, ut *Ptolemaeus* scribit. MACHAN. *Aquas Sestias* Colonienfis habet, itaque dictas a *Sestio*, ait *Robortellus*, quem refellit *Sigonius* lib. 2. Emendat. cap. VI. SCHOTTUS. In Gallia Narbonensi ad mare. *Flor.* lib. III. cap. III. *Priorefque Theutonies sub ipsis Alpium radicibus assequutus Marius, in locum quem Aquas Sextias vocant, quo fidem Numinum! proelio oppressit.* ANNA.

Campo Raudio.] *Campo Claudio* quidam: *Gryphius Caudio*. Est enim ad Athesim Veronae fluvium pugna facta. *Plutarchus* aliter appellat. In MSS. nostris *Rhaudio* est, ut & *Paterculus* scribit. & in Hercule Prodicio omnis antiquitatis peritissimus *Stephanus Pighius*. In Mediolanensi, Parisino & Colonienfi *Savidio*. Utramque lectionem in *Annaei Flori* MSS. reperit *Vinetus*. SCHOTT. *Savidio* Haun. *Gramm. Boend.* (a manu secunda, cum antiqua lectio esset *Savido*.) & Priscae Editiones. *Sanidio* levi corruptela Fran. *Sanide* Leid. pr. *Claudio Aldus*, *Gryphius*, &c. In *Raudio* hodie cum *Schotto* consentiunt Viri Litterati inter quos *Cellarius* Geogr. Ant. lib. II. c. IX. p. 429. *Vossius* ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. XII. §. 5. & Cl. *Dukerus* ad *Florum* lib. III. c. III. §. 14. ARNTZ.

Triumphavit.] An. U. C. 652. ANNA.

3 *Sextes Consul.*] Sic scripsi, ut paullo ante, *septies Consul*, cum in quibusdam reperissem, *usque ad sexies Consul.* rustice & barbare: quod rursum ex numerorum compendiis enatum mendum: forte legerunt, *usque sexies Consul*, id est, assidue & ordine. vel sic: *usque ad VI. Consul.* pro *sextum consulatum*, quomodo melius alii habebant. In manuscriptis vero, *usque sextum Consulatum.* SCHOTT. Quinque ultimos consulatus per ordinem gessit ab anno U. 649. usque ad an. 653. inter primum & secundum tres anni intercesserunt. ANNA. *Usque sextum* (vel *ad sextum*) *Consulatum per* omnes scripti & Editiones, nec video causlam cur his invitis eam lectionem rejiciamus.

Appulejum tribunum plebis & Glauciam praetorem.] Nam ambos in Capitolium fugientes prosequutus fuit, fatigatos in potestatem suam redegit, illi fidei Mariauae se tradidere; postquam multa calliditate illorum saluti favere simulasset, nullo auxilio fuit: illi in forum profecti trucidantur. Ita *Appianus*, & *Plutarchus*. MACH. Per simplex *p* quatuor Codices, Haun. & Ven. Vide Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. III. cap. XII. §. 8. ibidemque addenda. & Dilig. *Fabric.* in Bibl. Lat. tom. I. p. 514. & tom. III. p. 34. *Saturninum* delebant quinque Scripti. *Saturninum* volebat *Gramm.* sed expressam lectionem admittunt omnes Editi. ARNTZ.

Ex Senatusconsulto.] Nam *Senatusconsultum* factum fuit, *viderent Consules ne quid detrimenti Respublica caperet.* ANNA.

4 *Sulpitia rogatione.*] *Plutarchus: Sulpicius homo temerarius Marium proconsulem contra Mithridatem declaravit. populus in duas partes divisus, partim Marium, partim Sullam ad principatum vocitabat.* MACH. Hanc tulit *Sulpicius* Tribunus plebis an. U. 665. ut exsules revocarentur & Marius adversus Mithridatem dux crearetur. ANN. Mox *Syllae* Leid pr. *Gramm.* & *Boenn. Sillam* Fran. male uterque. *Cortius* ad *Sallust.* Catil. cap. V. §. 6. & *Dausquius* Orthogr. part. II. p. 303.

Proxima-

gatione provinciam Sullae eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in palude latuit. Inventus, & in carcerem conjectus, inmissum 5 percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit, acceptaque navicula in Africam trajecit. ibi diu exsulavit. Mox Cinnana domina- 6 tione revocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit, caesisque inimicis injuriam ultus, septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

Provinciam.] Bellum adversus Mithridatem intellige, quod Syllae demandatum fuerat. ANNA.

Armis ab eo victus.] Vide *Florum* lib. III. c. XXI. EAD.

Minturnis.] *Juvenalis:*

Exsilium, carcer, Minturnarumque paludes.

MACH. *Minturnae* in Latio non longe a Formiis in ipso maris littore. ANNA. *Delituit* est in *Schotti* Editione *Plantiniana*, quomodo *Gellius* lib. XV. cap. XXII. *In fugam se proruplt, atque in palude proxima delituit.* & *Virgilius* lib. II. Aen. vers. 135.

Limosoque lacu per noctem obscurus in umbra
Delitui.

Quem locum verisimile fieri posset ante oculos habuisse Nostrum, cum *Servius* notet, *Virgilium* his verbis tetigisse historiam Marii. Non tamen recedendum putavi a consensu MSS. & Editt. qui *latuit* exprimunt. *Ovidius* lib. IV. ex Pont. Epist. III. vers. 47.

In coeno latuit Marius, cannaque palustri.

Et *Lucanus* lib. I. vers. 654.

Totaque diffuso latuisset in aequore tellus.

Seneca Contr. XVII. p. 242. *Minturnensis palus Exsulem Marium non hausit. Val. Max.* lib. VIII. cap. II. exem. 3. & *Fabric.* ad *Orosium* lib. V. cap. XIX. *in paludem* Fran. ARNTZ.

5 *In carcerem conjectus.*] Vide *Vellej.* lib. II. cap. XIX. ANNA.

Vultus auctoritate.] Qui exclamavit (vultus auctoritate deterritus) Marium occidere non posse. MACH.

Navicula.] Julii cujusdam. ID.

In Africam trajecit.] *Satiricus:*

Et mendicatus victa Carthagine panis.

ID. *Cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit. Vellejus.* ANNA.

6 *Cinnana dominatione.*] Exercitum contra patriam armavit, Octavium collegam interfecit. Principio igitur seditionum cum audisset Marius e Libya seditiones Consulum, Cinnam ab Octavio ejectum, & loco ejus Cornelium Merulam suffectum, sumptis quibusdam equitibus Africanis, & ex Italicis, Telamonem opidum venit; servos ad pileum vocavit: quadraginta naves armavit, sociumque se Octavio fecit. MACH. *Cinnana dominatione.* Hoc est *Cinnae consulatu.* Nam Cornelius Cinna Consul Marium revocavit. Vide quae apud *Florum* dicta sunt. ANNA. *Proscriptione* Leid. pr.

Ergastulis.] Ἐργάζομαι Latine est operor. Eadem loca *catastae* dicuntur. *Tibullus.*

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

MACH. *Ergastula* ubi servi vincti operabantur. ANNA.

Caesisque inimicis.] Longum esset referre crudelitatem Marianam, maxime in Lucio Crasso, & M. Antonio Oratoribus. MACH. Vide omnino *Florum* lib. III. cap. XXI. ANNA.

Voluntaria morte.] Historicus tradit Marium post coenam cum amicis deambulantem in sermonem de rebus gestis venisse: & a rerum primordiis incipieniem, semperque de fortuna disputantem, dixisse, non sanae mentis hominem esse, qui fortunae se committeret. post haec appellatis laeto vultu, qui aderant: cum per septem dies paullatim deficeret, diem suum obiit. MACH.

Decessit.] An. U. 666. Idibus Januariis. ANN.

CA-

CAPUT LXVIII.

ARGUMENTUM.

Consulatum invadit, inimicos trucidat & in Tiberim praecipitat, a Sulla obsens victus Praeneste refugit, & Pontio Telesino se jugulandum praebet C. Marius filius.

1 Cajus Marius filius viginti septem annorum Consulatum invasit;
2 quem honorem tam inmaturum mater flevit. Hic patri saevitia similis, curiam armatus obsedit, inimicos trucidavit, quorum
3 corpora in Tiberim praecipitavit. In apparatu belli, quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus, sub divo requievit; & absens victus, fugae, non pugnae interfuit. Prae-

1 *Filius.*] *Appianus* non illius septies Consulis Marii *filium*, sed ex fratre nepotem facit. SCHOTTUS. *Marii filius. Boend.*

Viginti quinque annorum.] MSS. codices XXVII. quomodo & *Appianus*, veriorque ea lectio: immutassem igitur vulgatam, nisi & *Liviani* brevi arii auctor lib. LXXXVI. ante vicesimum aetatis annum per vim creatum Consulem affirmaret: *Vellejus* vero XXVI. propius veritatem. SCHOTT. Palatini nostri firmant codices, in quibus XXVII. quomodo & *Appianus*. GRUT. *Vigenti septem* uterque Leid. *Boend.* Fran. & *Mach.* Editio *quatuordecim.* Haun. *annorum vigenti quinque Boend.* Confer quae adferuntur ad *Vellejum* lib. II. cap. XXVI. §. 1.

Invasit.] An. U. 671. ANNA.

Inmaturum.] Non enim ante XXX. annos sumebatur apud Romanos. *Appianus* tradit: *sequenti anno consules creati Papirius Carbo iterum, & Marius illius clarioris Marii affinis atque cognatus, septimum & vigesimum nondum egressus annum.* MACH.

Mater flevit.] Quia mortem filio peperit. ANN.

2 *Curiam armatus.*] *Tum Marius juvenis & Carbo consules, quasi desperata victoria, ne insulti perirent, in anteccssum sanguine Senatus sibi parentabant, obsessaque curia, sic de Senatu quasi de carcere, qui jugularentur, educti. Flor.* lib. III. cap. XXI. EAD.

3 *Belli.*] Hic *bellum* praelium interpretor. EAD. Deinde *parabat* Leid. pr.

Sacriportum.] Opidum est prope Praeneste: de quo *Lucanus:*

Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum.

Ubi a Sulla Marius hic fugatus fuit, antequam Sulla urbem occuparet: *Varro* quoque scribit *Sacriportum* locum esse intra urbem juxta Palatium. Ex auctore Bellorum Civilium: *juxta civitatem Marius castra metatus propius paullatim cessit: cum ad Sacriportum perveniisset, copias in praelium educit, acriterque ab eisdem pugnatur: finistra acie inclinante, quinque peditum cohortes, duae equitum, non expectata aliorum conversione, abjectis signis ad Sullam confugerunt, ac tum primum origo cladis emersit: interfectis quippe plurimis reliqui Praeneste fuga contendere, Sulla cum cursu insequente. Praenestini primos receperunt, appropinquante iisdem Sulla e diversa porta, & occlusa, Marium per fenestram funibus sustulerunt.* MACH.

Sub dio.] Ἀπὸ τοῦ Διὸς, id est, aëre: ὁ Ζεὺς, τοῦ Διὸς aërem significat. IDEM. *Sub dio.* Hoc est, sub coelo. *Ascon. Ped.* Verr. III. Vide *Festum* lib. IV. *sub divo* antiqui scripti libri. Jupiter pro aëre a veteribus usurpatus. *Horatius* I. Oda:

- - - Manet sub Jove frigido
Venator, tenerae conjugis immemor.

Veteres subjungebant & dicebant *sub dio coelo*, ut *Caper* annotat in Orthographia. SCHOTT. *Sub divo* etiam MSS. nostri, nisi quod solito errore Leid. pr. *clivo* & sec. *clivio.* Atque hanc lectionem ex optimis Codicibus solent praeferre Eruditi. *Torrentius* ad *Horat.* lib. II. Od. III. vers. 23. Comment. ad *Nepot.* Paus. cap. V. §. 2. *Gebhard.* ad Vitam Eumenis cap. V. §. 7. & Viri Docti ad *Suet.* Aug. cap. LXXXII. ubi eam lectionem confirmant excerpta *Vossiana.* Nuper ab hac sententia recessit & *sub dio* praetulit Doct. *Verburgius* ad *Cicer.* lib. I. in Verr. cap. XIX. sed iis rationibus, ut vel eodem modo tota vox *divus* e civitate Romana relegari posset. Et ibi tamen

etiam

Praeneſte confugit, ubi per Lucretium Oſellam obſeſſus, tentata per cuniculum fuga, cùm omnia ſepta intelligeret, jugulandum ſe Pontio Teleſino praebuit.

etiam contra ac in notis juſſerat Vir Erud. *ſuo dicto* in textu retinuerunt Librarii, nam ita legebatur in *Graeviano*. Ego utrumque poſſem admittere. Apud *Apulejum* reperio lib. IX. Met. p. 232. *Sub dio & in contecto concluſus ſtabulo.* ARNTZ.

Abſens victus.] Immo pugnae interfuit, ſed a Sulla fugatus. ANNA.

4 *Praeneſte.*] Dicitur ἀπὸ τῶν φηγῶν, id eſt, ilicibus & lenticis, ibi copioſis. MACH. *Praeneſte confugit.* Ant. libri ſcripti. Dixi in Papirio Cenſore cur ſine diphthongo urbem ſcripſerim. SCHOTT. Preneſte, quod ante praeſidiis firmaverat. ANNA. Ex MSS. hic nihil peti poteſt, quae diphthongos paſſim negligunt, quamvis infra cap. LXXV. §. 9. *Praeneſte* cum *ae* reperiatur in Leid. ſec. attamen *praeneſten* ſcribendum eſſe vidimus ad cap. XXXI. *confugit* utrerque Leid. Haun. Fran. & Editio *Machon.* alii *refugit* edidere. *Cicero* pro Sext. Roſc. cap. X. *De Amicorum cognatorumque ſententia Romam confugit.* & *Valerius Maximus* lib. I. cap. VII. exem. 7. *Caſſius, qui partes ejus ſecutus fuerat, Athenas confugit.* ARNTZ.

Oſſellam.] Alii *Oſellam*, verum *Aſellam* eſt in libris paene omnibus vel *Aſſellam*. Graeci tamen rerum Romanarum ſcriptores Ὄφιλλαν, ut *Plutarchus* in Sulla, & *Appianus* lib. I. ſcribunt: & quidam libri MSS. quare nihil muto. SCHOTTUS. *Oppugnationi autem Preneſtis ac Marii praefuerat Offella Lucretius; qui cum ante Marianarum fuiſſet partium, praetor ad Sullam transfugerat. Vellejus.* ANNA. Sic hodie malunt Viri Eruditi, & cognomen hoc eſſe Lucretiorum apparet in Faſtis variis locis. Apud nos *Affellam* Edit. Ven. Leid. pr. *Boend.* Fran. & *Gramm.* ubi tamen ſuperſcriptum erat *Aſellam*, uti erat in Leid. ſec. Haun. & Edit. *Mach. Aſellam* Agripp. Quam varie hac in voce lapſi fuerint Librarii vide ad *Vell. Paterculum* lib. II. c. XXVII. §. 6. & *Sigon.* ad *Livium* Epit. LXXXVIII. ARNTZ.

Cuniculus.] Eſt via ſubterranea, & animal habitationi huic ſolitum. *Martialis:*

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris:
Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.

MACH. Leid. ſec. *per clanculum* adeo ut omiſſa praepoſitione legi poſſet *clanculum* ſed nihil eſt mutandum ex *Appian.* lib. I. Bell. Civ. p. 681. &c.

Cum omnia.] Pro, *cum omnia ſepta intelligeret*, libri quidam MSS. *omnia ſepta intelligens.* SCHOTTUS.

Jugulandum.] *Appianus: Mario aggerem per cuniculos ingreſſo, nec multo poſt interempto manu propria, Lucretius abſcidit caput, & ad Sullam mittit.* Reliqua *Plutarchus:* quum in Preneſtina urbe obſideretur a Sulla, extrema omnia tentatus, ut evaderet, quum nullo modo effugere poſſet: ſe ipſum necavit. MACH. Paullo aliter hanc *Livii* Abbreviator; & *Oroſ.* lib. V. cap. XXI. Marium nimirum cum Pontio Theleſino fugae comite ſtricto utrimque gladio concurriſſe, quem cum occidiſſet, ſaucium a ſervo impetraſſe, ut ſe occideret. Vide & *Vellejum* lib. I. & *Junium Hadrianum* Animadv. lib. III cap. XII. SCHOTTUS.

Theleſino.] Scripti libri abſque ſpiritu *Teleſino.* SCHOTT. *Not. Min.* Minorem *Teleſinum* intellige. *Vellejus. Sunt qui ſua manu; ſunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Teleſino, una obſeſſo, & erumpente, occubuiſſe prodiderint.* ANNA.

Praebuit.] Leid. pr. *tradidit.* Eadem eſt varietas apud *Oroſium* in Codice MS. lib. V. cap. XII. *Ibique ne vivus caperetur, cervicem ſervo ſuo praebuit.* Illic namque in eo codice *tradidit* reperitur. Sed recepta lectio loco movenda non eſt. *Praebere ſe* dicuntur hi, qui ſua ſponte ſe morti obferunt. Idem *Oroſius* lib. V. cap. XXI. *Ipſe leviter vulneratus cervicem ſervo ſuo praebuit.* Epit. *Livii* LXXXIII. *Praebens cervicem, ut ſe interficeret. Seneca* Suas. VII. p. 43. *Praebentique immotam cervicem, caput praeciſum eſt.* lib. IV. contr. XXV. p. 304. *Miſerum ſtare ad praebendas cervices immotum.* Declamatio, quae falſo *Ciceroni* tribuitur, Anteq. iret in Exſil. cap. VIII. *Ore oppreſſo praebendas eſſe cervices. Valer. Max.* lib. V. cap. IX. exem. 4. *Ac jugulum feriendum praebuit.* & lib. VI. cap. VIII. exem. 3. *Servo ſuo cervices incidendas praebuit. Quinctil.* Decl. XI. cap. V. *Graſſatus aliquis eſt ferro, praebeat & ipſe cervices.* inſ. Noſter cap. LXXXII. §. 7. Hoc *dare cervices* dixit aliquoties *Cicero* & *Vellejus* lib. II. cap. LXIX. §. 2. Confer *Abramum* ad *Cicer.* pro Mil. cap. XI. *Juvenalis* Sat. V. fine

Praebebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his Epulis & tali dignus amico.

ARNTZ.

CAPUT LXIX.

ARGUMENTUM.

Rempublicam vastat, lege lata - - - urbe profugit, vocatis ad pileum servis adversarios vincit, saepius se consulem facit, & ab exercitu lapidibus occiditur L. Cornelius Cinna.

1 Lucius Cornelius Cinna flagitiosissimus, Rempublicam summa cru-
2 delitate vastavit. Primo consulatu legem de exsulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus, & honore privatus, urbe profugit, vocatisque ad pileum servis, adversarios vicit; Octa-
3 vium interfecit; Janiculum occupavit. Iterum & tertium Consu-
4 lem se ipse fecit. Quarto consulatu cum bellum contra Sullam pararet,

1 *Cinna.*] Abit a vulgata Leid. sec. & Haun. *Cornelius omnium flagitiosissimus* exprimentes, ut apud *Sallustium* Jugurtha cap. XIV. §. 2. *Homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus.* & *Justinum* lib. XLII. cap. IV. §. 16. *Ut sceleratissimus omnium, & ipse Phrahates nomine rex statueretur.* Sed *Cinna* omitti non debet, cum soleat Noster nomina integra exprimere in inirio capitum, quare posses supplere *Cornelius Cinna omnium flagitiosissimus.* At recepta lectio satis amplum per se huic homini exhibet testimonium. ARNTZ.

Rempublicam.] MSS. *rem publicam* duabus dictionibus, & mox pro *ferens*, *dedit* legunt. Collega autem Cinnae Cn. Octavius. SCHOTT.

Vestavit.] Cum novis civibus consentiens, veteribus conspirantibus cum Octavio. MACH.

2 *Primo consulatu.*] An. U. C. 666. ANNA.

Ad pileum.] Libertatis signum *Martialis*:

Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

Flamen dialis institutus Lucius Merula. MACH. Id est, ad libertatem. Erat enim libertatis insigne *pileus*, quem manumissi capitibus rasis induebant, teste *Nonio Marcello*, *Plautus* Amphitruone extrema Scena I.

- - - Quod ille faciat Juppiter.
Ut ego hic hodie raso capite calvus capiam pileum.

Utitur *Suetonius* in Tiberio cap IV. in Nerone c. LVII. & *Sex. Aurelius Victor* similiter in vita Neronis. *Val. Max.* lib. V. cap. XXI. de Q. Terentio Culeone. & lib. VIII. cap. VI. de C. Mario. *Livius* lib. XXXIV. Annalium. *Praebuerunt speciem triumphi capitibus rasis qui servitute exempti fuerant.* Videndus *Plutarchus* in Tito Flaminino, & *Appianus* in Mithradatico de Prusia loquens, & *Jacobus Raevardus* libro de Auctoritate Prudentum. Est apud me nummus aereus, in quo pilei forma apparet, cum hac inscriptione, LIBERTAS AUREA. Quin & Castorem & Pollucem Helenae fratres *pileatos* olim fingebant, quasi Graeciae liberatores. *Sextus* tamen *Pompejus* iis tanquam Laconibus, quibus *pileatis* pugnare mos erat, attribui *pileum* putat. SCHOTT.

Octavium interfecit.] Veniens Romam victor cum Mario, Carbone, Sertorio, praemissis ejus equitibus maxime Censorino, jussit Octavium interimi, qui caput abscissum detulit in forum & Rostris affixit. MACH.

Janiculum.] E septem collibus urbis, a Jano, de quo *Varro*. IDEM.

Occupavit.] Fugatis inde Octavii copiis. ANN.

3 *Iterum & tertium Consulem.*] *Et tertium* MSS. elegantius. SCHOTT. *Not. Min.* An. U. C. 667. & 668. ANNA.

4 *Quarto Consulatu.*] An. U. C. 669. EAD.

Contra Sullam.] Qui in Graeciam profectus erat. EAD.

Anconae.] In ejus formam habet portum. Cubitum Graeci ἀγκῶνα vocant. MACH. Quidam *Ancone* absque diphthongo scribunt: MSS. *Anchone.* Dicta autem a cubiti figura, qua jacet, auctor *Mela* lib. II. & *Plinius* lib. III. cap. XIII. SCHOTTUS. In Picenis ad mare Adriaticum. ANNA. *Ancone* quatuor etiam Scripti & Ed. Agripp. Non minus enim *Ancona*, quam Graecos imitati *Ancon* dicunt Latini, verum hoc magis poëticum. *Catull.* Carm. XXXVII. *Juvenalis* Sat. IV. vers. 40. Tamen ita *Cicero* lib. VII. ad Att.

raret, Anconae ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

Att. Ep. XI. & XVIII. Ἀνκὼν exprimunt Graeci, sed Noster solet esse rarissimus Graecorum imitator. ARNTZ.

Lapidibus.] *Appianus. Intelligentes milites eum Liburniam transire velle, recusabant. Cinna id moleste ferens, in concione eos veluti reprehensurus, advocavit. Illi ira accensi, mutuo auxilio futuri ad eum pervenere: lictorem etiam, quum per iter quoddam graderetur, & obvium verberibus affici juberet, miles quispiam adempta virga graviter percussit. Cinna comprehendi illum imperante omnium clamor adsequutus est: lapides enim in eum emissi; qui vero propiores aderant, exertis ensibus, Cinnam invasere: eoque modo, Consulatum adhuc gerens, interfectus est.* MACH.

CAPUT LXX.

ARGUMENTUM.

Consulem interficiendum legatus curat, Mithridatem Pergamo expellit, Ilium incendi jubet, militiae principes securi percutit, & semet occidit C. Flavius Fimbria.

Cajus Flavius Fimbria [saevissimus quippe Cinnae satelles] Valerio Flacco Consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curavit. Ipse correptis inperii insignibus, provinciam ingressus, Mithridatem Perga-

1 *C. Flavius.*] *Flavium Fimbriam* omneis paene libri, quos vidi, (vidi autem plurimos) paullo antiquiores appellant: adscribere igitur placuit assentientibus tabulis Capitolinis. SCHOTT. *P. Lavius.* Leid. pr. *C. Lavius.* sec. praenomen omittunt *Gramm. Boend.* & Fran. nil mutat Haun.

Saevissimus Q. C. satelles.] In Parisino haec asuerunt. In MSS. *saevissimus quippe satelles.* Lictores enim & *satellites* crudeli fere & agresti sunt ingenio. SCHOTT.

Consuli.] Anno U. C. 667. ANNA.

Simultas.] Odium latens dicitur. MACHAN. Nam ambo diversas partes sequebantur. ANNA.

Dimissus.] Male in Parisino abest. Thermus enim illi suffectus a L. Valerio Flacco, qui, Cinna jubente, Sullae ad bellum Mithradaticum successit. SCHOTT. Nullo hic jure *demisit* voluit Leid. sec. cum *dimittere* vox propria sit militiae. *Livius* lib. IV. cap. XXIX. lib. XXXIV. cap. XLIII. lib. XXXVI. cap. XXXIX. lib. XXXVIII. cap. XLIV. lib. XL. cap. XXVIII. *Suetonius* Caes. cap. XXVIII. §. 1. *Donatus* ad *Terent.* Eun. Act. IV. Sc. VII. vers. 44. & passim. Quare harum vocum usus non est confundendus, quem tamen saepius neglexere properantes Librarii, teste *Pierio* ad *Virg.* lib. III. Aen. vers. 535. *Gronov.* ad *Livium* lib. III. cap. XXXV. *Heins.* ad *Curt.* lib. V. cap. II. §. 2. *Cort.* ad *Sall.* Catil. cap. LV. §. 5. Vir doct. ad *Florum* lib. I. cap. XIII. §. 16. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. vers. 439. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. I. vers. 448. & lib. III. vers. 648. In Editionibus minus curatis *Cornelii Nepotis* Them. cap. VII. *demitterent* legitur loco *dimitterent.* Abest tamen hic *dimissus* a Codice *Gramm.* ARNTZ.

Ducem interficiendum.] *Plutarchus* in vita Sullae: Fimbria potissimum in caussa erat, qui quum alterius facinoris principem Flaccum obtruncasset, Mithradatis duces superans adversus eum tendebat. MACH.

2 *Insignibus.*] Lictoribus, & facibus. IDEM. *Signis* Leid. sec.

Provinciam.] Asiam. ANNA.

Mithridatem.] Vide *Livium* Epitome. LXXXIII. EAD. *Mithradatem* scripserat *Schottus*, cujus rei caussam reddit inf. cap. LXXVI. quod ita in nummis hoc nomen exprimatur. Verum illud est. Vi-

3 Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portae patuerunt, incendi jus-
sit, ubi Minervae templum inviolatum ſtetit, quod divina majeſtate
4 ſervatum nemo dubitavit. Ibidem Fimbria militiae principes ſecuri
percuſſit, mox a Sulla Pergami obſeſſus, corrupto exercitu deſertus
ſemet occidit.

de Illuſtr. *Spanhem.* de Uſu Num. Diſſ. VIII. p. 483. & *Harduinum.* Num. Urb. & Pop. p. 103. Sed hi omnes in Graecis urbibus ſunt cuſi, cum in omnibus ſcriptoribus Latinis aliam lectionem malunt Codices, quam etiam Noſtri confirmant. Conſer *Keuchen.* ad *Frontinum* lib. III. Strat. c. 1. ex 7. Cel. *Cortium* ad *Sall.* Catil. cap. XXXIX. §. 1. *Mithridates* editur apud *Polyaenum* Strat. lib. VIII. cap. IX. ex. 2. ARNTZ.

Pergamo.] In Phrygia majore e regione Lesbi. ANNA.

Expulit.] An. U. C. 669. EAD.

3 *Ilium.*] Trojam ter captam Hiſtorici ſcribunt, primo per Herculem, denegatis a Laomedonte equis, ob liberatam Heſionem: ſecundo per equum, machinam ab Epeo Graeco fabricatam. *Virgilius*:

Ipſe doli fabricator Epeus.

Tertio per Fimbriam: ut *Plutarchus* ſcribit in Vita Sertorii: quia in tumultu cadentibus equis porta claudi non valuit. Inſtauratum autem eſſe Ilium poſt urbem a Graecis deletam *Strabo* ac nonnulli alii atteſtantur. MACH. Intra undecimum ab obſidio diem Ilium occupavit. *Strabo.* lib. XIV. SCHOTT. *Ilium tardius belli ubi portae.* Fran. ceterum volentibus ſcripris & Edit. *patuerunt* dedimus, pro quo *patuerant Schottus*, quomodo frequenter peccatum in antiquis exemplaribus, ſed haec varietas in emendandis poëtis praeſertim uſu venit, quod ſerie exemplorum docuerat Nobil. *Heinſius* ad *Ovid.* Epiſt. VII. Her. verſ. 166. *Donatus* ad *Terent.* Eun. Prol. verſ. 20. *Pier.* & *Emmen.* ad *Virg.* Ecl. IV. verſ. 61. *Faber* ad *Phaedr.* lib. IV. fab. XIX. verſ. 16. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. V. verſ. 264. ARNTZ.

4 *Idem Fimbria militiae Principes.*] *Ibidem Fimbria militum pr.* eſt in antiquis. & mox *Pergami obſeſſus*, non *oppreſſus*, quod probo ex *Oroſio* lib. VI. cap. 11. SCHOTT. *Oppreſſus* uterque Leid. Fran. & ut videtur *Gramm.* & Haun. nihil enim de varietate monetur. Pejus *Princeps.* Fran. *Boend.* & uterque Leid. *Principem* Agripp.

Mox.] Eodem anno, nullo intermiſſo tempore. ANNA.

Corrupto exercitu.] Qui ad Sullam defecit. EAD.

Semet occidit.] Aſſeverante etiamnum *Plutarcho*: *tum Fimbriae milites e caſtris ſolis elapſi tumicis Sullanos amplexati ſunt familiariter, & operum adjutores ſe fecerunt, potiſſimam impertientes operam. eam conſpicatus Fimbria mutationem, cum, Sulla in gratiam redire poſſe deſperans, intra vallum ſibi necem conſcivit.* L. quoque *Florus* Epitome octogeſima tertia, Fimbriam Ilium cepiſſe, parumque abfuiſſe, quin Regem caperet, ſcribit, additque eum impetraſſe a ſervo, cervice praebita, ut ſe interficeret, quae curioſus lector animadvertere valebit. MACH. Et *Appianus* Bell. Mithr. p. 355. Fimbriam Palladium ibi inveniſſe Idem ſcribit. p. 346. & *Servius* ad *Virg.* lib. II. Aen. verſ. 166.

CAPUT LXXI.

ARGUMENTUM.

Primo mercenarius, deinde venator, latro, dux bellum ſumit, Claudium & Nigidium opprimit, pacem petit & bellum renovat, & a duobus ſatellitibus pecunia corruptis perimitur Viriathus Luſitanus.

1 Viriathus genere Luſitanus, ob paupertatem primo mercenarius,
deinde alacritate vector, audacia latro, ad poſtremum dux,
bel-

tiam adverſum Romanos ſumſit, eorumque Inperatorem Claudium Unimanum, dein C. Nigidium oppreſſit. Pacem a populo [2] maluit

1 *Viriatus.*] Vulgati: Ego vero aſpirationem extremae ſyllabae addidi, ſequutus libros noſtros ſcriptos, & monumenta antiquitatis: ſequutus & Graecam conſuetudinem. *Appianus* enim in Bello Hiſpanienſi Ουριαθος ſcribit. *Diodorus* vero lib. III. fragmentorum Ουριαρθος, ubi juſtitia ejus in praedae partitione commemoratur. ut & a *Cicerone* in Officiis. SCHOTT. *Viriachus*, *Viriatus*, *Viriacus* MSS. *Viriatus* etiam Editi. ſed alterum probant Viri docti. Cel. *Drakenb.* ad *Silium* lib. X. verſ. 220. Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. XVII. §. 15. *Oudend.* ad *Obſeq.* de Prod. cap. LXXXI. *Fabric.* ad *Oroſium* lib. V. cap. IV. & *Keuchen.* ad *Frontinum* lib. II. Strat. cap. V. ex. 7. *Viriathini* eſt in MS. apud *Sueton.* Galb. cap. III. §. 4. licet adſpirationem non agnoſcant Editi.

Luſitanus.] *Luſitania* autem a *luſibus* Bacchi dicta, ut *Plinius* ait. MACH. Luſitani Hiſpaniae populi ſupra Tagum fluvium. ANNA.

Mercenarius.] Libri melioris notae *mercennarius* duplici *nn.* SCHOTT.

Victor.] Coëgit me librorum MSS. conſenſus, ut *venator* reponerem: ſic enim ad unum omneis legebant: Typis vero ſcripti conſtanter, *vector*. *Venatorem Florus* diſertim & in Hiſtoriae Romanae compendio, & in *Livii* Epitoma LII. vocat. Verum, ut quod ſentio dicam, vulgata lectio ferri poteſt, ut ſit quaſi gradatio. Primo miles mercennarius & gregarius: mox *victor* ab hoſte ſaepe rediit alacritate pugnandi: deinde latrociniis ſe exercuit, opesque comparavit: tandem & juſtum duxit exercitum. Vulgatam etiam lectionem tuetur *Oroſ.* lib. V. cap. IV. *Poſtremo*, inquit, *exercitus praetorum & Conſulum Romanorum vincendo, fugando, ſubigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit.* Multos ex latronibus duces & Imperatores belli factos meminimus. Talis & climax apud Epitomarum Scriptores: *Ex paſtore venatore latro, ex latrone dux exercitus.* SCHOTTUS. *Flor.* lib. II. cap. XVII. *Caeterum Luſitanos Viriathus erexit vir calliditatis acerrimae, qui ex venatore latro, ex latrone ſubito Dux, atque Imperator, &, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniae Romulus.* Supra autem *alacritate* interpretor propter alacritatem corporis. Et hic alacritas eſt agilitas, velocitas. Sed non omittendum, quod olim Illuſtris *Salmaſius* notavit apud *Trebellium Pollionem* libros omnes pro *venator* habere *vector*. Quod poſtea imperiti homines corruperunt legendo *victor* & *venator*. *Vector* antiqua vox, id eſt bene valens, robuſtus, qui ſeſe pedibus vehit. Unde pro *venatore* quod opus ſit viribus maximis ad hoc opus. Sic apud Graecos παραβολος, qui eſt audax, etiam de venatore & confectore dici conſuevit. Eadem voce uſus eſt *Trebellius Pollio* in Gallienis: *Nam quum taurum ingentem in arenam miſiſſet, exiſſetque ad eum feriendum vector.* Item *Manilius*:

Et pacare metu ſylvas & vivere vector.

Ut indicat vetus ſcriptura *victor*. ANNA. Evolve *Salmaſ.* ad *Treb. Pollion.* Gallien. cap. XII. cujus ſententiam confirmant priſcae Editiones & Codices tantum non omnes, cum unus & alter *victor* legat, de quali mutatione vide *Berſman.* ad *Lucan.* lib. V. verſ. 581. Ceterum *Keuchen.* ad *Frontin.* lib. II. Strat. cap. V. ex. 7. per *latronem* intelligit, militem mercede conductum. Verum eſt, olim milites mercede conductos *Latrones* fuiſſe dictos, ut poſt *Scaligerum* docuit Doct. *Abram.* ad *Cicer.* pro Mil. cap. IV. Sed non ideo haec vox ubique eo ſenſu eſt exponenda. Mercenarius miles non fuit, cum ipſe ex Luſitania ortum duceret, & numquam mercede conductus, ſed ſemper *latro*, id eſt, praedator, inſidiator appellatur. *Livii* Epit. LII. *Florus* lib. II. c. XVII. §. 15. *Velleius* lib. II. cap. I. §. 3. *Oroſius* lib. V. cap. IV. & clarius id conſtat ex *Cicer.* lib. II. de Off. cap. XI. ARNTZ.

Claudium Unimanum.] Idem *Florus*: *Claudium Unimanum paene ad internecionem exercitus cecidit.* ANNA.

C. Nigidium.] *C. Vitidium* reponit *Lycoſthenes* ex *Livio*, *Oroſio* & *Eutropio*. *C. Vetilius* (ut vocat *Appianus* in Ibericis, vel M. ut *Liviana* Epitoma) ante Cl. Unimanum a Viriatho captus & interfectus eſt. *Livius*, *Diodorus*, *Appianus*, *Oroſius* fuga evaſiſſe ait. *Unimanum* quoque libri antiqui *Mumanum* & *Numanium* appellant. Vitioſe ni fallor. SCHOTT. Ignoro quis iſte fuerit *Nigidius*. Legunt viri docti *Vetidium*, qui praetor exercitu caeſo, vix Viriathi manus effugit. ANNA. *Nigidium* abſque ulla variatae in omnibus ſcript. & Editis. Nec *Vetidium* recipio, cum ille praeceſſerit, & ante Unimanum fuerit victus. Fortaſſe clades haec minoris fuit momenti, ut eam cum nomine ducis ſimul ſilentio involverit antiquitas. ARNTZ.

Oppreſſit.] De Praetoribus IV. caeſis vide *Appianum*, & *Florum* lib. II cap. 17. & *Epitomae* libri LII. SCHOTT. *Not. Min.*

2 *A Popilio.*] Locus haud dubie mendoſus,

maluit integer petere, quam victus; & cum alia dediſſet, & arma
3 retinerentur, bellum renovavit. Caepio cum vincere aliter non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriathum humo depoſi-

quales in hoc auctore animadverti plurimos, Scripſerat ille, *a pop. Rom.* factum eſt a corruptoribus *a Popilio*. O facinus indignum! ergone quod libet, licet? *Appianus* noſtram ſententiam confirmat. Sic enim Latine loquitur: *Viriathus eruptione facta exercitum Q. Fabii Serviliani proconſulis fratris Cn. Servilii Caepionis Conſulis ann.* DCXII. *fugavit: nec ſecunda fortuna elatus, cum beneſtam finiendi belli occaſionem oblatam intelligeret, pacem his conditionibus petiit, ut ipſe ſocius populi Romani eſſet: quique ſectam ſuam ſequuti eſſent: quae quisque haberet, teneret: quae a populo Romano pax confirmata eſt.* Amicus quidam meus mendum odoratus, pro *Popilio*, libris manuſcriptis deſtitutus emendabat *Quinctio Fabio Serviliano*. *M.* enim *Popilium* Laenatem tertio poſt anno DCXIV. Conſulem fuiſſe meminerat. Verum non longius a vera ſcriptura abeamus. Idem error in *Flori* Hiſtoriarum Manuſcriptis libro II. fuit: in quibus eſt *Pompilio* vel *Popilio* pro *Servilio Caepione*, qui Viriathum proditione interficiendum curavit. legendum enim ibi: *ſed a Servilio violata victoria eſt.* SCHOTT. Palatinus noſter unus etiam *a populo*, niſi quod non habeat *Romano*. In altero erat *a Popilio*. GRUT. *Schotti* emendatio placuit etiam Cel. *Graevio* ad *Florum* II. XVII. fin. *a Popilio* tamen *Bocnd.* Lcid. pr. Editio *Mach. Ald.* &c. *A populo.* quatuor reliqui, cum Agripp. & Veneta. Potuit Noſter *Populum* ſimpliciter accipere pro populo Romano, uti ſaepe Romani ſcriptores, ſi de rebus urbanis loquantur. ARNTZEN.

Et cum alia dediſſet, & arma retinerentur.] In MSS. *Et cum Italia deceſſiſſet & aurum peteretur.* Quam lectionem probarem, ſed in Italia Viriathum fuiſſe non puto: Fecit hanc pacem Q. Fabius Servilianus aequis conditionibus in Luſitania, cum Hiſpanias pro conſule adminiſtraret A. U. C. DCXII. Nec Viriathus bellum renovavit, ſed Caepio frater, & ſucceſſor Serviliani. DCXIII. *Cicero* II. Officiorum. *Multo majores opes* Viriathus *Luſitanus latro habuit, cui quidem etiam exercitus noſtri, imperatoresque ceſſerunt: quem C. Laelius, is qui ſapiens uſurpatur, Praetor fregit, & comminuit: ferocitatemque ejus ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet.* SCHOTT. Scribe: *cum alia dedidiſſet.* ANNA. MSS. *Schotti* hic error eſt apertus, quare melius tuentur receptam omnes vel Scripti vel Editi. Nec debuerat in *dediſſet* veram lectionem mutare Eruditiſſima Femina, immo tantum abeſt, ut ſi *dedidiſſent* legeretur, majori cum veroſimilitudine *dediſſent* reſtitui poſſet ex illa diſtinctione quam inter voces *dare* & *dedere* obſervavimus ſup. cap. XXIII. §. 2. *Dare* enim eſt, ſua bona, obſides, arma &c. offerre. *Caeſar* lib. II. Bell. Gall. cap. XXXV. §. 1. *Mitterentur legati ad Caeſarem, quae ſe obſides daturas, imperata facturas, pollicerentur.* lib. III. cap. 1. §. 4. *Miſſis ad eum undique legatis obſidibusque datis.* & eod. lib. cap. XVI. §. 5. *Amicitiam fecerant, obſides dederant.* & lib. VI. cap. IX. §. 7. *Si amplius obſidum velit, dare pollicentur.* Auctor lib. VIII. de Bell. Gall. cap. III. §. 5. *Civitates ſine ulla poena dediſſe obſides. Eutropius* lib. III. c. XXI. *Quinquaginta millia pondo darent. Juſtinus* lib. XXIV. cap. V. §. 3. *Niſi principes ſuos obſides dederint.* Alia ratione minus belle tentavit Eruditiſſ. *Valeſius Ammianum Marcellinum* lib. XIV. cap. XI. ſub fin. *Idem Mancinum poſt imperium dedit Numantinis.* reponens *dedidit*, quod in textum deinceps fuit admiſſum, ſed *dare* de hominibus etiam dici pro *dedere* eleganter obſervat Doct. *Daviſius* ad *Caeſarem* lib. III. Bell. Gall. cap. XI. §. 4. & Cl. *Cortius* ad *Salluſtium* Jug. cap. LXXV. §. 5. Et ſequentia verba, *arma retineventur*, veriora ſunt, quam ut ea ullo modo in dubium vocare debuerat Erudit. *Schottus.* Hoc enim addit, cum ceteroquin illi, qui a Romanis pacem impetrarent, debuerint arma tradere. Ex innumeris teſtimoniis, quibus haec res firmari poſſet, vide *Livium* XXV: XXIX. XXVIII: XXIV. XXIX: III. XXXIX: II. *Caeſar.* lib. II. Bell. Gall. cap. XIII. §. 1. cap. XV. §. 2. cap. XXXI. §. 3. cap. XXXII. §. 2. lib. III. cap. XXI. §. 3. lib. VII. cap. XI. §. 3. *Juſtinum* lib. I. cap. VII. §. 12. *Florum* lib. IV. cap. XII. §. 11. Sic victis populis arma & ferrum ablatum fuiſſe ex ſacris etiam litteris docuere alii. ARNTZ.

3 *Caepio.*] *Florus* Epit. LIV. *Viriathus a proditoribus conſilio Servilii Caepionis interemptus eſt, & ab ejus exercitu multum comploratus, ac nobiliſſime tumulatus.* MACH. Q. Servilius Caepio An. U. C. 613. ANNA. *Vincere eum* ediderat *Schottus.* Noſtri omnes cum Edit. aliter ſentiunt, nec pronomen addere res exigit.

Duos ſatellites.] *Appianus tres ſatellites* fuiſſe ſcribit, non *duos*. SCHOTT. *Not. Min.*

Humi.] Ergone convenit, ut non niſi *humi* pro-

positum peremerunt. Quae victoria, quia emta erat, a Senatu non 4 probata.

prostratus interficeretur? Apagesis cum illa lectione. Mediolanense exemplar *humo*, ubi quidam aspirationem forte adjecit, cum *vino* reperisset: In quibusdam vidi *rivo*. Praestare ausim; *vino* germanam esse hujus loci scripturam, quod a libris antiquis sit, & rei, qua de agitur, propria. *Vino* enim depositi dicti, qui ita *vino* obruti; ut ratio ipsa sua sede deturbetur, neque pes, neque manus satis suum officium faciat. Euclio ille *Plautinus* in Aulularia:

Ut me deponat vino, eam affectat quam.

Id est: hoc agit, ut me somno sepelit ebrium factum. *Nonius* pro alienare exponit: forte, pro alienata & perturbata mente reddere. *Adrianus Turnebus* tralationem ab oneribus deductam putat lib. XIV. Adversar. cap. XXIII. Forte eodem pertinet illud Curculione.

Propino magnum poculum, ille ebibit:
Caput deponit, condormiscit.

Idem Mostellaria:

Ecce autem hic deposivit caput & dormit: Suscita.

Appianus obdormientem interfectum ait: quare si quis ita legit, *qui humi depositum peremerunt*, non *perimerent*, non peccabit: auctorem enim quo se tueatur, habet *Appianum*. SCHOTT. *Vino* etiam Palatinus primus, non *humo*, adeo ut nihil veniat mutandum. GRUT. Etiam *vino* praefert Leid. sec. Fran. Agripp. & Ven. Sed non crediderim Auctorem nostrum imitari voluisse tales locutiones, quae scenae magis quam Historiae conveniant, quare etiam apud solum *Plautum* occurrit, ut aliae multae Metaphorae, in quibus ille suam sibi quaerebat elegantiam, quaeque in comoediis laudantur. Vide quae collegit *Taubm.* ad *Plaut.* Aul. III. VI. 39. & Casin. III. V. 15. Nec emendatio haec satis convenit narrationi *Appiani* de Bell. Hisp. p. 502. referentis, eum in armis quievisse, quo ad obeunda negotia promtior esset. Quare tueor, quod optimi Codices & Editiones malunt: *humo depositum*. De dormientibus quoque hoc verbum adhibet *Ovidius* lib. III. Am. El. V. vers. 20.

Cornigerum terrae deposuisse caput.

Lib. XI. Met. vers. 648.

- - - Rursus molli languore solutum
Deposuitque caput.

Hoc *Virgilius* Ecl. VI. vers. 14.

Silenum pueri somno videre jacentem.

Nec offendat *humo*, cum alii mallent in genitivo ponere, quod etiam velle videtur *Schottus*. Sed defendit idem *Ovidius* lib. III. Am. El. XI. vers. 10.

Ingenuum dura ponere corpus humo.

Lib. II. Art. vers. 524.

Persae, & immunda ponere corpus humo.

Et lib. X. Met. 556.

- - - Libet hoc requiescere tecum
Et requievit humo.

Adde lib. II. Art. vers. 238. & alibi. ARNTZ.

4 *A Senatu.*] Antiquo more omissa praepositione Leid. sec. scribit *Senatu non probata*, pro *Senatui*, quomodo tertium casum terminarunt etiam Antiqui. *Caesar* lib. I. Bell. Civ. cap. I. §. 2. *Senatu Reipublicaeque se non defuturum pollicetur. Gellius* lib. IV. Noct. Att. cap. XVI. *Sed non omnes concedunt in casu dativo* Senatui *magis dicendum, quam* Senatu. Inf. Epit. cap. XII. §. 3. *Gratulari se ait Senatu & populo.* est in Leid. Codice, pro quo etiam Editiones *Senatui*. *Frontinus* lib. III. Strat. cap. V. ex. 1. *Omnia victu necessaria in montes comportasse.* Sic habent MSS. *Scriverii* pro vulgato *victui*. Adde *Passer.* ad *Tibull.* lib. I. El. VIII. *Munck.* ad *Hyginum* Poët. Astron. lib. III. cap. XXVII. *Vossium* lib. IV. de Art. Gramm. cap. XVIII. *Ryckium* ad *Tacitum* lib. III. Ann. cap. XXX. *Rivium* & *Cortium* ad *Sall.* Jug. cap. VI. §. 1. Elegans autem est constructio *probare alicui. Cicer.* lib. I. ad Fam. Epist. VII. *Haec sententia sic & illi & nobis probabatur.* lib. VI. Epist. XII. *Quae facimus, ea optimo cuique probata esse cupimus. Ovidius* Epist. XVII. Her. vers. 125.

Contenta est oculis hominum mea forma probari.

Suetonius Tiber. cap. XLVII. *Nisi Senatui justas necessitatum causas probassent.* & *Tacitus* lib. I. Ann. cap. LXXV. *Probare causam Senatui jussit. Curtius* lib. VIII. cap. VIII. §. 5. *Hermolao Parricidarum supplicia non probari.* Et quae notarunt Viri Clarissimi *Burmannus* ad *Ovid.* lib. II. Am. El. II. vers. 33. & *Dukerus* ad *Flor.* lib. I. cap. XVIII. §. 16. Porro de ejus victoria vide *Grotium* in not. ad Jus Bell. & Pac. lib. III. cap. IV. §. 18. num. 4. ARNTZ.

CA-

CAPUT LXXII.

ARGUMENTUM.

Ex eloquentia gloriam pauper parit, in Hiſpania corniculo meret, in Sardinia ſtipendia facit, juri reddendo aedilis ſtudet, legem conſul fert, Decium praetorem jubet aſſurgere, Ligures & Gautiſcos domat, viam Aemiliam cenſor ſtruit, pontem Mulvium facit, Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam armat, ſocios & Latium ad arma ſe cogiſſe ſenex negat M. Aemilius Scaurus.

1 Marcus Aemilius Scaurus nobilis, pauper, nam pater ejus, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exer-
2 cuit. Ipſe primo dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret, ſed eloquentiae conſultus, ex ea gloriam peperit. Primo in Hiſpa-

1 *Scaurus.*] *Scauri* dicuntur, qui talos pedum tumentes, & exporrectos habent, in qua familia fuit Sullae privignus, qui theatrum temporarium fecit, in quo fuit ſcena miranda, de qua *Plinius* plura libro trigeſimo ſexto ait. Idem Scaurus in aedilitate tercentum ſexaginta columnas marmoreas in urbem invexit ad ſcenam erigendam. MACH. Unde *Horat.*

Scaurum pravis fultum male talis.

Sat. III. ANNA. *Titum Scaurum* eum appellat *Frontinus* lib. IV. cap. I. ex. 13. *Marcum* autem lib. IV. cap. III. ex. 13. Ut fortaſſe prioris loco praenomen corruperunt Librarii.

Carbonarium.] Quale ſolent ii qui bracteas attenuant. MACH. *Officium* libri Vet. & *Carbonum* quidam. Audio & *Petrum Ramum*, Lutetiae oratorem doctiſſimum & eloquentiſſimum, carbonario patre natum. Quod ideo retuli, ne ſtudioſus ſe ex infimis emergere poſſe diffidat; tametſi vilibus natus majoribus. Vide exempla ſimilia apud *Val. Max.* lib. III. cap. IV. SCHOTTUS. *Carbonarum* Lugd. pr. *Carbonum Gramm.*

2 *Peteret.*] Infinite MSS. *petere*, *facere*. SCHOTT. Infinitivum quoque exhibent uterque Leid. *Boend.* Fran. Ed. Agripp. & Ven. reliqui omnes receptam melius tuentur. Nam *dubitare*, ſi ſenſu deliberandi occurrat, ſecum habet verbum modi ſubjunctivi. *Nepos* Thraſ. cap. I. §. I. *Dubito*, *an hunc primum omnium ponam. Tacitus* lib. XIII. Ann. cap. L. *Dubitavit Nero*, *an cuncta veſtigalia omitti juberet.* & lib. IV. Hiſt. cap. LXIII. *An Coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent*, *dubitavere.* Et eodem modo, ac Noſter, omiſſa priori dubitandi particula *Juſtinus* lib. XXI. cap. II. §. 4. *Diu dubitavit*, *imperium deponeret*, *an bello reſiſteret.* Vide *Gronovium* Elegantiarum Patrem ad *Senecam* Suaſ. VI. De negligenda dubitatione in priori orationis parte, conſer *Ovidii* ſoſpitatores *Heinſium* & *Burmannum* ad Epiſt. XII. Her. verſ. 149. Cl. *Drak.* ad *Silium* lib. IV. verſ. 78. Comm. ad *Val. Maximum* lib. V. c. IV. exem. 6. & quae nos infra c. LXXIII. §. 5. Initio hujus paragraphi excepto ſolo *Boend.* omnes Codices *item* legunt, ut antiquiores Editiones cunctae *idem.* ARNTZ.

Argentariam.] Ac omnium metallorum candentes laminas. facta enim ligna in carbones redigunt ad fornaces. *Argentaria* eſt locus ubi foditur argentum: auraria ubi aurum. MACHAN. Id eſt, rei nummariae negotiationem. ANNA.

Conſultus.] MSS. *Conſultans.* Malo *conſultus*, *Horat.* lib. I. Oda. XXXIV.

Parcus Deorum cultor & infrequens
Inſanientis dum ſapientiae
Conſultus erro.

SCHOTT.

Gloriam.] Tentaveram olim, *gratiam*, quia in republica Rom. defendendis in judicio reis & infelicium miſeriis ſublevandis plebis favorem captabant, qua de re *Livius* lib. XXII. cap. XXVI. *Toga & forum placuere*, *proclamando pro ſordidis hominibus*, *cauſſisque adverſus rem & famam bonorum*, *primum in notitiam populi*, *deinde ad honores pervenit. Cicer.* lib. II. de Off. cap. XIX. *Quid enim* Eloquentia *praeſtabilius*, *vel admiratione audientium*, *vel ſpe indigentium*, *vel eorum*, *qui defenſi ſunt*, gratia. & Orat. pro Lege Manil. cap. I. *Gratia* autem proprie eſt aura illa popularis.

Caeſar

Hiſpania corniculum meruit; ſub Oreſte in Sardinia ſtipendia fecit. Aedilis, juri reddendo magis, quam muneri edendo ſtuduit. Praetor adverſus Jugurtham tamen ejus pecunia victus. Conſul legem de

Caeſar lib. I. Bell. Gall. cap. XVIII. §. 3. *Magna apud plebem propter liberalitatem gratia. Livius* lib. VI. cap. XXXIV. *Affinitas haud ſpreta gratiam Fabio ad vulgum quaeſierat. Salluſtius* Jug. cap. IV. §. 3. *Conviviis gratiam quaerere. Livius* lib. XXXIII. cap. XXII. *Cicero* pro Mur. cap. VIII. & XVIII. *Nepos* Att. cap. VI. §. 2. *Sueton.* Caeſ. cap. XIX. §. 1. *Pacati* Paneg. cap. VII. §. 2. Quare recte gloriam & gratiam diſtinguit alibi *Livius* lib. IV. cap. XII. *Poſtremo annonae quoque levatae haud inmeritam & gratiam & gloriam tulit.* Confunduntur haec duo ſaepiſſime a Librariis, qualia exempla invenies apud Nobil. *Heinſ.* ad *Ovid.* Epiſt. XXI. Her. verſ. 62. Cel. *Burm.* ad lib. III. ex Pont. Ep. II. verſ. 27. & Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. XIII. verſ. 664. ARNTZ.

Corniculum.] Sic Vulgati. *Corniculo*, auferendi caſu legit *Sigonius* lib. II. de Antiquo Jure Provinciarum. *Suetonius* in libro de Illuſtribus Grammaticis: *Orbilius*, inquit, *prima apparitura fecit magiſtratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Et *cornicularium* Tribuni militaris miniſtrum fuiſſe idem acute conjectat ex *Valerii Max.* lib. VI. cap. I. de pudicitia, & *Frontini* lib. III. Strategem. cap. XIV. Apud *Suetonium* quoque in Domitiano cap. XVII. *Clodianus Corniculariu*s quidam eſt. Vide ibi *Torrentium*, & *Turnebum* lib. V. cap. X. *Bapt. Pium* Annotat. poſter. cap. LXXVII. Vide *Aſconium Pedian.* Verrina III. Apud *Livium* vero extr. libro X. L. Papirius Curſor ſuos, ob rem fortiter geſtam, captamque Aquilloniam & Cominium coronis aureis, torquibus, armillis, & corniculis donat. Unde aliud quid eſſe colligere liceret, vulgatamque lectionem defendere, *corniculum meruit.* SCHOTT. *Corniculum* diminutivum a *cornu*: & ut in exercitu *cornu*, ſic in cohortibus tribuni militum *corniculum* dicitur. Ut qui *corniculo* merebant, *Cornicularii* dicebantur. In aliis codicibus legitur *corniculum meruit*, quae lectio defendi poteſt, nam ex *Livio* diſcimus cornicula fuiſſe inter donatica ornamenta militaria, ut torques, Phaleras, armillas. ANNA. *Corniculum* conſtanter omnes Editiones & ſcripti, niſi quod ab alia manu *curriculum* adponat *Gronn.* Ego antiquam ſcripturam non auſus ſum deſerere. Confer *Stewech.* ad *Veget.* lib. II. cap. VII. Corniculum videtur fuiſſe ornamentum galeae, non omnibus militibus commune, ſed quo ornabantur illi, qui res bene geſſerant. Hinc cornicularius honoratior miles, qui tale corniculum meruerat. Nota Elegantiſſimae *Annae* petita eſt a *Turnebo* lib. V. Adv. cap. X. ARNTZ.

Oreſte.] Sic Faſti ſcribunt, *L. Aurelius Oreſtes*, qui cum M. Aimilio Lepido Conſul fuit, anno U. C. DCXXVII. MSS. noſtri *Horneſte*, alii *Horeſte.* Et mox *Marſis* pro *Magis* vitioſe profecto. SCHOTT.

4 *Aedilis.*] Horum erant alii cereales, alii curam ludorum atque aedium habentes. In hoc magiſtratu ſumptuoſiſſimus fuit. MACH.

Juri reddendo.] Vide l. 1. D. de Aedilitio Edicto; & Inſtitut. de Jure Naturali Gentium & Civili. SCHOTT. *Not. Min.* Urbis & annonae curatores aediles erant, & de iis rebus omnibus, quae ad hoc pertinerent, *jus* dicebant. ANNA.

5 *Praetor adverſus Jugurtham pugnavit, tamen.*] Sic *Colinaeus*, in reliquis vulgatis *pugnavit* recte abeſt. *Jugurtha enim belli moram redimebat*, inquit, *Salluſtius.* MSS. omnes *Jugurthae adverſus tandem*, vere: Nonnulli *averſus. Legatus Calpurnio* ſcribendum ſuadet *Salluſtius.* Sic enim Jugurthino: *Calpurnius parato exercitu, legat ſibi homines nobiles, factioſos: quorum auctoritate, quae deliquiſſet, munita fore ſperabat: in queis fuit Scaurus*, &c. Poſt paullo: *Ubi Jugurtha pecunia per legatos tentare, bellique quod adminiſtrabat, aſperitatem oſtendere coepit animus aeger, avaritia facile converſus eſt. Caeterum ſocius & adminiſter omnium conſiliorum aſſumitur Scaurus: qui tametſi a principio plerisque ex factione ejus corruptis, acerrime Regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a bono boneſtoque in pravum abſtractus eſt.* Quo loco *tamen* pro *tandem* poſuit: quare nihil muto. Sic enim & *Nonius Marcellus* explicat ex III. Hiſtoriarum ejusdem *Salluſtii.* Idem *Salluſtius* diſerte ait C. Memmium Trib. plebis populum rogaſſe, uti L. Caſſius, qui eo anno praetor erat, ad Jugurtham mitteretur, eumque interpoſita fide publica, Romam deduceret: quo facilius indicio Regis, Scauri & reliquorum, quos pecuniae captae arceſſebant, delicta patefierent. SCHOTT. *Legatus Calpurnii Jugurthae adverſus: tandem ejus* ediderat ex Hiſtoriae veritate optimus *Schottus*, quod malo exemplo ſecuti erant reliqui. *Salluſt.* Jug. cap. XXVIII. Quid ſi Auctor vocem *praetoris* minus proprie adhibuerit, pro eo, qui Legatus erat. Sed potius inter non infrequentes *Aurelii* errores poſuerim.

Conſul.] An. U. C. 638. ANNA.

6 de sumtibus & libertinorum suffragiis tulit. P. Decium Praetorem transeunte ipso sedentem, jussit adsurgere, eique vestem scidit, sel-
7 lam concidit; ne quis ad eum in jus iret, edixit. Consul Ligures
8 & Gantiscos domuit, atque de his triumphavit. Censor viam Ae-
9 miliam stravit; Pontem Mulvium fecit. Tantumque auctoritate potuit, ut Opimium contra Gracchum; Marium contra Glauciam &
10 Saturninum privato consilio armaret. Idem filium suum, quia praesidium

Sumptibus.] Cupediis ganeae ne urgerentur, suffragiisque ingentibus dividerentur. MACH.

6 *Publium Decium Praetorem.*] Praenomen in Mediolanensi afuit. & pro *in jus iret*, conjuncte erat, *inviseret.* corrupte. SCHOTT.

Adsurgere.] Honoris gratia. MACH. Etiam *equo descendere* a lictoribus jubebantur. Exemplum apud *Val. Max.* lib. VIII. cap. v. Plura de hoc ritu *Justus Lipsius* noster in Electis disseruit. SCHOTT. Male *transeuntem ipso sedente* Leid. pr. *exsurgere.* Haun.

Sella.] Per ἀντίφρασιν, quasi *sedam* dixere, inde *subsellium.* MACH.

7 *Consul.*] Te *Consul* videtur abundare, nam de uno & eodem consulatu hic sermo est. ANN.

Ligures.] Reperi nuper apud *Lucium Florum* etiam trans Alpes incolere *Ligures*, quandoquidem inquit, *Transalpinos Ligures vicit.* MACH.

Gantiscos.] Alii *Canriscos*, manuscripti *Cauriscos.* In Volaterrano hi absunt, forte supra adscriptum glossema, quod finitimi sint Liguribus populi: post in textum per fas per nefas irrupit: Triumphi Capitolini de Liguribus tantum triumphasse Scaurum scribunt anno DCXXXVIII. post Romam conditam. SCHOTT. *Gantiscos* legere *Onuphrium* monuit *Ortelius* in Thes. voce *Gantisci*, hos eos esse, quos *Gentices* appellat *Avienus* eodem loco existimat. de vitio suspectum habet locum Erudit. *Pighius* tom. III. Ann. p. 103. Sed satis constat, *Victorem* in Epitome sua eos saepe secutos esse historicos, qui accuratissime & diligentissime minimas etiam res fuerunt prosecuti, qui cum ut reliqui hujus temporis scriptores hodie perierint, non statim omnia debemus rejicere, quae unus tantum reliquerit, praesertim si aliorum narrationi non adversetur, & si consipirent Codices cum Editionibus, quod certe hic faciunt, excepto solo Leid. qui *santifices* scribit. ARNTZ.

8 *Censor.*] An. U. C. 644. ANNA.

Viam.] De *viarum* nobilitate lege *Strabonem* libro quinto, ubi de Appia, Valeria & Latina loquitur. MACH. A MSS. est, & lucem adfert. SCHOTT. *Aemiliam* per Pisas, Lunam, Sabbatos, Dertonam usque pertinuit; nam alia fuit Aemilia Flaminiam excipiens. *Strab.* lib. v. ANNA. *Viam* abest a Fran. Haun. & antiquioribus Editis.

Mulvium.] Ab ipso post dictum Aemilium. *Juvenalis:*

Cum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons.

In via Flaminia, qui Mulvius dicebatur, erat distans ultra lapidem unum, de quo *Sallustius* in Catilinario: *ponto Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprendunt.* MACH. *Mulvium* MSS. scribunt per quintam vocalem, ut & in *Sallustii* libris scriptis vidi, a *M. Mulvio*, cujus apud *Ciceronem* mentio XIII. ad Atticum, & sic *Valer. Max.* lib. VIII. cap. I. ex veteribus libris restituendus. Quidam pontem Aemilium vocat. SCHOTT. *Emilium* Leid. sec. & Haun. *Milinum* Fran. *Milvium Boend. Gramm.* & Antiquae Edit. *Mulvium* Leid. pr. Eaedem varietates apud *Lactant.* de Persec. cap. XLIV. Var. Lect. ad *Eutropium* lib. VIII. cap. XVII. *Molvius* antique pro *Mulvius* Scholast. Juven. ad Sat. VIII. vers. 239. Confer Eruditam dissertationem *Nicolai de Nourry* ad *Lactant.* cap. XI. artic. 3. *Mulvium* tamen hodie praeferunt ex antiquis Lapidibus & veteribus libris, Graecorum auctoritate suffulti, qui Μόλβιον dicunt. Vide *Giphan.* in Collect. *Lucr.* voce *obsidere* & *Dausq.* part. II. Orthogr. p. 203. quosque laudarunt multiplicis lectionis viri *Dukerus* ad *Florum* lib. III. cap. XXIII. §. 6. & *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. XLV. §. 1. *Mulvium* etiam inf. in Epit. cap. XL. §. 7. exhibet Codex *Gudianus*, cujus excerpta pro ingenuo, quo est in promovendis litteris studio, ad me transmisit Erud. *Cortius.* Ita est in optimis Editionibus, *Martialis* lib. III. Epigr. XIV. & lib. IV. Epigr. LXIV. & *Livii* lib. XXXVII. cap. LI. ARNTZ.

9 *Opimium.*] Vide superius cap. XVII. ubi de Graccho, & reliquis tribunis. MACH.

Privato consilio.] Non puto Scaurum *privato consilio* Marium contra Glauciam & Saturninum armasse, sed Senatusconsulto quod ad eam rem factum fuit, *viderent consules ne quid detrimenti caperet Respublica.* ANNA. Vide *Cicer.* Orat. I.

in

fidium deſeruerat, in conſpectum ſuum vetuit accedere. Ille ob hoc dedecus mortem ſibi conſcivit. Scaurus ſenex cum a Vario Tribuno plebis argueretur, quaſi ſocios & Latium ad arma coëgiſſet, ad populum, ait: Varius Sucronenſis Aemilium Scaurum ait ſocios ad arma coëgiſſe, Scaurus negat, utri potius credendum putatis? 11

in Catil. cap. 11. & multos alios. Sed privato conſilio hic erit, quia ille privatus ſenatui auctor fuerit, ut tale Senatusconſultum fieret, quo tota Reſp. Coſſ. permitteretur. Turpi conſenſu Fran. *Boend.* Haun. Leid. pr. Agripp. & Ven. pro *Marium* ſcribunt *Variun*. Leid. ſec. *Varum*. Haun. etiam *Saturnum*. *Boend. Saturnium*. ARNTZ.

10 *Praeſidium*.] Quia loco juſſo hoſtis impetum non ſuſtinuerat. MACH. Pro *Idem*, *inde* eſt in Leid. ſec.

Vetuit.] *Vetavit* libri antiqui. SCHOTTUS. *Suum* omittit *Boend. vetavit* reſtituunt eodem modo Fran. *Gramm*. Agripp. & Ven. ſed utrumque male, quod docet *Frontinus*, apud quem tantum non eadem haec verba leguntur, lib. IV. Strateg. cap. 1. ex. 13. In conſpectum ſuum *venire* vetuit. *Adoleſcens verecundiae ignominia preſſus* mortem ſibi conſcivit. quare minus recte *acquiſivit* Leid. pr. ſupra *qui praeſidium* non abſurde Leid. ſec. quamvis recepta melius defenditur ex *Frontino* loco laud. qui *quod* dicit. ARNTZ.

11 *Socios*.] Conſoederatos populo Romano. MACH. *Valer*. lib. III. cap. VII. aliam cauſſam affert accuſati Scauri. SCHOTT. Unde bellum *ſociale*, quod & Latinum dictum eſt. ANN.

Ad populum.] Sic lego. MSS. omnes, *apud populum*. Sic & Pariſinus, Colonienſis, & Mediolanenſis. SCHOTT. *Ad Boend*. Agripp. & Ven. quomodo alibi mutari vidimus ſup. cap. LX. §. 2. Infra de Caeſar. cap. III. §. 8. *Egregia ad populum inter partes* (ſeu *patres*) *cum militibus geſſit*. *Cicero* pro Mil. cap. XV. *Privato Milone & reo ad populum, accuſante P. Clodio*. & lib. II. de Orat. cap. XII. *Mandata ſint exponenda aut in Senatu ab Imperatore, aut ad Imperatorem aut ad Regem, aut ad populum aliquem a Senatu*. *Livius* lib. XXVII. cap. X. *Iisque gratiae & in Senatu & ad populum actae*. Summus *Gronovius* lib. IV. Obſ. cap. VI. Nobil. *Heinſ.* ad *Ovidium* lib. IV. Faſt. verſ. 310. & quis non? Nec offendat, quod proxime haec particula praecedat, talia enim apud Noſtrum obvia, qui ad haſce minutias parum adtendit. Porro ea omnia *ad populum* usque *coëgiſſe* non adparent in Leid. ſec. ARNTZ.

Varius Sucronenſis.] Sic lego. Mediolanenſis: *Varius Veronenſis Aemilium Scaurum ait & ſocios arma coegiſſe*. non placet. *Aldinus* codex: *Surius Sucronenſis*, ſed oblitus ſe paullo ante Tribunum plebis *Varium* appellaſſe: ſequitur tamen eam lectionem *Lycoſthenes*, *Aſconium* arbitrum conſtituo, ſic enim ad illa *Ciceronis* pro M. Scauro. *Ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille Reipublicae proditionis eſt in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario Tribuno plebis non multo ante. Innixus* (inquit *Pedianus*) *anno* LXXII. *nobiliſſimis juvenibus proceſſit in forum: deinde accepto reſpondendi loco dixit: Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum principem Senatus ſocios in arma ait concitaſſe: M. Scaurus princeps Senatus negat: teſtis nemo eſt. Utri vos, Quirites, convenit credere? Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipſo etiam Tribuno dimitteretur*. Legendum igitur perſpicue, *Varius Sucronenſis*. *Sucrone* enim Hiſpaniae opido oriundus, non *Verona*, quae Italiae eſt. Exſtat in agro Valentino mentio *Variorum* familiae hac inſcriptione.

D. M.
L. VARIO PROCLO AN. XV.
VARIA PROCLA FILIO
PIENTISSIMO.

Abeſt autem hic lapis non longe a porta Sucronenſi, quae Valentia Sucronem ducebat, qua Saetabim ibatur, ut docet *Strabo*: ſive ſit *Sucro* opidum maritimum, quod nunc Culléra, cui proximum Suéca: in quo veſtigium nominis corrupti apparet: ſive ſit, quae nunc Alzira amphipolis Conteſtanorum: ambit enim illam fluvius Sucro. Eſt enim opidum hoc multis antiquitatis monumentis inſigne, nec procul a mari remotum. De Scauri paupertate, induſtria, ceteriſque ibidem *Aſconius*, *Cicero* pro Murena, & *Plutarch.* de Fortuna Rom. Vide & *Quinctil.* lib. V. cap. XII. Inſt. ubi & de Iphicratis ſimili dicto ex *Ariſtotele* lib. II. de Arte Dicendi non longe ab extremo. SCHOTT. *Surius Sucronenſis Ald.* & *Gryph. Varius Veronenſis* Agripp. Ven. *Machan.* omnesque ſcripti, excepto *Grammiano* Codice, qui veram ſcripturam viderut recipere, nulla enim varietas ad *Valerium Maximum* lib. III. cap. VII. exem. 8. & lib. VIII. cap. VI. §. 4. ARNTZ.

CAPUT LXXIII.

ARGUMENTUM.

Legem - - - - tribunus plebis fert, Glauciae ſellam concidit, quendam, qui ſe Tib. Gracchi filium fingeret, ſubornat, Siciliam - - - - novis colonis deſtinat, ut Glauciam conſulem faceret, Memmium competitorem necandum curat, a Mario in Capitolio obſidetur & in deditionem accipitur, in curiam fugiens lapidibus & tegulis interficitur L. Appulejus Saturninus.

1 Lucius Appulejus Saturninus, Tribunus plebis ſeditioſus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur; Intercedentem Baebi-
2 um collegam, facta per populum lapidatione ſubmovit. Glauciae Praetori, quod is eo die, quo ipſe concionem habebat, jus dicendo partem populi avocaſſet, ſellam concidit, ut magis popularis
3 videretur. Quendam libertini ordinis ſubornavit, qui ſe Tiberii
4 Gracchi filium fingeret. Ad hoc teſtimonium Sempronia ſoror Grac-

1 *Lucius Appulejus Saturnius.*] Adeundus *Florus* lib. III. cap. XVI. ANNA.

Veteranis.] Veterani dicebantur qui poſt vicena ſtipendia honeſtam miſſionem erant conſequuti. EAD.

Centena.] *Appianus* lib. primo: *quippe Appulejus legem tulit, tellurem omnem, quaecunque Romanorum ditioni ſubdita eſſet, fore dividendam, ea in provincia, quae Galatia appellabatur. Cimbri nempe Celtarum genus, eam occuparant, quam Marius recens illis ademptam, quaſi non ulterius ad Galatas ſpectaret, Romani juris fecerat.* MACH. *Centena* abeſt in Pariſino: lege videlicet juberi in ſingula capita incertum agrorum numerum attribui, ſed ut quisque merebatur. SCHOTT. *Centena*, abeſt & a *Gramm.* Fran. Agripp. & Ven. Sed durius quid ſonat, ſi *agri jugera* ſimpliciter ita ponantur, ut non adderetur numerus. Facilis eſt error, cum *centena* una littera *C* ſcribi ſoleat. ARNTZ.

Jugerum.] Seu *juger* ſpatium eſt centum & quadraginta pedum in longitudine, *Plinio* atteſtante. MACH.

In Africa.] Nam Galatia contermina Bithyniae in Aſia exiſtit, in qua diviſione *Appianus* ſentit. IDEM.

Per populum.] Quia inſtabat legis promulgatione populus. IDEM.

2 *Glauciae.*] *Appianus: non multo poſt Appulejus, ut Metelli ulciſceretur injuriam tribunatum petens Glauciam Praetorem obſervare coepit, Tribunorum electione praeſidentem.* IDEM.

Praetori.] Quem infra Appuleji *ſatellitem* vocat. ANNA.

Concionem habebat.] Orabat; de *concione* alias dictum. MACH.

Jus dicendo.] MSS. *jus dando.* SYLB. Et in margine Editionis ſuae *Schottus.* inf. cap. LXXV. *Praetor inter cives jus dixit. Livius* lib. XXIII. cap. XXXII. *Cicero* lib. XIII. ad Famil. Epiſt. XIV. *A Volcatio, qui Romae jus dicit. Sueton.* Caeſ. cap. XVI. §. 2. *Permanere in Magiſtratu & jus dicere auſus.* Et ita frequenter alii. *Jus dicendi* Leid. pr. *indigendo* Leid. ſec. ARNTZ.

Avocaſſet.] Removiſſet. MACH. Lege *avocaſſet* ex. MSS. Vulgati *advocaſſet*, non probo. SCHOTT. *Avocaſſet* jam olim edidit *Machon.* ceterae Editiones & ſex MSS. *advocaſſet.* Prior tamen lectio ſe etiam. adprobavit Erud. *Pighio* tom. III. Ann. p. 173.

Ut magis popularis.] Eo quod tam dolenter ferret a concione ſua avocatum fuiſſe populum. ANN. Niſi mavis: *concidit. Ut m. p. videretur, quendam.*

3 *Quendam.*] Nomine Quinctium. Vide ſupra Metello Numidico. EAD. *Subordinavit* Edit. *Mach.* & *Tiberii* delent *Gramm.* Agripp. & Ven.

4 *Sempronia - - -.*] MSS. *Sempronia ducta, nec* &c. Reliqua abſunt. SCHOTT. Ita certe *Gramm.*

Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut dedecus familiae agnoſceret. Saturninus Aulo Nonio competitore 5
interfecto Tribunus plebis refectus, Siciliam, Achajam, Macedoniam novis colonis deſtinavit, & aurum, dolo, an ſcelere? Caepionis partum, ad emtionem agrorum convertit. Aqua & igni inter- 6
dixit ei, qui in leges ſuas non juraſſet. Huic legi multis Nobili- 7
bus

Gramm. Fran. Agripp. & Ven. Mox *adduci* non legitur in Leid. pr. *adici* eſt in Fran. forte pro *allici*, ut *Dictys* Cret. lib. 1. cap. XVIII. *Neque pretio neque gratia allici potuit.* Sed recepta lectio loco movenda non eſt. *Cicero* Part. Orat. cap. XIV. *Si miſericordia impulſi, ſi praemio, ſi gratia adducti.* ARNTZ.

5 *Aulo Nonio.*] *Aulo Mummio* legendum e *Lucii Flori* Epitome libri LXIX. ubi ait: *Saturninus, adjuvante Mario, & per milites occiſo Aulo Mummio competitore Tribunus plebis per vim creatus.* MACH. *Aulo Nonio.* Sic emendo ex *Appiani* lib. 1. qui Νόνιον vocat: quamquam in vulgatis *Plutarchi* libris corrupte ὁ Ὄνιος φόνος pro ὁ Νόνιος legitur. & *Plutarchi* Mario, qui Αὔλον Νόνιον vocat: Epitoma *Livii* LXIX. & *Oroſ.* lib. V. cap. XVII. *Aulum Numium: Annium* vero *L. Annaeus Florus, Valerius Maximus A. Mumium* vel *Numium* lib. IX. c. VII. & Colonienſis noſter co dex. *A. Mummium* Mediolanenſe exemplum vetus & unus MSC. *A. Nummium* reliqui, *A. Numium.* Pariſ. alii *A. Munium.* Nam vulgata lectio *Aulo Memmio* ferri non poteſt, qui mox erat nominandus in tertio Tribunatu plebis Appuleji. SCHOTT. Palatinus primus *Numio*, ſecundus *Mumio.* Nihil incertius iſtius hominis nomine. Quibusdam enim etiam aliorum libris eſt, *Munius*, aliis *Mummius*, nonnullis *Nonius*, denique quibusdam *Numius.* ſed nec deſunt qui *Memmium* vocant. GRUT. *Aulio Mumio* Leid. pr. *Aulio Munio* Leid. ſec. *Aulo Nummio* Fran. *Aulo Mumio Boend.* Agripp. & Ven. *Aulo Mummio* Haun. & *Gramm. Aulo Memmio Ald.* & *Gryph. Aulio Mummio Mach.* In tanta varietate verum dicere difficile eſt, niſi *Mummium* retineamus, agnoſcentes inter ipſos ſcriptores diſſenſum, vel, quod praefero, *Aulo Nonio* admittamus cum Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. III. cap. XVI. §. 1. Eadem perturbatio eſt apud *Val. Max.* lib. IX. cap. VII. exem. 3. ubi confer. Commentatores. ARNTZ.

Interfecto.] *Appianus* fugientem in diverſorium interfectum eſſe ait. MACH. Mox *reſcitus* pro *refectus* quod fortaſſe non ſtatim rejiciendum, pro iterum creatus. *Sciſcere* enim proprium verbum de plebe Romana.

Colonis.] Habitatoribus: inde *coloniae* dictae. MACH.

Aurum.] Tholoſanum aurum intelligit, quod Servilius Caepio, vaſtato opido ex illius templis diripuit. An. U. 647. ANNA. Non eſt refingendum *aut dolo aut ſcelere*, quomodo eſt in Leid. pr. vel *dolo aut ſcelere*, ut *Boend. Gramm.* Agripp. & Ven. nec, *dolo ut ſcelere.* quae lectio eſt Leid. ſec. vindicavimus jam hujus lectionis veritatem ſup. cap. LXXII. §. 2. cum prima dubitandi particula omitti ſoleat. *Juſtinus* lib. XVI. cap. IV. §. 15. *Conſulant ſibi ipſi, jubeant abire ſe, an malint cauſſae populavis ſocium remanere. Petronius* Satyr. cap. XCI. *Ego te reliqui, an tu prodidiſti. Florus* lib. 1. cap. 1. §. 12. *Dubium clypeos an armillas. Sulpitius Severus* Hiſt. Sacr. lib. 1. cap. XXIX. §. 3. *Stupri injuria, an verecundia, parum definio.* Adde *Heinſ.* ad *Ovidium* lib. IV. Met. verſ. 436. & lib. II. Faſt. verſ. 394. *Drakenb.* ad *Silium* lib. IV. verſ. 78. *Cort.* ad *Sall.* Catil. cap. LII. §. 10. & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. V. verſ. 569. ARNTZ.

Caepionis.] De quo in ſuperiore capite vide. MACH. In excuſis antiquis *Scipionis*, non recte. Vide *Cornificium* lib. 1. Rhetoricorum ad Herennium, qui aliter haec narrat. Deinde *aquam & ignem interdixit ei* libri quidam ſcripti. SCHOTT.

6 *Aqua & igni interdixit.*] In exſilium miſit. MACH. *Aqua & igni interdicere*, formula qua Romani utebantur, cum quem mori juberent. ANNA. Voluit dicere, *in exſilium abire.*

7 *Huic legi.*] MSS. *Huic legi multi nobiles obrogantes cum tonuiſſet, & clamavet: jam inquit* &c. nominandi caſu. Pariſinus & Colonienſis: *Hac lege multi nobiles abrogantes, cum tonuiſſet, clamavit. Jam, inquit.* quare *obrogantibus* malim, & addo, *clamavit* addicente & Mediolanenſi. Quid ſi legamus; *quaſi tonuiſſet clamavit.* ex *Appiano.* Mox *quieſcentis* iidem libri. Tonare die ſereno prodigii loco habitum. *Homerus* Od. 1. *Virg.* lib. IX. Aen. *Audiit* &c. *Seneca* in Thyeſt. 248. SCHOTT. Varia etiam eſt noſtrorum Codicum ſcriptura. *Multi Nobiles abrogantes. Gramm. Multi Nobiles adrogantes.* Fran. *Multis Nob. a-*

bus abrogantibus cum tonuiſſet, clamavit: Jam, inquit, niſi quie-
8 ſcitis, grandinabit. Metellus Numidicus exſulare quam jurare ma-
9 luit. Saturninus tertio Tribunus Plebis refectus, ut ſatellitem ſuum Glauciam Praetorem faceret, Memmium competitorem ejus in campo

brogantibus Boend. Haun. *Mach. Ald. Gryph.* &c. *Multis volentibus arrogantiam cum tenuiſſet.* Leid. ſec. forte voluit intelligi *damnari* vel tale quid librarius. & *tenuiſſet* pro tenuiſſet cauſſam, ſed haec nihil ſunt. *tenuiſſet* tamen etiam legitur in Leid. pr. *Huic lege multi nobiles arrogantes.* Agripp. & Ven. Non video cauſſam, cur quidquam mutarem. *Abrogare* enim caſui tertio recte jungi vidimus ad cap. LXV. §. 5. Mox in *Boend. Jam niſi, inquit.* Non raro *inquit* poſt ſecundam vocem ponitur, ut apud *Hirtium* Bell. Alex. cap. XV. *Videris mihi, inquit, Caeſar, vereri. Livium* lib. XXVI. cap. XXXI. *Non adeo majeſtatis, inquit, populi Romani imperiique hujus oblitus ſum. Senec.* lib. IV. de Benef. cap. XXXIII. *Quid ſi, inquit, neſcis.* lib. V. cap. XXV. *Diis quoque, inquam, Homericus ille ſacerdos allegat officia.* Sed haec varietas ſuſpicionem injicit, *inquit* a ſciolo eſſe intruſam cum recte abeſſe poſſit, & ab aliis ſcriptoribus centies omittatur. *Sall.* Jug. c. LXIV. §. 2. *Livius* lib. XXVI. cap. XXVII. *Virg.* lib. III. Aen. verſ. 539. *Apulej.* lib. IV. Met. p. 145. *Plinius* lib. I. Epiſt. V. *Huic ſuppliciter (ut eſt cum timet abjectiſſimus) rogo mane videas Plinium domi.* Ubi male duo Bodlej. & unus, quem olim contuli, Codex interſerunt: *rogo, inquit, mane* contra morem *Plinii.* Sic enim paullo poſt: *Evigilaram, nuncius a Spurinna*, ubi iterum *ait* intrudit iniqua *Plinio* manus & aliis locis. Confer *Pricaeum* ad Act. Apoſt. cap. V. §. 9. Et Epiſt. Crit. contra Notas *Bentl.* in *Phaedr.* p. 28. fin. *Juſtin.* lib. XXXIV. cap. III. §. 6. *Senatum adiit, obſidemque ſe vivo fratre veniſſe*, quod ſuppleri debet, Senatum adiit, & inquit, obſidem ſe veniſſe, adeo ut amplectenda non ſit Summi *Grotii* emendatio lib. III. de Jur. Bell. & Pac. cap. III. §. 56. legentis: *obſidem inquiens ſe*; quare talem conſtructionem felicius defendit Erud. *Cortius* ad *Salluſt.* Jug. cap. LXXXI. §. 1. Offendunt autem in compendio conjunctae hae voces: *clamavit, inquit*, cum alterutrum tantum neceſſarium eſſet, quare priſcae Editiones vocem *clamavit* non admiſere, quae tamen in *Schotti* fuit Codicibus & a Noſtris confirmatur, niſi quod de Haun. & *Gramm.* illud pro certo dicere non audeam, cum nulla illic varietas annotetur. Quare hic conſenſus MSS. me coëgit, ut nunc alia ſentiam & utramque vocem audeam defendere. *Juſtinus* lib. I. cap. VIII. §. 13. *Caput Cyri amputatum in utrem humano ſanguine repletum conjici regina* jubet, *cum hac exprobratione, ſatia te*, inquit, *ſanguine* ubi illud *inquit* etiam ſuſpectum habet Doctiſſimus *Scheffer.* *Virgilius* lib. II. Aen. verſ. 76.

Ille haec depoſita tandem formidine fatur.
Cuncta equidem tibi rex (fuerit quodcunque) fatebor
Vera, inquit.

Et lib. V. verſ. 547.

Epytidem vocat, & fidam ſic fatur *ad aurem:*
Vade age, & Aſcanio, ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſque inſtruxit equorum
Ducat avo turmas & ſeſe oſtendat in armis
Dic, ait.

Ubi confer *Servium.* ARNTZ.

Niſi quieſcitis.] Vox imperioſiſſima, *quieſcite. Terentius, Plautus, Cicero.* ANNA.

8. *Metellus Numidicus exſulare quam jurare maluit.*] *Appianus. Metellus autem non ſolum juſjurandum renuit, ſed, ut prius inſtituerat, conſtante animo, & intempeſtivo adſtitit.* Ac paullo inferius. *Metellus bis de cauſſis urbe ejectus.* Profectus eſt autem teſte *Lucio Floro* Rhodum in ſpontaneum exſilium, ut alibi diximus. MACH.

9 *Tertio Tribunus.*] An. U. 653. ANNA.

Praetorem.] Adjeci *Conſulem* ex *Annaeo Floro*, *Appiano* lib. I. & *Oroſio* lib. V. cap. XVII. quem non recte *Lycoſthenes* intellexit: quae vox a ſciolis ſublata locum corrupit, & licet Praetor, non tamen Conſul factus eſt. *Cicero* de Claris Oratoribus. SCHOTT. *Florus: Quippe ut ſatellitem furoris ſui Glauciam conſulem faceret, Cajum Memmium competitorem interfici juſſit.* ANNA. *Conſulem* non habent MSS. neque ulla Editio ante *Schottum*, quare cum ipſius *Victoris* poſſit eſſe error, qui ſaepe in nominibus *Praetorum* & *Conſulum* non eſt accuratiſſimus, ſequor Codices ſcriptos, & conſenſum Editorum.

Mummium.] *Appianus. Sed, cum Munius dignior exiſteret, veriti illum Glaucia & Appulejus, nonnullos ad eum cum lignis in ipſa electione praemittunt, qui Mumium ſpectantibus cunctis, interfecere. Florus: Cajum Mumium candidatum conſulatus, quem maxime actionibus ſuis adverſarium timebat, interemit.* MACH. *Mummium* competitorem

10 Martio necandum curavit. Marius Senatusconsulto armatus, quo censeretur, darent operam Consules ne quid Respublica detrimenti caperet; Saturninum & Glauciam in Capitolium persequutus obsedit, maximoque astu incisis fistulis, in deditionem accepit; nec deditis fides servata. Glauciae fracta cervix. Appulejus cum in Curiam fugisset, lapidibus & tegulis desuper interfectus est. Caput

titorem ejus appello, non *Mummium*, ut vulgo scriptum vidi, defectus alioqui a libris MSS. qui legunt: *Numium competitorem suum.* SCHOTT. *Mumium & Mummium* omnes Editt. & MSS.

Campo Martio.] Ager Tarquiniorum ejectorum confiscatus *Livio* scribente Marti dicatus exstitit. MACH.

10 *Marius.*] Vide supra in Mario patre. ANNA.

Senatusconsulto.] *Appianus: Senatu eos iterum occidi mandante, turbatus Marius nonnullos armis instruxit, & tardante eo, alii aquarum fistulas, quae ad templum confluebant, incidunt.* MACH. Coss. erant C. Marius VI. & L. Valerius Flaccus, quibus Senatus Remp. dederat. *Cicero* Catil. I. & Philipp. VIII. Sed historiam pleniorem lege pro Rabirio perduellionis reo, *Orosio* V. XVII. *Fabric.* locus antea perturbato ordine scriptus. MSS. *quo censetur, dent operam.* Alii: *quo censeretur darent op. Coss.* Porro hoc *Senatusconsulto* difficillimo Reipublicae tempore, Consulibus plena imperii potestas tradebatur. *Cicero* Philipp. V. In Miloniana & alibi saepe. *Sallustius* in Catilinaria, & in fine orationis Philippi adversus Lepidum lib. I. Historiarum. *Caesar* lib. I. Belli Civilis initio, & lib. VII. Belli Gallici. *Asconius* in argumento Milonianae. Epitoma *Livii* lib. CIX. & *Vegetius* lib. III. cap. I. Rei Militaris, ubi legendum *Consules alter ambove* ex MSS. quae antiquitus his litteris notabantur. A. A. V. ut nuper *Ludovicus Carrio* in Antiquis Lectionibus docuit. [*Salus populi suprema lex esto. Cic.* III. de Legibus.] SCHOTT. *Censeretur* scripti omnes, nisi quod *censuerunt* Haun. *Censerentur* Agripp. & Ven. *censeretur Ald. Gryph.* & reliqui, quod in *censebatur* primus mutarat *Schottus*, nescio quo jure. Mox *detrimentum* male Fran. *Livius* lib. VI. cap. XIX. *Ne quid ex pernitiosis consiliis M. Manlii respublica* detrimenti *capiat.* Adde de ipso S. C. Eruditissimum *Wasse* ad *Sallustium* Catil. cap. XXX. & *Brisson.* lib. II. Form. p. 211. Eleganter igitur dicit tali Senatusconsulto *armatum* fuisse Marium, quomodo *Livius* lib. IV. cap. LIII. *Hoc decreto Consul armatus. Cicero* Orat. pro Milone cap. I. *Temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.* & Imperator Noster in Prooem. Inst. princ. *Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* Quae locutio neminem debuerat offendere. ARNTZEN.

In Capitolium persecutus.] *Quaestu, id est*, lamentatione. Unde subdit *Appianus: Saufejus templo ignem immisit, siti se moriturum autumans. Glaucia & Saturninus, Marium sibi auxilio adesse rati, se tradidere.* Non enim placet ut exponatur *quaestu* pro lucro, quia huic non convenit sententiae. MACH. MSS. pleniores: *in Capit. coëgit confugere: ibi eos persecutus obsedit, maximoque aestu*, non *astu* legunt quod tum, forte, anni tempus ad potum invitaret. Mediolanensis proxime accedebat: *maximo quaestu.* illudque adhaesit ex priori *maximoque. Gryphius* mox *in deditionem accepit*, MSS. *eos coëgit*, & *crura* Glauciae fracta dicunt non *cervicem.* de quibus quisque statuat. SCHOTT. *Quaestu* cuncta MSS. Editio Agripp. & Ven. Sed *Aldus, Gryphius* & sequentes nobis dederunt *astu*, quod laudo, si e codicibus veteribus sit depromtum, ceteroquin *quaestu* pro utilitate exponi posset. Sed illud malo. Illud *aestu* nimis est argutum. Ratio erroris apparet, quae in praecedenti Syllaba quaerenda est. Ceterum in reliquis verbis nulla est apud nos varietas, nisi quod pro *deditis* Leid. pr. praeferat *debita.* non placet. ARNTZ.

Fistulis.] Canalibus, quibus aqua in Capitolium perducebatur. ANNA.

11 *Cum in Curiam fugisset.*] At *Floro* teste, *cum ducibus factionis in Curiam receptus est, ibi eum facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.* ANNA. *In frigiam* oscitanter Fran.

12 *Rabirius.*] *Ravirius* in MSS. *u* pro *b* positum, ut saepe in antiquis libris, & monumentis, ut *avitus* pro *habitus*, *aveo* pro *habeo*, *Favio* pro *Fabio*, & contra. Post Cicerone Consule anno DCXC. urbis conditae C. *Rabirius* accusatus fuit perduellionis a T. Labieno, cujus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicero eum defendit: oratio in manibus est, sed imperfecta. *Dio* lib. XXXVII. *Suetonius*, *Cicero* in Pisonem & in

put ejus Rabirius quidam Senator per convivia in ludibrium circumtulit.

in Oratore. *Paullus Orosius* lib. v. cap. XVII. SCHOTT. *Ravirius* Leid. sec. *Boend.* Agripp. & Ven. quae litterarum confusio maxime est pervulgata. Et si quis auctoritates desideret, juvat adscribere *Lipsium* lib. II. Var. Lect. cap. XXVIII. *Victor.* ad *Cicer.* lib. III. ad Famil. Epist. VIII. p. 151. *Grang.* ad *Juven.* Sat. III. vers. 168. *Bongars.* ad *Justinum* lib. V. cap. I. §. 4. *Rutgers.* Venus. Lect. cap. VI. p. 264. & cap. VIII. *Cleofan.* ad *Nasonem* lib. X. Met. vers. 114. *Freinsh.* ad *Curtium* lib. VII. cap. VI. §. II. *Gudium* ad *Phaedrum* lib. III. fab. XIII. vers. 10. *Munck.* ad *Albric.* de Deor. Imag. cap. VI. atque Eundem Epistola ad Nobil. *Heinsium* in Syll. Epist. Cl. *Burman.* tom. V. p. 366. Cel. *Sebulting.* ad ff. de Edendo th. XVIII. *Graev.* ad *Florum* lib. II. cap. XII. §. 5. & lib. IV. cap. XII. §. 49. *Drakenb.* ad *Silium* lib. I. vers. 621. & *Cort.* ad *Sallust.* Catil. cap. XXXV. §. 6. Pejus *Tabirius* Edit. *Mach. Rarius* Leid. pr. *Ranirius* Fran. sed hoc sine dubio erit pro *Ravirius*. ARNTZ.

Senator.] *Cicero* pro Rabirio, Equitem tantum dicit fuisse, non Senatorem. SCHOTTUS. *Not. Min.*

CAPUT LXXIV.

ARGUMENTUM.

Munus quaestorium dat, Ptolemaeum Sullae conciliat; Africam praetor regit, Cottam Chalcedone obsessum liberat, Cyzicum obsidio solvit, Mithridatem Ponto expellit, signorum & tabularum amore flagrat, & mente alienata desipit L. Licinius Lucullus.

1 Lucius Licinius Lucullus nobilis, disertus & dives, munus quaestorium amplissimum dedit. Mox per Murenam in Asia classem Mithri-

1 *Lucius Lucullus.*] In scriptis libris *L. Licinius Lucullus* est, ut & in Tabulis Capitolinis. SCHOTTUS. Ejus insignem laudationem vide apud *Cicer.* Academic. Quaest. lib. II. ANNA. Atque eodem modo in nostris MSS. & Editionibus ante *Aldum*, quare debuimus fugientem vocem revocare.

Disertus.] Quanta vero fuerit eloquentia, hinc arbitror posse perfacile judicari. *Ferunt enim Hortensium causidicum, & Sisenam Historicum ex joco in rem seriam, ut fit plerumque, conversos composuisse poëmata oratione Graeca pariterque Latina lingua proposita eo, quem dedisset sors, stylo, eaque lingua uterentur. Lucullus Marsicum cum scriberet bellum, obtigit ei sorte Graeca oratio, defluxit enim ad nos usque Marsici belli Historia Graeco sermone scripta.* MACH. Quare Sulla libros Commentariorum suorum XXII. illi dedicavit, emendutosque tradidit. *Plutarchus* prorsa Graece bellum scripsisse conjectat; quem vide. SCHOTT.

Dives.] *Horatius* libro primo epistolarum ad Numicium id ostendit:

- - - - *Chlamydes Lucullus, ut ajunt:*
Si posset centum scenae praebere rogatus,
Qui possum tot? ait, tamen & quaeram, & quot habebo,
Mittam, post paullo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum.

MACH.

Munus.] Ludum. IDEM.

Quaestorium.] Quale quaestores existentes agere solebant. IDEM. *Quaestiorum* Leid. pr. & *Gramm.* pejus *Equestrium Boend.*

2 *Mox per Murenam.*] Volve solers lector de his *Plutarchum* in Luculli vita, ne plura transcribere cogar. Quod enim *Aurelius* summatim; Historicus *Plutarchus* prolixius asserit, quendam adolescentulum collegam in Consulatu, qui legatus a Mithradate 60. naves cum omnibus militibus

Mithridatis, & Ptolemaeum Regem Alexandriae Conſuli Sullae conciliavit. Praetor Africam juſtiſſime rexit. Adverſus Mithridatem miſſus, collegam ſuum Cottam Chalcedone obſeſſum liberavit. Cyzicum obſidione ſolvit; Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumque regno ſuo, id eſt, Ponto expulit. Quem rurſum cum Tigrane 3 4 5 6

bus & quatuor militum, millia miſerat: MACH. Haec in MSS. partim *miniſter Murenae in Aſia*: partim *Miniſtro Murenae* leguntur, forte vitioſe pro *miniſterio Murenae*. Hanc autem lineam alteri poſtpoſui, ſalva ſententia; exigente id temporum ratione. SCHOTTUS. Scilicet dederat *Schottus*: *Ptolemaeum R. A. C. S. c. & mox per M. in A. C. M.* ideo, ne tempora confunderentur, quod fit, ſi ita verba leguntur, ut a nobis ſunt edita, ſed talia ſine MSS. tentari non debent, praeſertim in eo Auctore, qui temporum rationem non ita accurate obſervare ſolet. MSS. & Priſcae Editiones volunt id, quod edidimus. *Murenae* tamen pro *per Murenam* uterque Lugd. Et paullo aliter Haun. *Ampl. dedit duabus in Aſia claſſem Mith. per Muraenam & Ptolemaeum. Mox* hic idem erit quod *deinde*, adeo ut non neceſſe ſit hoc referre ad continuam temporis ſucceſſionem. l. 22. §. 4. ff. ad S. C. Trebell. l. 24. Quae in fraud. Cred. *Servius* ad *Virgil.* lib. 1. Georg. verſ. 24. & Cel. *Duker.* ad *Florum* lib. III. cap. x. §. 8. & cap. XIX. §. 2. ARNTZ.

Murenam.] L. Licinium Murenam. ANNA.

Claſſem.] Sc. *Syllae conciliavit.* Vide *Plutarchum* in Lucullo. EAD.

Sullae.] Sub quo primo meruit. MACH.

Conciliavit.] *Plutarchus* initio Luculli non conciliaſſe, ſed conciliare conatum non potuiſſe ſcribit. SCHOTT. *Not. Min.* Anno U. C. 665. ANNA.

3 *Praetor Africam.*] An. U. C. 676. EAD.

4 *Adverſus.*] *Adverſus Mithridatem Conſul miſſus* amplius eſt in MSS. SCHOTT. *Not. Min.* Anno U. C. 679. ANNA. *Conſul* abeſt ab Editis ante *Schottum* & omnibus Manu exaratis.

Cottam Chalcedoniae.] *Chalcedone* legendum, & ita MSS. recte, ſed *Cottiam* ſcribunt, non recte. Eſt enim M. Aurelius Cotta collega L. Licinii Luculli anno DCLXXIX. Sic enim *Eutropius*, *Appianus* in Mithradaticis & *Plutarchus* in Lucullo nominant. SCHOTTUS. *Chalcedon*, Bithyniae Urbs ad Boſphorum Thracium. ANNA.

5 *Cyzicum.*] Ponti urbem, quam Mithradates iratus Rex infeſtabat, quia x. naves contra ſe & tria hominum millia in Chalcedonicam pugnam miſerant. MACH. *Cyzicum obſidio ſolvit* ita b. f. ſcriptum reperi, quam lectionem utpote venuſtam immutare religio ſit. Vide quae in Tarquinium Superbum, & Quinctium Cincinnatum annotavimus. Quidam tamen Codices *Cyzicon* graeca deſinentia femin. gen. ſcribunt. SCHOTTUS. *Cyzicon* uterque Leid. & *Gramm.* cum quondam Editis. *Cicicon* Fran. *Cicion. Boend.* Qualiter *Ovidius* lib. 1. Triſt. El. x. verſ. 29.

Hincque Propontiacis haerentem Cyzicon oris,
Cyzicon, Haemoniae nobile gentis opus.

Melius tamen *Cyzicum* in proſae Scriptoribus praeferrem. *Cicero* lib. v. in Verr. cap. XLVIII. & lib. XIV. ad Fam. Epiſt. IV. Epit. *Livii* XCV. *Florus* lib. III. cap. v. §. 15. &c. Confer ſupra cap. LXIX. §. 4. *Obſidione* hic cum noſtris Codicibus retinuimus, uti ſuperius quoque locis a *Schotto* prolatis, ubi videri poteſt. ARNTZ.

Solvit.] An. U. C. 680. ANNA.

Mithridatis copias.] Dicam profecto quod *Plutarchus* in comparatione Cimonis & Luculli recenſet: *Caeterum poſt Lucullum quid egit Tigranes dignum memoria? quid Mithradates? quum is ſuperioribus cladibus obrutus, atque confractus, nec modo ſuas adverſus Pompejum copias extra vallum educere auſus fuerit, ſed ſolo fuga ſaluti conſulens in Boſphorum ſe recepit: Tigranes vero nudus atque inermis coram Pompejo ſupplex humi quum procubuiſſet; ſublatum propriis manibus e capite diadema ad illius pedes depoſuit.* MACH.

Afflixit.] *Subegit* Libri ſcripti & fortaſſe rectius. SCHOTT. An. U. C. 681. ANNA.

Eumque regno ſuo Ponto.] MSS. brevius: *eumque rurſum cum Tigrane Rege Armeniae venientem magna facilitate ſuperavit. Nimius in ambitu ſignorum & tabularum amore flagravit.* Retineo tamen *habitu* quod *Horatius Flaccus* lib. 1. Epiſt. ad Numicium profuſum & nimium Luculli habitum notet.

Ne ſueris hic tu? Chlamydes Lucullus (ut aiunt)

Si poſſet centum ſcenae praebere, rogatus, &c. Vide *Plutarchum* extremo Lucullo, ubi & *Horatii Flacci* meminit. ſed ducentas ſe habere chlamydes, inquit *Plutarchus*. *Horatius* quinque millia, poëticos. SCHOTT. *Habitu* Pall. MSS. non *ambitu* quod in aliorum Scriptis; deſtruiturque a *Plu-*

7 grane Rege Armeniae ſubveniente magna felicitate ſuperavit. Ni-
mius in habitu. Maxime ſignorum & tabularum amore flagravit.
8 Poſt cum alienata mente deſipere coepit, tutela ejus M. Lucullo
fratri permiſſa eſt.

tarchi Lucullo in fine, ut & *Horatii* Epiſt. VI. lib. I. verſu 40. quemadmodum annotarum quoque aliis. GRUT. Hic *habitum*, *veſtitum* interpretor, in quo nimium ac profuſum fuiſſe notum eſt. *Pontus* in Aſia notus eſt. ANNA. Placet quod in omnibus eſt Exemplaribus, excepto ſolo Leid. pr. ubi nihil de varietate in excerptis monetur, *ſuo Regno*, *id eſt*, *Ponto*. Quomodo jam ediderat Agripp. & Veneta; locutio uſitatiſſima veteribus, ſi rem clarius velint proponere. *Florus* lib. III. cap. III. §. 6. & *Duker.* ad Eundem lib. IV. cap. II. §. 15. Paſſim Erudit. *Cortius* ad Epiſtolas *Cicer.* l. 24. ff. de Ann. Leg. l. 7. §. 8. de Pactis. ſup. de Orig. Gent. cap. VI. §. 6. Inf. in Epit. & alibi. ARNTZ.

Expulit.] An. U. C. 682. ANNA.

6 *Superavit.*] An. U. C. 684. EAD.

7 *Signorum & tabularum.*] *Adeo, ut Xerxes Togatus a Tuberone diceretur: nam baſilicam, atque balneorum & deambulationum apparatus, picturas, ſtatuas omneque ejusmodi rerum ſtudium ad luxum arbitror referenda.* MACH. Paullo ſupra pro *nimius* legebat Haun. *nimis*, corrupte autem Leid. ſec. *minus*.

Alienata mente.] *Plutarchus. Ferunt, eum ſub mortem adverſa mentis valetudine captum paullatim contabuiſſe. Porro Cornelius Nepos non aetate mala, neque naturali morbo, ſed medicamentis a Callifthene quodam liberto ſuo corruptum in id incidiſſe prodit: Callifthenem vero ea ſibi medicamina propinaſſe. qui eum amatorium habuiſſe crediderat, Lucullumque tantum ab rationis uſu abfuiſſe, ut, vel eo vivente, omnis rei familiaris cura Marci fratris conſilio gubernata fuerit.* Equidem ex hoc teſtimonio, quum videam plerisque in locis *Cornelii Nepotis* fidem a *Plutarcho* citari, arbitror hunc omnino eſſe, quem interpretandum ſumpſimus, compilatumque ab aliquo, ut *Trogum* a *Juſtino*, quum alia citet e *Cornelio* Graecus Hiſtoricus: quae in eodem nunc non reperiantur. MACH. Fran. Leid. pr. & Haun. quibuscum facit Editio *Mach. aliena*.

Deſipere coepit.] *Coepiſſet* ſcripta lectio. *Plutarchus* hic *Cornelium Nepotem* laudat Auctorem, de quo in Fragmentis. Ceterum lege Laetoria cautum erat, ut iis, qui furioſi, vel prodigi eſſent, curatores darentur: qui eos circumſcripſiſſent, judicio publico tenerentur. *Cicero* III. de Nat. Deor. & Offic. III. *Capitolinus* in Antonino Philoſopho. De Lucullo quoque vide *Tertullianum* in Apologetic. cap. XI. SCHOTTUS. *Coepit* melius ex omnibus Scriptis & Editt. defenditur. De lege Laetoria vide *Cujacium* lib. XIX. Obſ. cap. XXXIII. Doctores ad §. 3. Inſt. de Curat. & ad *Caji* Inſtit. lib. I. tit. VIII. ARNTZ.

CAPUT LXXV.

ARGUMENTUM.

Parvulus a muliere obvia ſalutatur, Jugurtham in deditionem quaeſtor accipit, bello Cimbrico - - - operam legatus navat, jus dicit & Ciliciam Praetor habet, Samnites Hirpinosque ſuperat, Mario reſiſtit, Mithridatem conſul fudit, Archelaum vincit, Piraeeum recipit, Medos & Dardanos ſuperat, Carbonem Italia expellit, Marium filium & Teleſinum vincit, Felicem ſe appellat, proſcriptionis tabulas proponit, 9000 dedetorum caedit, ſacerdotum numerum auget, tribuniciam poteſtatem minuit, dictaturam deponit & phthiriaſi interit L. Cornelius Sulla.

Corne-

Cornelius Sulla in fortuna Felix dictus, cum parvulus a nutrice 1
ferretur, mulier obvia, Salve, inquit, puer tibi & Reipublicae tuae felix, & ſtatim quaelita quae haec dixiſſet, non potuit inveniri. Hic Quaeſtor Marii, Jugurtham a Boccho in deditionem 2
accepit. Bello Cimbrico & Teutonico legatus, bonam operam navavit. 3
Praetor inter cives jus dixit. Praetor Ciliciam provinciam 4
habuit. Bello ſociali Samnitas, Hirpinosque ſuperavit. Ne mo- 5
numenta 6

1 *Sulla.*] Scribo, non *Sylla:* auctoribus Capitolinis Lapidibus & Libris membraneis: tametſi *Cicero* in Oratore *Sylla* ſcribi & pronuntiari velle videatur. De ſignificatione *Sullae Plutarchus* in Coriolano: aliter *Sextus Pompejus* interpretatur. De *Sullae* autem origine *Salluſtius* in Jugurthino, quem locum citat *Servius* in VII. Aen. SCHOTTUS.

In fortuna.] *Plinius* Naturalis Hiſtoriae lib. VII. cap. XLIII. *Unus hominum ad hoc aevi foelicis ſibi cognomen aſſeruit, Lucius Sulla civili nempe ſanguine, ac patriae oppugnatione adeptus, etiam quibusdam foelicitatis inductus argumentis, quod proſcribendo tot millia civium trucidare potuiſſet. O prava interpretatio, & futuro tempore infoelix!* & filium Fauſtum, filiam Fauſtam inſolenter appellavit. MACHANEUS. *A Fortuna* Libri veteres melius quam *in fortuna. Plinius* lib. II. cap. LIV. & lib. VII. cap. XLIII. Sullae felicitatis oſtentum fulmine datum Auctor eſt. Quam temeritatem cum ſtultitia conjunctam reſellit *Tertullianus* Apologetici cap. XI. SCHOTT. *A fortuna*, id eſt, *propter fortunam.* Quare ſe Graece ἀπὸ τύχου dicebat, a jactu talorum venereo, quem feliciſſimum dicunt. ANNA. *In fortuna* tamen omnes Scripti & Editi, pro quamdiu felici uſus eſt fortuna, cum adſentatione familiari hoc nomen adquiſierit, quod tamen communi uſu receptum non fuit, cum fatis conceſſiſſet, adeoque voluit Auctor, praecipue hoc cognomen obtinuiſſe, cum viveret. Ad hanc felicitatem Sullae reſpicit *Livius* lib. XXX. cap. XLV. *Lucanus* lib. II. verſ. 582. *Lampridius* in Comm. cap. VIII. *Plutarchus* in Sulla p. 473. *Suidas* in Σύλλ. *Solinus* Polyh. cap. I. fine. *Florus* lib. III. cap. V. §. 2. Paneg. Incert. Conſtant. dict. cap. XX. §. 4. *Savaro* ad *Sidon. Apoll.* lib. II. Epiſt. XIII. p. 167. & Erud. *Cortius* ad *Sall.* Jug. cap. XCV. §. 4. Mox quoque ſcripſimus *haec dixiſſet* ex MSS. (excepto *Gramm.* qui cum *Schotto hoc* legit) & Editt. veteribus. ARNTZ.

2 *Quaeſtor Marii.*] An. U. C. 647. Conſules autem in provinciis Quaeſtores habebant, qui pecunias militares adminiſtrarent, ſibique ad miniſteria belli praeſto eſſent. ANNA.

A Boccho.] Rege Mauritaniae ſocero ipſius Jugurthae. Dubitavit autem barbarus, utrum Sullam Numidae, an Jugurtham Sullae traderet: tandem, *Salluſtio* & *Plutarcho* ſcribentibus, Jugurtham Sullae tradidit. MACH.

In deditionem accepit.] *Salluſtius* in fine Belli Jugurthini: *Jugurtha Sullae victus traditur, & ab eo ad Marium deductus.* ANNA.

3 *Bello Cimbrico.*] De quo ſuperius in Mario lege. MACH.

Legati.] In caſtris proviſores neceſſariorum dicuntur. IDEM.

4 *Praetor.*] An. U. C. 657. ANNA.

Praetor Ciliciam.] Imo poſt praeturam, non in *Ciliciam;* ſed in Cappadociam miſſus. Cilicia Aſiae regio ad mare Mediterraneum e regione Cypri. Cappadociae ſupra Ciliciam. EAD. Immo Cappadociae ex S. C. adjecta etiam erat *Ciliciae*, ut recte Erud. *Pighius* tom. III. Ann. p. 213.

5 *Bello ſociali.*] Quod initium habuit ab Italis, quibus promiſſa erat civitas, a Fulvio, Gracchō,

7 numenta Bocchi tollerentur, Mario reſtitit. Conſul Aſiam ſortitus, Mithridatem apud Orchomenum & Chaeroneam praelio fudit. Archelaum praefectum ejus Athenis vicit. Portum Piraeeum recepit.
8 Medos, & Dardanos in itinere ſuperavit. Mox cum rogatione Sulpicia

deinde a Druſo, nec poterant promiſſa aſſequi: ſociarunt igitur arma cum pluribus populis, maxime Samnitibus, & Irpinis Campaniae. MACHAN.

Hirpinos.] *Irpinos* MSS. abſque ſpiritu. SCHOTTUS. *Not. Min.* Contigui populi ſunt Samnitibus. ANNA. *Irpines* ex ſuis MSS. ediderat *Schottus*, ſed adſpirationem addendam eſſe ſuadet perpetuus conſenſus aliorum Codicum & Editionum tum hic tum apud *Livium* Epit. LXXV. aliisque locis. *Ciceron.* lib. I. de Divin. c. XXXVI. *Plinium* lib. III. Hiſt. Nat. cap. XI. *Servium* ad *Virg.* lib. VII. Aen. verſ. 563. *Hirpinus* exſtat in lapide ap *Grang.* ad *Juven.* Sat. VIII. verſ. 53. Et favet ipſa Etymologiae ratio, cum *Hirpinos* a lupis appellatos eſſe, qui Sabinorum lingua *Hirpi* vocantur, tradat *Servius* ad *Virg.* lib. XI. Aen. verſ. 785. *Irpini* tamen praeferre videtur *D. Heinſius* ad *Silium* lib. XI. verſ. 11. Porro *Samnitas* ſcripſi faventibus Scriptis. ARNTZ.

6. *Monumenta Bocchi.*] Vel ſigna, vel imagines intellige, quibus Bocchus Jugurtham Sullae in manus tradens oſtendebatur. Et ita non Boccho, ſed ſibi favebat Sulla. Nam eam laudem quod ſibi traditus fuerat Jugurtha, ita cupide aſſerebat, ut anulo ſignatorio ſculptam illam traditionem haberet, unde *Plin.* lib. XXXVIII. cap. I. *Sulla Dictator traditione Jugurthae ſemper ſignavit.* ANN.

7 *Conſul Aſiam ſortitus.*] Anno U. C. 665. EADEM.

Orchomenum & Chaeroneam.] Boeotiae urbes. Prolixum eſſet memorare, uti cum Mithradate congreſſus fuerit Sulla. *Plutarchum* itaque evolve, quo laboris noſtri ſis particeps. MACH. Antiqua lectio *Orthomenam & Chaeroniam:* quemadmodum *Heraclia* & *Heraclea* dicimus, mutata ει diph. in *i* vel *e* longum. Ordo autem temporis flagitat, ut *Chaeroneam* praecedat. SCHOTTUS. Nam primum Athenas & Piraeum Sulla recepit, mox apud *Chaeroneam*, deinde apud *Orchomenon* Boeotiae urbes Mithradatis copias diſſipavit. Vide *Florum* lib. III. cap. V. ANN. *Ceroniam Boend.* Editio *Mach.* Ven. & Agripp. *Cherionam* Leid. ſec. Priori modo variatur etiam ad *Florum* lib. III. cap. V. §. 11. Nec aliter ordinem temporis neglexit *Plutarchus* Luculllo p. 493. Τὰς δὲ Σύλλα πρὸς Ὀρχομενῷ καὶ πρὸς Χαιρώνειαν ὁμοπείρους ἀγῶνας. ARNTZ.

Archelaum.] Hic dicebatur maximus Regum praefectus, quo ſuadente, ac amico effecto, Sulla pacem cum Mithradate certis foederibus compoſuit. MACH. *Praelio* vocat ex fide Librorum MSS. SCHOTT. *Mithridatem apud Orchomenum & Chaeroneam praelio fudit. Archelaum praefectum ejus Athenis vicit.* Nihil abeunt ab hac ſcriptura Palatini ambo, eſtque ſaniſſima. GRUT. *Praelio* recte ex noſtris abundat, ſed tamen agnoſcunt veteres Editi. ſcribentes *Archelaum praelio praefectum.*

Athenis vicit.] MSS. legunt, *cathenis vinxit* pro *Athenis vicit*, quomodo *Plauti* locum Aſinaria commutatum vidi in *Nonio Marcello* colere: vulgo legitur, *O cathenarum colone:* Libri MSS. *Ac Athenarum colone.* SCHOTT. *Apud Athenas Boend.* & Haun.

Piraeeum.] *Portum Athenarum:* MACH. *Picaenum* Mediolanenſis. SCHOTT.

Recepit.] Multis admoris machinis & tormentis. Ita, ut *Plutarchus* ſcribit, in obſidione Athenarum decem millibus mularium jugorum quotidiana ad machinarum apparatum impendebatur opera. MACH.

Medos.] A Medo filio Medeae dictos aliqui ſentiunt. IDEM. *Enetos Dardanosque* pro *Medos Dardanos* ex *Appiano* emendavi. SCHOTTUS. *Eneti* populi Paphlagoniae, *Dardani* in Phrygia. ANNA. *Enetos* exprimi curaverat Erud. *Schottus*, quem ſecure ſecuti erant poſteriores. In Paphlagonia eos collocat Elegantiſſima *Anna*, & recte, ſed quomodo hos in itinere potuit ſuperare, cum res in Europa geſta ſit, quae cauſſa fuit, ut apud belliſſimam feminam error errorem traxerit. Etenim haec Aſiae tribuens, etiam de Dardanis Aſiaticis ſequentia intelligenda putat. Potius hos populos in Europa & quidem Illyridis parte quaeſiviſſet. Vide *Aethici* Cosmogr. pag. 728. Edit. *Gron.* quem locum, ut ſua tantum non omnia, ſublegit *Oroſio* lib. I. cap. II. ut, qui hunc ſcriptorem emendare aggredi velit, cum fructu illum queat conferre: diſtinguit Δαρδανοὺς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰλλυρίδος *Aelianus* lib. IV. Var. Hiſt. cap. I. *Livius* lib. XXVI. cap. XXV. *Inde Dardanorum urbem ſitam in Macedonia, tranſitum Dardanis facturam, cepit. Strabo* lib. VII. p. 485. Geogr. Ἰλλυρῶν δὲ Αὐταριάται καὶ Ἀγδᾶνες καὶ Δαρδάνιοι. *Eutrop.* lib. V. cap. VII. Auctori noſtro

Medi

picia inperium ejus transferretur ad Marium, in Italiam regressus, corruptis adversariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit; Marium apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam vicit. 9
Mario Praeneste interfecto, Felicem se edicto appellavit. Proscri- 10
ptio-

Medi & *Dardani* populi sunt Europae, & priores a Sulla esse vexatos constat e *Plutarcho* Sulla p. 467. b. Αὐτὸς εἰς τὴν Μηδικὴν ἐνέβαλε. *Ipse in medicam incurrit, vexatoque late agro in Macedoniam regreditur.* Melius igitur apud *Appianum* de Bell. Mithr. p. 348. ubi legitur Ἐνετοὺς καὶ Δαρδανέας, reponunt Μήδους κ. Δ. Et Medos Macedoniae finitimos fuisse patet ex *Livio* lib. XXVIII. cap. V. ubi nunciabatur, *Medos proxima Macedoniae incursuros.* ubi per diphtongum *Maedos*, uti Graeci Μαίδους, vocat *Sigonius* & *Cellarius* lib. II. Geogr. cap. XV. p. 856. unde fortasse & hic *Maedos* & apud *Plutarch.* Μαιδικὴν scribendum erit. Sed simplicem scripturam defendit Eruditorum princeps *Casaubonus* ad *Strabon.* lib. VII. Geogr. p. 453. & 486. Edit. noviss. In Nostri loco omnes Editiones & MSS. in *Medos* consentiunt, solus Leid. sec. habet *modo.* ARNTZ.

In itinere.] *En marche.* Dum scilicet ab expeditione Mithradatica revertebatur. ANNA.

8 *Rogatione.*] Id est, lege: quia Sulpicius ipso sceleratior Mario, teste *Plutarcho*, exercitum contra Mithridatem destinavit: qui deinde servo prodente a Sulla interfectus est. MACH. *Legatione* Mediolanensis, non probo. ut nec illam distinctionem: *Ad Marium in Italiam regressus.* SCHOTT. *Mox* abest a quibusdam Codicibus. SYLB. Certe ab Editione *Schotti*, sed cum nihil monuerit de defectu hujus particulae, crederem potius negligentia Typothetarum hoc esse commissum, quorum fidem secutus optimus *Sylb.* ita in Codd. abesse credidit. Est in omnibus nostris. Sed haec leviora sunt. *In Italia* Fran.

Inperium ejus.] Id est, provincia ejus. ANN.

Corruptis adversariorum exercitibus.] Aliter paullo *Vellejus. Crescebat interim in dies Sullae exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque & sanissimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque consules superat: quorum Norbanus acie victus; Scipio ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est.* Sed Scipionis exercitum a Sulla corruptum diserte narrat *Plutarchus* in Sulla, & huc referendum *Sallustii* fragmentum. *Cujus adversa voluntate colloquio militibus permisso, corruptio facta paucorum, & exercitus Sullae datus est.* EAD.

Carbonem.] Cn. Papirium *Carbonem* consulem EADEM.

Expulit.] *Plutarchus.* Carbo qui contrariam factionem timebat ab ejus exercitu fugam noctu faciens tandem in Africam navi se recepit. MACH. Anno U. C. 671. ANNA. Non displicet, quod in Haun. *ex Italia*, & turbato ordine *Boend. ex exercitibus Carbonem Italia*, nisi mavis ibi praepositionem e sequenti voce esse repetitam. Hoc interim certum est praepositionem in hac locutione nonnunquam abundare. *Lucanus* lib. II. vers. 574.

Expulit armatam patriis e sedibus urbem.

Sed non tanta est unius Codicis auctoritas, ut veram ideo scripturam tentare velim. *Livius* Epit. LXXXVIII. *Ad Faventiam Fidentiamque Caeso, Italia expulit.* & Epit. CIX. *Cn. Pompejum ceterosque partium ejus Italia expulit.* supra Noster cap. XXXIII. §. 5. *Pyrrhum Epirotam Italia expulit.* ARNTZ.

Marium.] Legendum est, *Marium* & *Pontium Telesinum*, ex *Appiano* referente: *Marcum autem Lamponium ex Lucania & Pontium Thelesinum ex Samnio & Capuanum Guttam septuaginta hominum millia adducentes, ut Marium juniorem ab obsidione liberarent, Sulla via interea quadam, per quam patebat aditus, ab itinere exclusit.* MACHAN. Mediolanensis aliter: *Marium* & *Pontium Telesinum apud portam Coll.* & mox: *posuit* pro *proposuit.* SCHOTT. Post *Marium*, *filium* de suo addiderat *Schottus*, quod Auctori suo remisimus Auctoritate MSS. & Codd. omnium. Illud *Pontium* nemo agnoscit, neque etiam in Epitome requiritur; geminus locus *Flor.* lib. III. cap. XXI. §. 23. *Apud Sacriportum Collinamque portam debellatae omnes hostium copiae. Ibi Marius, hic Telesinus oppressi.* ARNTZ.

Apud Sacriportum.] Vide supra in Mario filio. ANNA.

Collina.] *Lucanus* secundo.

Aut Collina tulit stratus quot porta catervas.

MACH. *Collina*, quae Quirinalis & Agonalis dicta. ANNA.

Vicit.] *Plutarchus. Quum Marianorum terga vertentium, qui diutius sustinere nequirent, magna strages fuit: Marius sese Praeneste fuga, subtrahens, obseratas portas offendens June superne demisso quum se immisisset, in murum receptus est.* MACH.

9 *Mario.*] Juvene. supra. ANNA. Hoc loco ex glossemate *filio* addit *Gramm.*

ptionis tabulas primus propoſuit. Novem millia deditorum in villa
11 publica cecidit. Numerum ſacerdotum auxit, Tribuniciam poteſta-
12 tem minuit. Republica ordinata Dictaturam depoſuit, unde ſperni coe-

Praeneſte interfecto.] *Appianus. Quibus conſpectis Praeneſtini, quod omnes Carbonis copias deletas audiſſent, Norbanum ex Italia aufugiſſe, reliquas vero Italiae urbes ad Sullam conceſſiſſe: civitatem Lucretio dedere, Mario aggerem per cuniculos ingreſſo, nec multo poſt interempto manu propria Lucretius cervicem abſcidit, caputque ad Sullam miſit: id fori in medio ante roſtra Sulla cum appendiſſet: juventa Conſulis irriſa, inquit, remigem prius eſſe oportere, quam ad gubernaculum manus admovere.* MACH. Corrupte mox *dicto* Leid. pr.

10 *Proſcriptionis tabulam.*] *Plutarchus. Sulla igitur extemplo octoginta proſcripſit millia ſenatorum, communicato conſilio, omnibus aegre ferentibus: imo interjecto die ducentos & viginti adjecit: deinde tertio non pauciores adjecit.* MACH. *Flor.* lib. III. cap. XXI. *Propoſita eſt ingens illa tabula: Et ex ipſo equeſtris ordinis flore ac ſenatus duo millia electi, qui mori juberentur, novi generis edictum.* ANNA. *Poſuit* etiam *Gramm.* Leid. ſec. Agripp. & Ven.

Novem millia.] Alii XIX. *Millia deditiitiorum* legunt, quot & *Liviana* Epitome lib. LXXXVIII. *Auguſtinus* de Civitate Dei lib. III. cap. XXVIII. ſeptem duntaxat millia civium Romanorum interfecta: *Valerius Maximus* lib. IX. cap. II. quatuor legiones obtruncatas affirmat. *Plutarchus* ἑξακισχιλίους numerat. *Annaeus Florus* lib. III. Rerum Romanarum quatuor millia. *Oroſius* V. tria tantum numerat, niſi mendoſus codex eſt. Quatuor aut quinque millia fuiſſe creditur, inquit *Strabo* lib. V. Geographiae, & quidem Samnites, quos vivos edicto capi Sulla vetuerat. SCHOTT. Exemplar noſtrum unum, VIIII. unde factum forte ut irrepſerit in Epitome *Liviana*, *octo millia*: dum librarii ſcilicet non putant novem eo modo exprimi: inde etiam factum ut iidem ſaepe pro XXXX. repraeſentarint *triginta*. GRUT. Admodum variant Veteres in tradendo numero occiſorum. Duas legiones memorat *Seneca* de Benef. lib. V. cap. XVI. quas ſeptem millia fuiſſe exponit lib. I. de Clem. cap. XII. ubi adde *Lipſium*. Alii varie vel augent vel minuunt illum numerum ad VI. Legiones adſcendit Scholiaſtes *Lucani* lib. VII. verſ. 307. Inſpice *Plut.* Sulla p. 471. *Sigon.* ad *Livium* Epit. LXXXVIII. *Vignoli* de Col. Anton. cap. II. p. 32. ſeqq. & Viros Erud. ad *Florum* lib. III. cap. XX. §. 24. Varietati fortaſſe cauſſam dedit, quod alii ſolos numerarint cives Romanos, alii ſub iis etiam comprehenderint Samnitas, qui ſimul ibi fuerunt trucidati. Et facile ſub Tyrannis latet veritas, multis ſaevitiam ſupra modum extollentibus, ceteris rem mitioribus verbis excuſantibus. ARNTZ.

Villa publica.] In campo erat Martio teſte *Livio* lib. V. *Valerio Maximo* lib. IX. cap. III. *Auguſtino* de Civitate Dei lib. III. cap. XXVIII. Non illud celabo male in utroque *Livii* abbreviatore *via publica* pro *villa publica* legi. SCHOTTUS. *Publius Victor* Deſcriptione Urbis in regione IX. *Villa publica, ubi primum populi cenſus eſt actus in Campo Martio.* ANNA. Idem error in *via* & *villa* erat apud *Liv.* Epit. LXXXVIII. teſte *Sigonio*. De Loco ubi caedes facta, vide Commentatores modo laudatos & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. II. verſ. 197.

11 *Numerum Sacerdotum auxit.*] Id eſt, ampliavit *numerum Sacerdotum* & Augurum, ut eſſent quindecim. ANNA.

Tribuniciam poteſtatem.] *Appianus: Tribuniciam* vero *poteſtatem adeo perfregit ac debilitavit, ut fere ad nihilum redegerit, quum ex lege prohiberetur, qui ſe Tribunum geſſiſſet, ulterius poteſtatem habere poſſe.* MACH. Leges tulit, *Ne tribunis plebis alios Magiſtratus capere liceret: ne ad eos provocatio eſſet, ne leges ferre poſſent: ne etiam concionari ipſis liceret*, atque ita tantum interceſſio illis relinquebatur. ANNA.

12 *Dictaturam depoſuit.*] *Appianus: tantum huic viro animi, & felicitatis affuit, ut fori medio dicere auderet. ideo ſe Dictaturam deponere, ut eorum, quae feciſſet, rationem ſubire poſſet, ſi quis exigeret.* MACH.

Spe deceptus.] Corrige *ſperni coeptus* ex Libris antiquis MSS. Nullam enim ſpem conceperat, quamobrem dictaturam abdicaret. Supra paullo, *imminuit* iidem praeferunt. SCHOTT. *Spe deceptus* omnes Editiones & Codices, niſi quod *receptus* Fran. & Leid. ſec. Poſſet retineri *ſpe deceptus*, quoniam ſperaverat, in ſumma dignitate ſe Romae tranquille poſſe aetatem tranſigere, quod aliter accidit, cum vel ipſi pueri ei illuderent, ut notum eſt.

Puteolos.] *Strabone* autumante in Campania epidum a *putore* aquarum ſulfurearum dictum. MACH. Alii Cumas conceſſiſſe ſcribunt. *Puteoli* e regione Cumarum. ANNA.

Phthiriaſis.

coeptus, Puteolos concessit, & morbo, qui phthiriasis vocatur, interiit.

Phthiriasis.] Pedicularis morbus dicitur; nam φθεὶρ, ῥὸς, pediculum indicat, ἀπὸ τοῦ φθίνω, tabesco. *Plinius* in septimo: *Age, non excitus vitae ejus omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, & supplicia sibi gignente.* MACH. *Animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum evomuit*, inquit *Val. Max.* lib. IX. cap. III. Pediculari autem morbo praeter Sullam perierunt, Acastus Peliae filius: Alcman poëta: Pherecydes Syrus, Callisthenes Olynthius in carcere, & Mucius Jurisconsultus. Eunus quoque servus, qui primus in Sicilia bellum excitavit. *Plutarchus* in Sulla extremo & *Helladius* in Chrestomathia apud *Photium* in Bibliotheca pag. 870. Adde & septimum Herodem Judaeum. SCHOTT. Glossa est, quod pro *phthiriasis* in *Grammiano* Codice legitur, *pedicularis.*

CAPUT LXXVI.

ARGUMENTUM.

A septem Persis oriundus sexjuges equos regit, L. gentium ore loquitur, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expellit, ut, quicunque Romanus esset, interficeretur, literas per Asiam mittit, Graeciam & insulas occupat, a Sulla, Lucullo & Pompejo vincitur, venenum frustra sumit, & in caedem suam manum trepidantis percussoris Galli adjuvat Mithridates Rex Ponti.

Mithridates Rex Ponti, oriundus a septem Persis, magna vi animi & corporis, ut sexjuges equos regeret, quinquaginta gentium 1

1 *Mithridates.*] Rex Ponti Euxini patriae, inde Euxini, id est, hospitales dicti. Est autem prope Maeotida. Circa hunc locum erant plures provinciae, tum ad Asiam, tum ad Europam attinentes, quibus ipse Rex imperabat. MACH. Libri quidam scripti vitiose *Mithrydates* per *y* habebant: lego *Mithradates* prima vocali in secunda syllaba ex nummis antiquis, quomodo inscriptos plurimos videre licet in Fastis *Huberti Goltzii* Antiquarii diligentissimi. SCHOTT. Adde *Simson.* Chonic. ad Ann. 3885. Var. Lect. ad *Quinctil.* lib. VIII. Decl. cap. III. p. 708. & quae supra ad cap. LXX. disputavimus.

A septem Persis.] De illis *Herodotus* libro tertio, & *Justinus* primo Epitomarum suarum plura scribunt. ii enim magos interfecerunt, qui dolose pro ipsis regnabant. deinde hinnitu equi Darium Regem constituere. MACH. De his *Polybius* lib. V. *Joseph.* XI. Antiquit. Judaic. *Strabo* XV. extremo Geographiae. *Ammianus Marcellinus* XXIII. *L. Florus* Artabazem, qui ante Mithridatem regnavit, a VII. Persis oriundum facit lib. III.

2 tium ore loqueretur. Bello ſociali diſſidentibus Romanis, Nico-
3 medem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Litteras per
totam Aſiam miſit, ut quicunque Romanus eſſet, certa die inter-
4 ficeretur; & factum eſt. Graeciam inſulasque omnes, excepta Rho-
5 do, occupavit. Sulla eum praelio vicit, claſſem ejus proditione Archelai

XII. cap. v. SCHOTT. Sed *a Septem Perſis* usque ad Artabazen ita intricata ſucceſſio, ut nihil certi dici poſſit. Vide quae ad *Florum* notavimus lib. III. cap. v. ANNA. Vide *Prideaux* Hiſt. Jud. part. II. lib. v. p. 460. mox: *magni animi* Codex *Boend.* ſed vulgata melius defenditur ex iis, quae attulit Erud. *Cortius* ad *Sall.* Catil. cap. v. §. 1. *Cicero* lib. I. de Orat. cap. XXXVIII. *Prope ſingularis & divina vis ingenii videtur.* & pro C. Rabir. cap. VII. *Et animi vim & infirmitatem corporis oſtenderet.*

Duarum & viginti gentium.] *Gellius* libro decimo ſeptimo capite decimo ſeptimo: *Mithridates autem Ponti atque Bithyniae Rex inclytus, qui a Cnaeo Pompejo bello ſuperatus eſt, duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habebat, linguas percalluit, earumque omnium gentium viris haud unquam per interpretem colloquutus eſt. ſed, ut quemque ab eo appellari uſus fuit, proinde lingua & oratione ipſius, non ſecus ac gentilis ejus eſſet, loquutus eſt.* MACH. MSS. omnes & Libri excuſi antiqui aliter, *quinquaginta gentium:* verum ὀγδοήκοντα λαῶν, *Plinius* avunculus vulgatam lectionem tuetur, ut veritari proximam lib. VII. cap. XXIV. Natur. Hiſtor. & lib. XXV. cap. XXI. *Solinus* cap. VII. Polyhiſtoris. *Agell.* lib. XVII. & *Valerius* lib. VIII. cap. VII. SCHOTT. *Schotti* MSS. omnes: *quinquaginta gentium.* Pall. *quinquageſimo gentium.* Verum pro altera ſtant ceteri auctores. GRUT. Ego omnino puto, hic alios auctores ſecutum fuiſſe Nostrum, qui ut rei novitatem augerent, minimas etiam dialectos videntur computaſſe, & ex hiſce ſeparatam linguam effeciſſe, ut ita numero rotundo *quinquaginta* exirent. Ita eſt in Fran. & *Gramm.* & reliquis ante *Aldum* Editis. *quinquageſimo* uterque Leid. *Boend.* & Haun. ſed is error natus ex ſtupida Monachorum ignorantia, qui cum *L.* legeretur, divinare debebant, *quinquaginta*, an *quinquageſimus* ſcribere ſatius eſſet. Non aegre ferat Lector, ſi in Eruditorum conjecturis recipiendis, & pro vera lectione obtrudendis ſoleo eſſe cautior fortaſſe, quam par eſt. Reliquis omnibus etiam adſentitur *Quinctilianus* lib. XI. Inſt. cap. II. fine. *Mithridates cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuiſſe.* ARNTZ.

2 *Nicomedem.*] Is eſt, de quo Caeſaris in vita *Suetonius* refert MACH.

Ariobarzanem.] *Colinaeus Ariobarzanam.* Veteres libri *Ariobarzanem*, vel *nen.* SCHOTT.

Expulit.] An. U. C. 663. Sed ſexto poſt anno, pace facta cum Sulla, ſuam quisque provinciam recepit. Vide quae ad *Florum* notavimus lib. III. cap. v. nam & hinc firmabis. ANNA.

3 *Interficeretur.*] *Cicero* in Oratione de Lege Manilia. *Vos tot civium Romanorum millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?* MACH.

Et factum eſt.] Uno die octoginta millia Romanorum caeſa ſunt. An. U. 666. ANNA.

4 *Excepta Rhodo.*] *Florus: Excepta Rhodo quae pro nobis ſtetit: caeterum Cyclades, Delos, Euboea & ipſum Graeciae decus Athenae, tenebantur.* EADEM. *Excepto Boend.* & Agripp. de quali conſtructione vide Nobil. *Heinſium* ad *Ovid.* lib. XI. Met. verſ. 55. *Voſſium* lib. I. de Art. Gramm. c. XII. p. 131. & quae ſup. cap. XLII. §. 2. adnotata ſunt.

5 *Sulla eum praelio vicit.*] *Cicero* Oratione de Lege Manilia. *Triumphavit & Sulla: triumphavit L. Murena item de Mithradate.* MACH.

Proditione Archelai.] Mihi illud *proditione Archelai* ſemper ſuſpectum de mendo fuit, verum Libri nihil variant. Pugnat cum hiſtoria: credo ſcripſiſſe, *repugnante Archelao*, aut ſimile. Archelaus cum claſſe regia Sullae ſe tradidit. Epitoma *Livii* LXXXII. & *Oroſius* lib. VI. cap. II. SCHOTT. *Not. Min. Proditione Archelai* & noſter Palatinus, neque repugnat Hiſtoria. *Livii* enim Epitoma LXXXII. *Archelaus cum claſſe regia Sullae ſe tradidit.* GRUT. Eo tamen loco *Oroſii* ſcribitur, M. Marium ducem fuiſſe conſtitutum *in locum Archelai, qui ſe ad Sullam cum uxore liberisque contulerat.* Alii tamen narrant, & hiſce potiſſimum fides eſt habenda, tentaſſe quidem Sullam, ut Archelaum ab Rege abduceret, ſed fruſtra. vide *Appian.* de Bell. Mithr. p. 348. & 353. & *Plutarch.* in Sulla. p. 466. Ex *Livio* exſculpi non poteſt fuiſſe proditorem Archelaum, neque enim quaeritur, an claſſis fuerit tradita Sullae, hoc enim concedente Mithridate accidit, ſed an fuerit proditione tradita. Et hoc videtur eſſe

contra

chelai intercepit; Ipsum apud Orchomenum oppidum fudit, & nisi, adversum Marium festinans, qualemcunque pacem componere maluisset. 6
Deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit. Mithridates post a Pompejo nocturno praelio victus, in regnum confugit, 7
ubi per seditionem popularium a Pharnace filio in turre obsessus, venenum sumsit. Quod cum tardius biberet, quia adversum vene- 8
na

contra historiae veritatem. Constat tamen descivisse Archelaum ab Mithridate ex ipso *Plutarcho* in Lucullo p. 496. e. Sed videtur factum, postquam ex pacis legibus jam ipse Rex classem tradiderat. ARNTZ.

Apud Orchienum opidum fudit & oppressit, & potuit capere nisi adv. Mar.] O homines obliviosos, qui non meminerant proximo capite ad Orchomenum a Sulla pugnam factam. MSS. aliter *apud oppidum Dardanum fudit: & oppressisset, nisi* &c. haec enim *potuit capere* abundant ex iisdem. Vides igitur ex *oppressisset* factum, ut saepe, *oppressit, &*. SCHOTT. *Dardanum* Leid. sec. Haun. *Boend.* Fran. Agripp. Ven. & *Mach. Dardanium* Leid. pr. *Curdanum Gramm. Orchienum Ald.* & *Gryph. Orchomenum Schott.* Sed tota haec paragraphus foedissimis Librariorum ineptiis est agitata, ut difficile sit veram *Aurelii* manum agnoscere. *Orchomenum* debuit scribere Noster, sed an ita scripserit, ego non definio. In sequentibus non video, cur rejiciam omnium Editionum & Codicum auctoritatem; scio tersius esse, quod produxit *Schottus*, sed solet non raro ineptire Noster, & sine ratione ταυτολογεῖν. Quare antiquam lectionem reduxi invitis fortasse iis, qui me inventis frugibus glande vesci objicient. Quisque fruatur suo Genio. Ego malo garrientem dare *Aurelium*, quam aliorum bene inventa contra veritatem apponere. Et si quis vellet, aliquo colore haec lectio defendi posset, non solum *fudit*, verum penitus *oppressit*, quin etiam *capere potuisset* &c. ARNTZ.

Nisi adversum Marium.] *Florus: Et debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam vere maluisset.* ANNA.

Eum Cabiris.] Qui Mithridaticum antidotum saluberrimum confecit. De victoria Sullae super diximus. *Juvenalis* quoque ait:

Pontica ter victi cautus Mitridatica Regis.

MACH. MSS. *cum aerius*, male, Parisinus *agris*, alii *argis* inde fecerant. Mox *popularium* melius, quam *popularem* libri Veteres. SCHOTT. *Cabiri* populi in Ponto. Ibi *Cabira urbs*. Vide *Plutarchum* Lucullo & *Eutrop.* lib. VI. ANNA. *Agris* uterque Leid. & Agripp. *Argis* Fran. *Boend. Gramm. Mach.* & Ven. *Cum agriis* Haun. *Cabiris* *Aldus* primus dedit eumque secutus *Gryphius* ceterique, si ex MSS. bene est, certe historiae satis facit. *Plutarch.* in Lucull. p. 500. & seqq.

Fudit.] An. U. 680. ANNA. *Praelio fudit.* Haun.

7 *A Pompejo.*] Ut ait *Plutarchus*: Revera Luculli res gestae imperium Pompeji exornarunt. MACH.

Nocturno praelio.] Ad Lunae splendorem, ut *Plutarchus* in vita narrat: *delusos regios milites umbra Lunae.* IDEM. *Eutrop.* lib. VI. *Mox ei* (Pompejo) *delatum bellum etiam contra Regem Mithridatem & Tigranem; quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore, nocturno praelio vicit, castra diripuit.* Vide & *Flor.* lib. III. cap. V. datum praelium an. U. 687. ANNA. Mox *refugit* Leid. pr.

Per seditionem.] *Florus. Per defectionem civium Pharnacisque filii scelere praeventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit.* ANNA. Pro *in turre* Leid. pr. legit *in carcere*. sec. *in currere* & *Boend. in curia*. Auctior est Haun. addens *filio suo*.

Venenum sumpsit.] *Plutarchus* in Pompejo ita recitat: *Mithridatem per filii Pharnacis seditiones mortem sibi conscivisse, ac omnia, quae ipse possederat, Pharnacem sibi sortitum: denique his gestis Pharnacem ad se Romam scriptitasse.* MACH.

8 *Tardius biberet.*] MSS. *Quod cum id tardius ebiberet.* Vascosanus: *cum id tardius subiret.* scilicet praecordia, non damno. Hic mihi locus magnum injecit, & paullisper consistere, quamlibet properantem ad finem, jubet. *Obducere* enim antiqui eleganter dixerunt, pro ebibere vel exsorbere: quod in *Cicerone* Tuscul. I. reponendum *Petro Victorio* in Variis Lect. lib. XV. assentior. Sic enim habet: *Theramenes cum conjectus in carcerem XXX. jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito, ridens, propino, inquit, hoc pulcro Critiae.* Ubi quidam ex illo *Xenophontis* lib. II. Ἑλλην. ἐπεὶ τὸ κώνειον ἔπιε, *ebibisset* vel *obbibisset* legerunt. Emendandus in hoc verbo & *Seneca* Scriptor gravissimus libro de Divin. Provid. cap. III. Sic enim locum legendum censeo. *Male tractatum*

na mistis antea medicaminibus corpus firmarat, inmissum pe[illegible]
rem.

latum Socratem judicat, quod illam potionem publice mistam non aliter, quam medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte disputavit usque ad ipsam. vulgati *eduxit* invenuste. Post paullo sic lege & interpunge ex MSS. *Quanto magis huic invidendum, quam illis quibus gemma ministratur, quibus expletus est animus. Omnia pati dictus, exsectae virilitatis, aut dubiae, suspensam auro nivem diluit.* SCHOTT. *Subiret*, id est, *penetraret*. Sic alicubi *Virgilius*. ANNA. Inyitis iterum omnibus Codd. & Editt. *Schottum* volui, aegerrime licet, sequi, cum, quia facillima est varietas, tum quod alia lectio *biberet* vix commodum sensum efficeret. *Ovidius* lib. v. Met. vers. 437.

Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lymphâ subit.

Hoc dicitur, *medicamentum concipere venis* apud *Curtium* lib. III. cap. VI. §. 11. Sed retraxi me, quia vulgatam lectionem ita malim exponere, cum venenum tardius succos exureret & consumeret. Notum enim est, *bibere* tribui omnibus illis rebus, quae liquidum aliquid ad se trahentes efficiant, ut exaresçat. Ita *prata bibunt* apud *Virgil.* Ecl. III. fin. ubi vid. *La Cerda*. *Tela bibunt erugorem* apud *Silium* lib. VI. vers. 293. Ubi adde accuratissimum illius Poëtae Interpretem *Drakenb.* & ad lib. XVII. vers. 413. *Statium* ad *Tibull.* lib. II. El. I. p. 328. & similia. Sic *bibere* dicitur venenum, cum per venas dispersum medullas succumque urit & exsiccat. *Lucanus* lib. IX. vers. 741.

Ecce subit virus *tacitum*, *carpitque medullas*
Ignis edax, *calidaque incendit viscera tabe.*
Ebibit humorem, *circum vitalia fusum*
Pestis.

Eadem est Metaphora apud *Senecam* in Herc. Oet. vers. 914.

Exedit *artus virus*, *ut fama est*, *hydrae.*
Immensa pestis conjugis membra abstulit.

et vers. 1226.

Exedit *artus penitus*, *& totas malum:*
Hausit medullas.

Et quae huc pertinentia adtulit Nobil. *Heinsius* Adv. in *Tibull.* p. 461. Ad verbum quod spectat *obducere*, de cujus significatione hac occasione agere voluit Erud. *Schottus*, confer, quae nuperrime notavit Cl. *Burmannus* ad *Phaedrum* suum lib. I. fab. XIV. vers. 9. Si *bibere* hic vulgato sensu velis exponere, sequentia verba nullum fundunt sensum, quid enim tardius *biberet*, quia corpus contra venena firmarat? Ea tamen notione, qua nos accepimus, magis videtur esse poëticum. Sed talia tam accurata lance apud Nostrum non sunt pendenda. ARNTZ.

Multis antea medicaminibus.] *Gellius* lib. XVII. cap. XVI. *Scriptum etiam a Laneo Pompeji liberto Mithridatem illum Ponti Regem medicae rei, & remediorum id genus solertem fuisse, solitumque anatis sanguinem miscere medicamentis, quae digerendis venenis valent. Sanguinemque earum potentissimum esse in ea confectione, ipsum autem regem assiduo talium medelarum usu, a clandestinis ejularum insidiis caviisse. Quamobrem victus a Romanis, frustra venena violentissima festinandae necis gratia expertus, seipsum gladio transegit.* MACH. De Mithridate autem sic etiam *Seneca* Rhetor noster: *Habuit malum medicamentum Mithridates. Quis enim alius debebat habere quam parricida?* ad quem locum vide quae notamus de medicamine, quod Graecis *φάρμακον*. SCHOTT. Mithradates puer adhuc, cum illum veneno tutores peterent, *antidota saepius bibit; & ita se adversus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex mori potuerit. Justin.* lib. XXXVII. ANNA.

Inmissum.] Sic in omnibus, nisi quod, Leid. sec. *& ipsum*, sed tum neque sensus satis cohaeret, & frigidam facit orationem, quasi ille Gallus inter percussores primum locum obtinerer. Magis proprie est *inmittere percussorem*, ut apud *Florum* lib. I. cap. VII. §. 2. Inmissisque *in eum* percussoribus. lib. III. cap. I. §. 8. *Massivam* inmisso percussore *confecit*. *Tacit.* lib. III. Ann. cap. XVI. *Nec illum sponte extinctum, verum* inmisso percussore. & quae Doctissimus *Oudend.* ad *Lucanum* lib. II. vers. 202. ARNTZ.

Sithocum.] Libri calamo & typis exarati & *Livii* Epitoma CII. *Bithocum* nuncupant: *Appianus Βιτοιτον* scribit, *Bitoeton*. quomodo utrobique fortasse scribendum. SCHOTT. Alii libri *Bithocum*. Pal. sec. *Siticum*. *Appianus* vocat *Βιτοιτον*, & forsan appellandus *Bituitus*. GRUT. *Liv.* vocat *Bithocum*. forsan *Bithico* legendum. ANNA. *Situanum* Leid. pr. *Scithocum* Leid. sec. *Toscum* Fran. & *Gramm.* sed ab alia manu *Sithocum*. *Bithocum* Edit. Agripp. *Bitoetum* scribendum esse iisdem argumentis volebat *Fabricius* ad *Orosium* lib. VI. cap. V. & *Sigon.* ad *Livii* l. l. sed talia sunt incerta. Cur *Bithicum* praeferat dulcissima *Anna*, vellem rationes addidisset, neque enim eas comminisci queo. Si *Appianum* debeamus sequi, quod quidem malim & ego, cum in ejus Codicibus nulla conspiciatur varietas, cum *Grutero* scribo *Bituitum*, non *Bitoetum*. Vide illum Bell. Mith. p. 410.

eum Gallum Sithocum auctoritate vultus territum revocavit, & in eadem ſuam manum trepidantis adjuvit.

p. 410. Ubi tamen haec aliter narrat. ARNTZ. *Adjuvit.*] Ex poſteriori latinitate *adjuvavit* Fran. de qua hujus verbi flexione cum aliis egere Cl. *Burmannus* ad *Petr.* cap. XVIII. p. 61. & *Hearne* ad *Plinii* lib. IV. Epiſt. XV. *Audivit* Leid. ſec. *Adivit* Leid. pr. Turpes errores in re facili. *Seneca* lib. III. de Benef. cap. XXII. *Alius manu tem Domini adjuvit, alius decepit. Ovidius* lib. I. Am. El. VII. verſ. 66.

Quamlibet infirmas adjuvet ira manus. ARNTZ.

CAPUT LXXVII.

ARGUMENTUM.

Sullae partes ſequitur, Siciliam recipit, Numidiam Maſſiniſſae reſtituit, triumphat, Lepidum Italia fugat, Serterium vincit, piratas ſubigit, Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compellit, Albanos - - - - - penetrat, in Hircanum mare pervenit, Caeſarem exercitum dimittere jubet, Urbe pellitur, in Pharſalia vincitur, ad Ptolemaeum Regem fugit, & ejus imperio occiditur Cn. Pompejus Magnus.

Cn. Pompejus Magnus, civili bello Sullae partes ſequutus, ita egit, ut ab eo maxime diligeretur. Siciliam ſine bello a proſcriptis recepit. Numidiam Hiarbae ereptam, Maſiniſſae reſtituit. Vigin-

1 *Magnus.*] Devicta Africa, ita pronuntiante Sulla, appellatus. MACH. Pro *bello*, *praelio Boend.* & pro *Sullae*, *Sullanos* Leid. ſec.

Ita egit, ut ab eo diligeretur.] Qui a primo potiſſima cauſa fuit, ut Cinna interficeretur, & Carbonem interfici damnatum juſſit, internecinos Sullae hoſtes. MACH.

Siciliam a proſcriptis recepit.] Et quotquot proſcriptionem Sullanam praeoccupando, fugerant in Siciliam, hanc ut propugnaculum tutum ceperant, ſed audientes Pompejum cum exercitu adventare, facile ceſſerunt. IDEM. *A* non apparet in Fran. Leid. ſec. Agripp. & Ven. quod vitio cumulans prior Codex *proſcriptus* legit.

2 *Numidiam.*] *Plutarchus* in Pompejo: *alias confeſtim civitatum paruere, aliae vi captae. Hiarbas Rex tum comprehenſus, qui cum Domitio bell societatem inierat: cui ſucceſſit Hiempſal. Proſpera ergo fortuna Pompejus fretus, roberi militum fidens, Numidiam impetit, in quam, quod diebus pluribus peragrandum erat, agmine concitato excurrens, ea ſubegit omnia, quibus obviam ſoltus eſt.* MACH.

Hiarbae.] *Hiarbae* antiqui Libri & *Plutarchus*

3 Viginti ſex annos natus triumphavit. Lepidum acta Sullæ ſtatuere volentem, privatus Italia fugavit. Praetor in Hiſpaniam pro Conſulibus miſſus Sertorium vicit. Mox piratas intra quadrageſimum

in Pompejo *Ἱερβας*. *Hierem* Epitoma *Liv.* LXXXIX. vocat. confer cum his *Plinii* lib. VII. cap. XXVI. SCHOTT. Non praetereundum eſt eſſe, qui ubique pro *Hierba Hierta* ſcribendum putent, verumque nomen eſſe *Hierta*. ANNA. Ita *Fabric.* ad *Oroſium* lib. V. cap. XXI. & *Vinet.* ad *Eutrop.* lib. V. cap. IX. *Jarbae* etiam MSS. & veruſtae Editiones. Sed alia ſcriptura videtur eſſe verior, cum punica vocabula adſpiratione gaudeant. ut *Hiempſal* &c. Aliter tamen ſentit *Bernecc.* ad *Juſtin.* lib. XVIII. cap. VI. §. I. & *Neapol.* ad *Naſonis* lib. III. *Faſt.* verſ. 552. Non conſtant ſibi in ea ſcriptura Editores *Servii*, cum ad lib. I. Aen. verſ. 371. *Hierbas.* ad lib. IV. verſ. 36. *Jarbas* ſcribant. ARNTZ.

Maſſiſſae.] Haec mihi ſuſpecta ſunt. Legendum puto: *Nymidiam Hierbae ereptam, Hiempſali reſtituit.* Quod ex hiſtoria verum eſt. *Plutarchus* in Pompejo. Εἶτα δὶ τὸν βασιλέα Ἰαρβᾶν τὸν συμμαχήσαντα Δομιτίῳ, τὸν δὶ βασιλέων Ἰάμψαλ καταίδων. Id eſt, *Ex Regibus autem Hierbam, qui cum Domitio militaverat, cepit, & ejus regnum Hiempſali tradidit.* Hinc pendet *Salluſtii* fragmentum Hiſtor. lib. I. *Id bellum excitabat metus Pompeji victoris Hiempſalem in regnum reſtituentis.* Miror tam inſigne mendum Viros Doctiſſimos latuiſſe. ANNA.

Viginti ſex annos natus.] XXVI. *annorum.* MSS. Abbreviator *Livii*, & *Eutropius* XXIV. annorum faciunt. Triumphaſſe puto Anno U. C. DCLXXII. SCHOTT. Triumphavit Anno U. C. 672. quo regnum Hiempſali reſtituit. ANNA. *Annorum* etiam in noſtris MSS. & Edit. *Mach.* ſed *Barnd.* Eran. & Haun. non expungunt illud *natus*, quod tamen alii faciunt. repugnant ceteræ Editiones. XXVII. eſt in Haun. Vide *Pighium* tom. III. Ann. p. 274. quocum confer Erud. *Hearn.* ad *Eutrop.* lib. V. cap. IX.

3 *Lepidum.*] M. Aemilium Lepidum Conſulem An. U. C. 675. Sed vide omnino *Flor.* lib. III. cap. XXIII. ANNA.

Abrogavit.] Diverſa Hiſtorici ſcribunt. *Plutarchus: quare Pompejus adverſus Lepidum dux declaratus, hic enim tum multa in Italia occupaverat, & interiorem Galliam per Brutum ſuperatam videbat; cæterum Pompejus facile vicit:* & paullo poſt, *amiſſa Italia Lepidus in Sardiniam fugit, ubi morbo capitali moeſtior, non ex adverſa, ut ajunt, fortuna, ſed quod in literalem quandam incidit, ex quo adulterum uxorem cognovit. Appianus: Lepidus a Senatu acciſitus, nec ille, quamobrem vocaretur, ignarus, univerſo cum exercitu profectus, quaſi cum eo urbem ingreſſurus, prohibitus ſubinde, ad arma per praecones omnes convocavit, ex adverſo Catulus bellum viciſſim vere denuntiat, poſt in odium praelio, antequam campum Martium ingrederetur, inito, ab utriſque ſuperatus eſt Lepidus: nec multum illi adverſatus, in Sardiniam enavigavit; quo in loco diſtillationis morbo correptus ceſſit e vita.* MACH. *Fugavit* melius in MSS. dicimus enim *Abrogare* alicui *Magiſtratum*, *abrogare* vero aliquem *Italia*, legere non memini: niſi forte ſcriptum hic fuit, *ablegavit.* ſic in Sulla pro *rogatione*, *legatione* in quibusdam Excuſſis eſt. SCHOTT. *Abrogavit* etiam quinque Scripti & Edit. Leid. ſec. pro *Italia fugavit*, legit *abegeſſit.*

4 *Praetor in Hiſpaniam.*] ANNO U. C. 675. ANN. *Hiſpaniam.*] Ab *Hiſpali* urbe diſtante auctore *Trogo Pompejo.* MACH. Ab *Hiſpano* debuiſſet ſcribere, nec recte urbem putat fuiſſe. Vide *Juſtinum* lib. XLIV. cap. I.

Proconſul.] MSS. *pro Conſulibus*, perſpicue verum. Ita enim dixerat Philippus, non *pro Conſule*, ſed *pro Conſulibus* mittere ſe Pompejum. *Cicero* Philipp. XI. & in oratione pro Lege Manilia extrema. Vulgata illa lectio *Proconſuli* corrupta eſt ex compendiis literarum. Alii *Proconſule.* SCHOTTUS. *Proconſul* Agripp. & Ven. *Proconſuli Aldus*, *Gryph.* & cet. ſed *pro Conſulibus* omnes MSS. quod retinendum, & firmandum ex iis, quae adtulit *Hottom.* ad *Cicer.* Leg. Manil. cap. XXI.

Sertorium vicit.] Contra quem fugitivum Sullae, & ſuperſtitem Carboniae fugae, primo Metellus pugnavit, idem cyclops, ſenexque Imperator a juvene Pompejo ſuperatus, ad poenam amicorum praecipuam in convivio foediſſime trucidantis a cuſtodia militari. MACH. Vide *Flor.* lib. III. cap. VI. ANNA.

Mox.] An. U. C. 687. EAD.

Piratas.] Qui nemini commercium liberum, ſed omnia invia, clauſaque tenebant, Gabinius rogationem tulit, qua Pompejo Cilicum provincia demandabatur, in qua celeriter felici victoria potitus eſt, tamen ſponte ſua, fama auctus Pompeji, maxime vaſtatoribus dedentibus, tam exiguiſſime nonnullis debellatis, per coloniaſque diſtributis. MACH. *Intra quadrageſima dierum ſpatia* Haun.

5 *Tigranem*

malum diem subegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate nunc in septentrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Hiberos, nunc in oriente Parthos, Arabas, atque Judaeos cum magno sui terrore penetravit. Primus in Hircanum, Rubrum, & Arabicum mare usque pervenit.

5 *Tigranem ad deditionem.*] Cum urbes castellaque ejus caperent, in extrema deductus, audita Pompeji clementia sese dedidit, conditionibusque a Pompejo oblatis acquievit. MACH.

6 *Mira facilitate rerum.*] MSS. plerique: *facilitate & celeritate, nunc in septentrionem &c. nunc in orientem.* Sic & in Lucullo supra *facilitate*, ubi vulgo Codices *felicitate*. SCHOTT. *Celeritas* in negotiis perficiendis laudata in Pompejo est respectu belli Piratici, quod brevi tempore confecit, ut *Florus* lib. III. cap. VI. §. 15. *Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem quod quadragesimo die parta est? an* felicitatem, *quod ne una quidem navis amissa est. Cicero* pro Lege Man. cap. XII. *At haec quae* celeritate *gesta sunt quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Orosius* lib. VI. cap. IV. *Quos Cn. Pompejus post multam quidem vastationem mira tamen* celeritate *compressit.* quare cum praesertim de bello piratico eam laudem meruerit Pompejus, non necesse est, hanc vocem hic intrudere, quae commodiori loco paullo ante fuerat ponenda, quare & abest a nostris omnibus cum Scriptis, tum Editis, si *Schottum* eumque secutos excipias, qui addiderant *& celeritate*, sed uncis tamen inclusserant, ut fieri solet, si suspecta sint verba. Porro quod *facilitate* alios habere Codd. monuerat Vir Erudit. parum accommodatum est, & melius receptam apud nos tuentur omnes. Talem *felicitatem* in Magno extollit *Cicer.* pro Lege Man. cap. XVI. *Reliquum est, ut de* felicitate *pauca dicamus & mox: Terra marique, quantaque* felicitate *gesserit.* In aliis itidem Imperatoribus eodem modo fortuna laudari solet. *Livius* lib. XXVIII. cap. XXXII. *In provincia simul virtute tanta & felicitate perdomita.* lib. XXXVIII. cap. XLVIII. *Pro* felicitate *meo exercitusque mei.* & lib. XLI. cap. XVI. *Gloriaretur, sua virtute ac* felicitate *neminem jam eis Alpes hostem Populi R.* Quod haec duo apud *Schottum* ita conjungantur, forte a Librariis irrepsit ex *Eutropio*, qui hoc bellum describens addit lib. VI. cap. XII. *Quod intra paucos menses ingenti* felicitate & celeritate *confecit.* Et alibi laceros pannos ex eo Auctore adsutos esse *Aurelio* vidimus ad c. VII. §. 8. cap. XXXV. §. 12. & cet. Male in nuperrimis Editionibus erat: nunc *in septentrione*, nunc *in oriente*, quod vitium ab *Aldo* commissum ceteri maluerunt imitari, quam malum fortasse inguria ortum tollere. certe *nunc, nunc* melius olim Editi cum Manuscriptis. *Livius* lib. II. cap. XLV. Nunc *jubet Etruscos probra jacere*, nunc *ex matis sibi quisque lingua promtum hostem offerre.* lib. XXXIV. cap. XIII. Nunc *hac parte*, nunc *illa praedatum milites in hostium agros educebat.* lib. XLV. cap. XXX. Nunc *bello exercentes*, nunc *in pace miscentes ritus suos. Iscanius* lib. IV. Bell. Troj. vers. 224.

Nunc *terra serpens*, nunc *aëra sulcans.*

Florus lib. I. cap. XXVI. §. 5. *Justin.* lib. VIII. cap. V. §. 7. *Orosius* lib. V. cap. XX. Nunc *cedendo*, nunc *ad deditionem cogendo plurima exercitus parte privavit.* de tali variatione in *nunc & tunc* Vide Nob. *Heinsium* Adversar. ad *Tibull.* Pag. 464. Cel. *Burmann.* ad *Ovid.* Epist. XVIII. Her. vers. 95. & passim multos. *In septentrionem & nunc morientes* Fran. *In septentrionem & in Orientem Mach.* ARNTZ.

Albanos & Colchos.] *Albani* & *Colchi*, intra mare Caspium & Pontum Euxinum. ANNA.

Heniochos.] *Eniochos* MSS. libri: *Enochios* Parisinum exemplum. Vide *Petersulum.* SCHOTT. Ad littus eorum Caspii maris in Margiana. ANN. *Enochios* Agripp. & Ven. *Eniochos Bond. Enioces* Leid. sec. *Eniothas* Fran. *Ervios* Haun. *Gnochios Gramm.* sed vix digna sunt talia, ut adscribantur. *Colchos & Heniochos* ignorat Leid. pr. Malim tamen retinere adspirationem. Quanta lectionum monstra ex hac voce prodierint vide in notis ad *Ovid.* lib. I. Tr. El. X. vers. 35. ad *Lucan.* lib. II. vers. 591. & Var. Lect. ad lib. III. vers. 270.

Caspios.] Ad mare Caspium. ANNA.

Iberi.] Montem incolunt Taurum. MACH. *Hiberos* MSS. & Edit.

Parthos.] Supra sinum Persicum. ANNA.

Judaeos.] Pertinacissimum genus, vel a *Juda*, vel quasi *Idaei*, de quibus lege *Strabonem.* Cepit autem Aristobulum Regem eorum. MACH.

7 *Hircanum.*] Idem, ut *Ptolemaeus*: quod, ut angusto, ita longo etiam, freto primum terras, quasi fluvius, atque justus alveus includit, in mare sinus diffundatur contra eo ipsum, & reliqua. IDEM.

Rubrum.] De quo ita *Pomponius Mela*: *Rubrum mare Graeci, sive quia ejus coloris est, sive quia ibi*

8 venit. Moxque diviſo orbis inperio, cum Craſſus Syriam, Caeſar
Galliam, Pompejus urbem obtineret; poſt caedem Craſſi, Caeſa-
9 rem dimittere exercitum juſſit. Cujus infeſto adventu urbe pulſus,
in Pharſalia victus, ad Ptolemaeum Alexandriae Regem fugit.
Ejus

Eritra regnavit, ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellarunt, procelloſum, aſperum, profundum, & magnorum animalium, magis quam caetera, capax, primo accidentes oras aequaliter impellit, & ut non intret interius aliquantum patens ſinus errat, Arabiamque alluit.* IDEM. *Caſpium* accrevit e MSS. quod mare in vulgatis deſideratur, & mox *jubet* pro *juſſit* iidem praeferunt. SCHOTT. *Rubrum & Arabicum* idem, nam mare *Rubrum Arabicum* etiam dicitur. ANNA. Voluit *Sebottus*: *Hirc. Caſpium, Rubrum.* ſed hoc eſt contra omnes MSS. & Editiones.

8 *Moxque.*] An. U. C. 693. ANNA.

Diviſo.] Placet ſcripta lectio: *Mox cum diviſo orbis inperio Craſſus Syriam.* SCHOTTUS. *Not. Min.* Attamen illa lectio non debebat de loco turbare ſcripturam omnium Editionum, quae confirmatur ex noſtris MSS. *moxque diviſo O. I. cum Craſſus.* Emendationem *Sebotti* receperant ſequentes Editores. De hac diviſione *Seneca* de Conſt. Sap. cap. 11. p. 392. *Quam totus orbis in tres diviſus ſatiare non poterat.* & *Lucanus* lib. 1x. verſ. 266.

* - - *Unum Fortuna reliquit,*
Jam tribus e dominis.

ARNTZ.

Syriam.] Satis conſtat Craſſum auri cupiditate in Parthiam profectum, cujus faeculentia ditiſſimi ſummates hac quoque tempeſtate, aeterno judicio, nunquam explentur, ſed more hydropici,

Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

Qui deinde dolo Surenae circumfundentis, vi in equum ſublatus eſt. *Lucanus:*

Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras.

Et crudeliſſime interfectus fuit, capite ad Regem Hyrodem allato. Jaſon fabularum actor, ſcribente *Plutarcho*, illud multis telis perfodit, ac quaſi fures debacchando pro ludibrio circumtulit. *Petrarcha* in Triumphis vernaculo rythmo ita accedere videtur opinioni, ut aurum in ore liquefactum fuerit: *vide Ciro de ſangue avaro e Craſſo de oro, e l'uno & l'atro nebe tanto, che pareva a ciaſcuno amaro.* MACH. Vide *Flor.* lib. 111. cap. x1. ANNA.

Galliam.] Quam per decennium domuit. In *Suetonio* leges, ejusque commentariis. MACH. *Flor.* lib. 111. cap. x. ANNA.

Urbem.] Imo *Hiſpaniam*, ſed nec ideo *Urbem* reliquit, quippe provinciam ſuam per legatos Afranium & Petrejum adminiſtravit. EAD.

Caedem Craſſi.] Qui in Syria Carris trucidatus eſt. EAD.

Caeſarem dimittere exercitum.] Inquit ipſe *Caeſar: neque obſcure duae legiones Caeſari detrahuntur:* quas (ut idem in fine Belli Gallici aſſerit) a Pompejo retentas, cauſſa vero potiſſima bellorum civilium haec fuit, quia Caeſar ſibi ipſi timeret, noluit exercitum deponere: petebat enim conſulatum ac triumphum. Senatus alterum libens daturus erat, & dicebat: triumphare ſi vis, accede more aliorum Imperatorum; ſin conſulatus competitor eſſe velis, accede privatus humiliter in campo Martio ſuffragia petaturus: timebat vero Caeſar, ſi non obtineret Conſulatum, ac ſine officio, & militibus in provincia viveret, *ne rationem actorum reddere cogeretur*, affirmante *Suetonio*, *cum M. Cato identidem, nec ſine jurejurando denuntiaret, delaturum ſe nomen ejus, ſimulac primum exercitum dimiſiſſet, cunque unico fore praedicaret, ut, ſi privatus rediſſet, Milonis exemplo, circumpoſitis armis, cauſſam apud judices diceret.* MACH.

9 *Infeſto adventu.*] Jam contra Senatusconſultum Rubiconem tranſierat, Picenum, Umbriam, Etruriam occuparat. territus itaque cum Senatu Pompejus ab urbe diſceſſit Brundiſium usque, ut maria cum maritimis locis in poteſtate ſua praeoccuparet. IDEM.

In Pharſalia.] A *Pharſalis* opido dicta. idem operi *Lucani* titulus. Cauſa victoriae Caeſaris: ſex cohortes, legionibus eductae, decimae legioni a tergo locatae, juſſaeque ſunt quietem agere a tergo ac hoſtibus ignotae eſſe: erant numero tria millia virorum, quae obſiſtendo, equites Pompejanos longis jaculis per frontes ac ora feriebant: juvenes autem nobiles hujus inexperti pugnae adverſae, manibus protegendo oculos, terga dedere. reliqui Caeſareorum impetum non ferentes ſalutis ſuae fuga conſuluere, cum Pompejus ad caſtra accelerans, & veſtem ſumens infortunio congruam, inde egreſſus tandem Lariſſam applicuit: caetera in vita ejus perlege. ID. *Pharſalia* Theſſaliae regio, inter Pharſalum & Enipeum fluvium. ANNA.

Victus.] An. U. C. 705. EAD.

Ad Ptolemaeum.] Dubitabat Pompejus, an ad Parthos

Ejus imperio ab Achilla & Pothino satellitibus occisus est.] Hujus 10
latus sub oculis uxoris & liberorum a Septimio Ptolemaei praefecto
mucrone confossum est. Jamque defuncti caput gladio praecisum, 11
quod usque ad ea tempora fuerat ignoratum. Truncus Nilo jacta- 12
tus,

Parthos confugeret, an ad Jubam Mauritaniae Regem, tandem Lentulo apud *Lucanum* hortante lib. VIII. in Aegyptum profectus, ubi regnabat regulus filius. patri ejus ingentia beneficia contulerat Pompejus. Ptolemaei praeceptoris nomine Theodoti, dicentis hominem mortuum non solere nocere, sententia condemnatus & a Septimio & Achilla indigne trucidatus, indigne vitam cum morte commutavit. MACH.

Fugit.] MSS. *confugit.* Addumque, *ejus imperio ab Achillae & Pothino satellitibus occisus est.* Nec quicquam praeterea est: subsequitur enim Julius Caesar, ceterique, quos hic damus, eadem manu & stylo eodem, nisi judicans vehementer hallucinor. Scripsi autem, ne quem offendat, *Pothino*, aspiratione in secundam syllabam traducta, tametsi vulgati in priore appingant, sequimur MSS. librorum vestigia, in quibus constantet *Potinus* vel *Potinius*: sequutus & Graecos *Appianum*, *Dionem*, & *Plutarchum* in Caesare & Pompejo: qui Πόθινος scribunt, primamque corripiunt *Lucanus* & *Martialis*, quae in haeretico Φῶτεινος longa est. Fuit autem *Pothinus* nutricius Ptolemaei, cujus consilio Pompejus Magnus, cum Pelusium accessisset, necatus est. *Caesar* lib. III. de Bello Civili, aliique. SCHOTT. Periodus istaec. *ejus imperio* &c. non comparet in Palatinis, habet tamen sequens: *Hujus latus* &c. usque ad finem, quod tamen non agnoscunt *Schotti* nostri exemplaria scripta. GRUT. *Fugit* tamen malunt Editt. & MSS. Periodus vero *ejus imperio* aberat ab omnibus vel Editionibus vel Scriptis sine dubio vi intrusa, sed uncis includere quam omnino rejicere maluimus, licet facile constet falsam esse, cum, si haec admittatur, sequentia male cohaereant, quae tamen genuina esse affirmant impressi olim & manu exarati ad unum omnes. *Pothinum* scribendum esse adspiratione in media syllaba docuerunt etiam *Dausquius* Orthogr. part. II. p. 249. *Scriver.* ad *Martialem* lib. III. Epigr. LXVI. & lib. V. Epigr. LXIX. atque Comment. ad *Lucanum* lib. VIII. vers. 483. ARNTZ.

10 *Ab Achilla* - - - -.] Alii horum consilio, Septimii vero desertoris sui gladio trucidatum Pompejum ferunt. *Flor.* lib. IV. cap. II. ANNA.

A Septimio.] Mediolanense exemplum *a Photino*, alii *a Theodoto* Ptolemaei praeceptore. Nec mirum, variant enim narrantium sententiae, teste *Plutarcho* & *Appiano*. Est autem *L. Septimius*, cujus *Caesar* meminit tanquam desertoris, & *Dio.* l. XLII. SCHOTT. *Septimo* uterque Leid. *Boend.* & Haun. Pro *confossum* vero idem *Boend.* habet *interfectus. Lucanus* lib. VIII. vers. 618.

Sed postquam mucrone latus *funestus Achillas*
Perfodit.

Seneca de Brevitate Vitae cap. XIV. *Alexandrino perfidia deceptus, ultimo mancipio* transfodiendum *se praebuit.* & *Val. Maximus* lib. III. cap. II. exem. 12. *Vi doloris accensus* latus *Crassi fica* confodit. ARNTZ.

11 *Itemque defuncti.*] *Aldus Jamque.* SCHOTTUS. Ita non solum *Aldus*, sed omnes Editiones ante & post *Schottum* cum nostris MSS.

Praecisum caput.] *Lucanus* octavo Pharsaliae.

- - - Tunc dirae nefandae
Summota est tabes capiti, raptoque cerebro,
Exsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto
Humor, & infuso facies solidata veneno est.

Cum antea de incessione dixisset,

- - - Dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est.

MACH. Perpetua est confusio in similibus compositis, quae a *scindere* & *caedere* componuntur, ut *s* vel duplicetur sine necessitate, vel abjiciatur, ubi id fieri non oportebat, quare hic etiam *praescissum* habebat Leid. pr. sed male. *Livius* lib. XXIII. cap. XXIV. *Spolia corporis* caputque *ducis* praecisum *Boji ovantes intulere.* lib. XXXVIII. c. XXIV. *Jugulati* praecisum caput *ipsa involutum veste ferens.* lib. XL. cap. VI. Caput *mediae canis* praecisae & *prior pars cum extis. Seneca* Suas. VII. p. 43. *Praebenti immotam cervicem*, caput praecisum *est. Val. Maximus* lib. IX. cap. II. ex. ext. 5. Caput *ejus & pedes* praecisos *matri misit.* Infra Epit. cap. XXVIII. §. 2. *Medio* capite *supra ordines dentium* praeciso. Quod idem *excidere caput* dixit *Capitol.* in Clodio Alb. cap. IX. Caput *ejus* excisum *pilo circumtulit. Quintil.* Decl. III. cap. XIII. *An nobis* caput *barbarus hostis* excidat. *Curtius* lib. V. cap. XII. Caput *Graecchi* excisum *consuli allatum est.* Ita *excidere manus* apud *Dion. Cret.* lib. III. cap. XV. & *Vulcat. Gallican.* in Avid. Cassio cap. IV. similiter *abscisum* & *abscissum* permutantur in Epit. cap. XXIII. ubi vide. ARNTZ.

Ignoratum.] Qui *ignoratum* pro *adoratum* mon-

glicus

tus, a Servio Codro rogo inuſtus, humatusque eſt, inſcribente ſe-
pulcro, HIC POSITUS EST MAGNUS. Caput ab Achilla Ptolemaei ſa-
tellite,

dicus retinent, nihil gravius in eos dicam, quam in luce caligare, tametſi libri IV. excuſi ita legant. SCHOTT. Tam pulcram nobis lectionem *adoratum* primus procuravit *Aldus*, quam unicam amplectitur clariſſimus *Schottus*; Sed ego non libenter coecum numen adoro, quod in aliorum cerebro narum publicae ſuperſtitioni exponitur. *Ignoratum* volunt omnes olim Editi & MSS. Ignotus enim erat gladii uſus in abſcidendis capitibus ſub libera Rep. cum hanc in rem ſecuribus uterentur, ut voluerit Noſter indicare primum hoc in Pompejo fuiſſe tentatum, quod firmat *Lucanus* lib. VIII. verſ. 672.

Tum nervos venasque ſecat, nodoſaque frangit
Oſſa diu, nondum artis erat caput enſe reſecare.

Sine arte igitur fuit abſciſum Pompejo caput, unde recte illo loco Scholiaſtes: *Adhuc illo tempore neſciebant ſemel amputare caput a cervice.* quod expone, ſi vis, neſciebant gladio uno ictu caput amputare; hoc enim inter meleganes Carnificum artes recenebatur. *Cicero* lib. V. in Verr. cap. XLV. & *Tacitus* lib. XV. Ann. cap. LXVII. ſub Imperatoribus demum uſus gladii fuit inventus. *Lactantius* lib. V. Div. Inſt. cap. XIII. p. 335. *Non tyrannicas juſſiones, non Praefidum gladios trepidant.* Confer magnum *Lipſium* ad *Tacit.* l. l. *Caſaub.* ad *Suetonium* Aug. cap. XV. *Schulting.* ad *Quinctil.* Decl. 1. cap. X. & Comment. ad *Florum* lib. II. cap. V. §. 3. *Adoratum* tamen, ſi ita voluiſſent codices, poſſet defendere *Ammianus Marcellinus* lib. XIV. cap. XI. p. 64. *Ita colligatis retrorſum manibus in modum nexii cujusdam latronis cervice abſciſſa* (melius *abſciſa*) *ereptaque vultus & capitis dignitate, cadaver eſt relictum informe, paullo ante urbibus & Provinciis formidatum. Seneca* Conſol. ad Marciam cap. XX. p. 285. *Vidit Aegyptium Carnificem & ſacroſanctum Victoribus corpus ſatellitii praeſtitit.* & *Plinius* lib. VI. Epiſt. X. *Negletumque cinerem ſine titulo, ſine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur.* Neque ideo tamen vera lectio damnanda erit. ARNTZEN.

12 *Nilo.*] Poëticum eſt pro *in Nilum*, *Virgilius*: *projecit ſtavio*, &c. id eſt, *in fluvium*. ANN. Et *Muncker.* ad *Hyginum* fab. XV.

Jactatus.] Malim *jactus*, quamvis libri IV. excuſi *jactatus* legant. SCHOTT. Malim *jactatus* cum Palatinis. GRUT. Male quidem *Nilo jactatus*. ANNA. Si alternis vicibus haec vel illa vox probanda ſit, ego malim *jactatus*, tum cunctis MSS. Edit. Ven. & *Mach.* nec cauſſam video, cur alii voluerint eam damnare. *Lucan.* lib. VIII. verſ. 698.

Litora Pompejum ferunt, truncumque vadoſis
Huc illuc jactatur aquis.

ARNTZ.

A Servio Codro.] *Lucanus:*

E latebris pavidus decurrit ab aequore Codrus,

Ac paullo inferius,

Sic fatus, parvos juvenis procul aſpicit ignes,
Corpus vile ſuis, nullo cuſtode cremantes.

MACH. *Codri* nominis veſtigium nullum habet Palatinorum prior, quod tamen hauſtum e *Lucani* libro VIII. Pharſaliae verſu 715. *Plutarchus* pietatem iſtam adſcribit *Philippo*, *liberto Pompeji.* GRUT. *Coltro* ab uno abeſt Fran. ſed reliqui MSS. & Editiones *Servio Codro* conſtanter ſcribunt. De cognomine hoc accurate diſputat Eruditiſſimus *Oudend.* ad *Lucanum* lib. VIII. verſ. 715. qui exiſtimat non *Codrum* eſſe appellandum, ſed *Cordum*, quomodo apud *Lucanum* ediderat *Grotius*; adeoque hic reponendum ex *Tacito*, *Caeſio Cordo*; ſed cum aliter ſentiant MSS. & eo loco & hic, nihil novandum duco. *Codros* iis temporibus Romae notos fuiſſe oſtendit *Codrus* Poëta, cujus mentionem facit *Virg.* Ecl. VII. verſ. 22. ad quem locum *Servius* & Schol. *Juvenalis* Sat. I. verſ. 2.

Vexatus toties rauci Theſeïde Codri.

Cordus exſtat apud *Plinium* Ind. lib. VII. & quos adtulimus ſup. cap. XIV. Itaque cum nihil certi de vero hujus hominis cognomine conſtat, MSS. lectionem admiſi. Si quid mutandum, quod non puto, ſcribi poſſet *a ſervo rogo* &c. ut *Codro* ex ſequenti *rogo* male traxerit originem, quare etiam deeſſe in Fran. monuimus. Fuit enim iſte libertus Pompeji, teſte *Plut.* Pomp. p. 661. quem ille *Philippum* vocat. *Servum* appellavit ad augendam rei indignitatem, unde *Appianus* tantum dicit λοιπὸν σῶμα τὶς ἴδηται, *quidam*, homo vilioris conditionis, lib. II. Bell. Civ p. 788. ARNTZEN.

Inſcribente ſepulcro.] *Inſcribendo in ejusdem ſepulcro*, Mediol. qui mox ita interpungit. *Ab Achilla ſatellite Aegyptio, velamine involutum.* SCHOTT.

Hic ſitus eſt Magnus.] Uſurpatur a *Lucano* lib. VIII. Belli Pharſalici hemiſtichii loco. Solet fere conciſe *Magni* nomine laudari, quod a Sulla Dictatore, qui eum ob ſingularem virtutem amabat, datum recordor: quo nomine & Perſae, Reges

cellite, Aegyptio velamine involutum cum annulo Caesari praesentatum est, qui non continens lacrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavit.

ges suos appellare solitos, refert *Plutarchus*. Exempla infinita poëtarum sunt, ut me multitudo deterreat vel in uno *Lucano*. Vide & versus in fragmento *Petronii Arbitri*. Adrianus autem Imperator in Aegyptum veniens collapsum jam vetustate Pompeji sepulcrum instauravit addito hoc versu:

Ossa Viri Magni tenui quam clausa sepulcro.

Auctor *Xiphilinus* ea *Dione* in Adriano. Vide *Egnatium* ad *Spartiani* Adrianum. Meminit & Montis Cassii non procul Aegypto sepulcro Pompeji celebris lib. IV. cap. IX. *Nic. Nicolaius* Geographus Regius. SCHOTT. Hanc inscriptionem hemistichii loco retulit *Lucanus*:

HIC SITUS EST MAGNUS, placet hoc, fortuna! sepulcrum
Dicere.

Unde non abs re conjectare quis possit apud nostrum legendum esse absque voce *Pompejus*, *hic situs est Magnus*, nam *Magni* nomine concise Pompejus vocabatur. ANNA. *Hic positus est* omnes Editiones ante *Aldum*, qui videtur hoc ex sententia *Luceni* mutasse, ut Noster cum illo potissimum poëta loqueretur. Sed *positus* quoque confirmant nostri scripti, qua voce uti voluit *Aurelius*, ne Poëtam videretur agere. *Ovidius* lib. IV. Trist. El. III. vers. 45.

Et cinis in tumulo positus jacuisset avito.

Albinov. ad *Liviam* vers. 69.

Vix posito Agrippa, tumuli bene jamna clausa est.

Tale tamen hemistichium supra est in Hannibale: *Hannibal hic situs est*. Deinde *Pompejus* exsulat ab omnibus scriptis, pro quo primam tantum literam *P* locant priscae Editiones. Facile ea possumus carere, quod viderat quoque Praestantissima *Anna*, cujus judicium secutus est Doctiss. *Oudendorp.* ad *Lucan.* lib. VIII. vers. 715. De sepulcro Pompeji plura *Erhard.* ad *Petron.* Sat. c. CXX. p. 565. Ceterum in nota *Schotti* ipse Auctor voluerat verba ultima a *meminit* &c. ad finem deleri, ut monuit in add., sed cum ceteri post eum Editores illa exhibuerint, & hic legi passus sum. ARNTZ.

13 *Caput ab Achilla.*] *Plutarchus* in fine vitae Pompeji ita scribit: Caeterum non multo post Caesar in Aegyptum sic perturbatam provinciam profectus, afferentem Pompeji caput, ut scelus, execratus est; ab ipso avertit, gemmam vero Pompeji cum suscepisset, occulte illacrimavit (ejus gemmae signum erat ensis) Achillam atque Photinum jugulavit. Claudat itaque opusculum nostrum carmen vernaculum laureati poëtae *Petrarchae* ita canentis nonagesimo septimo cantu:

Cesare poi ch'el traditor de Egypto
Gli fece el dono de l'honorata testa
Celando la legreza manifesta
Pianse con gli occhi fora, si come e scripto.

Lucanus idem asserit,

Utque fidem vidit sceleris, tumumque paravit;
Jam bonus esse socer, lacrymas non sponte cadentes
Effugit, gemitusque expressit pectore laeto.

MACH.

Pretiosissimis odoribus cremandum.] Idem eodem in loco ita carmine comprobat,

- - - Vos condite busto
Tanti colla ducis, sed non ut crimina tantum
Vestro tegat tellus: justo date thura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.

IDEM.

ADDITAMENTUM VIRORUM ILLUSTRIUM

EX LIBRIS ANTIQUIS MANU DESCRIPTIS.

CAPUT LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Divus dicitur, Thermo contubernalis in Asiam proficiscitur, impudicitiae infamatur, Dolabellam judicio opprimit, Rhodum petit, a piratis capitur & redimitur, Lusitaniam, Galliam & Britanniam subigit, Pompejum in Pharsalia vincit, Pharnacem fugat, Jubam, Scipionem & Pompeios juvenes vincit, a Cassio & Bruto occiditur Cajus Julius Caesar.

1 Cajus Julius Caesar, veneratione rerum gestarum Divus dictus: contubernalis Thermo in Asiam profectus, cum saepe ad Ni-
2 comedem Regem Bithyniae commearet, inpudicitiae infamatus est.
3 Mox Dolabellam judicio oppressit. Dum studiorum caussa Rhodum petit,

1 *Divus dictus.*] A C. Octavio, Imperatore & Caesare creato. Siquidem ludis, quos ei Octavius haeres consecrato edebat, stella crinita per VII. dies fulsit; creditumque esse animam Caesaris in coelum recepti: dictumque *Julium sidus*. *Plutarchus* in Caesare. *Horat.* lib. I. Carmin. Oda XII. & *Sueton.* c. LXXXVIII. SCHOTT.

Thermo.] De quo *Sueton.* cap. XI. SCHOTT.

2 *Dolabellam.*] De quo *Suetonius* cap. IV. At illum repetundarum postulatum, tandem absolutum dicit. IDEM.

Quae hic a *Schotto* addita sunt augmenta, in sex, quibus usi sumus, Codicibus non apparent, quare ea leviori tantum cura perlustravimus.

4 *Rhodum*

petit, a piratis captus & redemtus, eosdem & poſtea captos pu-
nivit. Praetor Luſitaniam, & poſt Galliam, ab Alpibus usque, & 4
Oceanum bis claſſe transgreſſus, Britanniam ſubegit. Cum ei tri- 5
umphus a Pompejo negaretur, armis eum urbe pulſum in Pharſalia
vicit. Capite ejus ablato flevit & honorifice ſepeliri fecit. mox a ſa- 6
tellitibus Ptolemaei obſeſſus, eorum & Regis nece Pompejo paren-
tavit. Pharnacem Mithridatis filium fama nominis fugavit. Jubam 7
& Scipionem in Africa. Pompejos juvenes in Hiſpania apud Mun- 8
dam oppidum ingenti praelio vicit. Deinde ignoſcendo amicis odia 9
cum armis depoſuit, nam Lentulum tantum, & Afranium, & Fau-
ſtum Sullae filium juſſit occidi. Dictator in perpetuum factus a ſe- 10
natu; in curia, Caſſio & Bruto caedis auctoribus tribus & viginti
vulne-

3 *Rhodum petit.*] Ut Apollonio Moloni clariſſimo tum dicendi magiſtro operam daret: hunc audivit & Cicero. IDEM.

Captus.] Circa Pharmacuſam inſulam, & redemptus 1. talentis. Piratas captos, primum ſtrangulatos, cruci, ut inter jocum minatus ſaepe fuerat, ſuffixit. *Sueton.* cap. LXXIV. in Caeſare. L. Feneſtella in Epitoma apud *Diomedem* Grammaticum decollaſſe ait. IDEM.

4 *Praetor Luſitaniam.*] An. U. C. 693. ANN.

Poſt.] An. U. C. 694. 95. 96 & 97. EAD.

Bis.] Semel an. U. C. 698. iterum an. 699. EAD.

5 *Cum ei triumphus negaretur.*] Opinor aliam cauſſam fuiſſe: quod in ſententiam Scipionis Metelli S. C. factum eſſet, Caeſarem, niſi intra certam diem exercitum dimitteret, contra remp. facturum videri, & ipſe proximis comitiis abſentis ſui rationem haberi volebat. *Sueton.* Caeſ. XXVIII. *Torr.* & XXIX. XXX. SCHOTT.

In Pharſalia vicit.] Supra in Pompejo. ANN.

6 *Ablato.*] Vox haec ſine dubio corrupta eſt ex *oblato*, cum praeciſum Pompeji caput tanquam egregium munus Caeſari obtulerint Aegyptii. Vide *Lucanum* lib. IX. verſ. 1010. *Livium* Epit. CXII. *Cum ei Theodotus* caput *Pompeji & annulum* obtuliſſet. *Ceſium* in Vita Caeſ. p. 214. *Pompeji* caput *atque annulus* offertur. Hanc vocem per προσφέρειν exprimunt eadem in re Graeci, *Plutarch.* in Pomp. p. 662. & *Appian. Alex.* lib. II. Bell. Civ. p. 792. ARNTZ.

Mox.] An. U. C. 706. ANNA.

Obſeſſus.] In regia, *Flor.* lib. IV. cap. II. EAD.

Regis nece.] Qui aqua ſuffocatus periit. EAD.

7 *Pharnacem.*] Eum Caeſar quatuor, quibus in conſpectum venit, horis, una profligavit acie. EAD.

8 *Jubam.*] Mauritaniae Regem. Vide *Flor.* IV. II. apud Thapſon Africae opidum pugnatum an. U. C. 707. EAD.

Mundam.] Boeticae urbem in inferiori Hiſpania. EAD.

Vicit.] An. U. C. 708. Vide *Flor.* IV. II. EAD.

9 *Lentulum.*] Tametſi MSS. ſic legant, credo ſcribendum *L. Caeſarem*, quem cognatum ſuum utpote ſibi ſemper infeſtum, juſſit occidi. *Dio* lib. XLIII. *Sueton.* cap. LXXV *Afranium*, cui ſemel in Hiſpania ignoverat, & quem quia iterum arma contra ſe tulerat, juſſit occidi. *Caeſar* extremo Commentario primo Belli Civilis. *Florus* CX. Epitome *T. Livii: Vellejus Paterculus* II. lib. & *Ann. Florus* lib. IV. L. vero Cornelium Fauſtum Sullam interfici juſſit, quod gener Cn. Pompeji Magni eſſet, & de vindicta ſuſpectus. *Paulus Oroſius* lib. VI. cap. XVI. & *L. Ann. Florus* lib. IV. filiam Pompeji cum liberis etiam interemtam ſcribunt, ſi recte codices habent; a quibus *Appianus* lib. II. Belli Civilis, & ſeu *Hirtius*, ſeu *Oppius* diſſentiunt, qui incolumitatem a Caeſare datam affirmant. SCHOTT. *Lentulum* tamen minime nominat *Florus* lib. IV. cap. II. §. ultimo, ſed neque a quoquam poſitus inter eos, quos interfecit Caeſar. itaque jure ambigunt de veritate ſcripturae viri docti. GRUT. Pro *amicis* ſenſus videtur requirere, ut legamos *inimicis*.

10 *In perpetuum.*] Admonendum ſemel perpetuo in MSS. eſſe unica dictione *imperpetuum*. Dictus autem a M. Aemilio Lepido, ejus anni Praetore, qui poſt III. Vir. R. P. C. factus eſt. *Plutarchus* a ſenatu dictum ait, & undecim dies geſſiſſe ſcribit. Vide *Caeſar.* Comm. II & III, initio

vulneribus occisus est; cujus corpore pro rostris posito, sol orbem suum celasse dicitur.

de Bello Civili. SCHOTT. Contra leges. Dictaturae imperium tantum semestre & nunquam in annum prorogatum invenias, nisi id per extremam Reip. necessitatem factum sit. ANNA.

Occisus est.] An. U. C. 709. EAD. Quod hic scribit Noster de Eclypsi solis falsum esse ostendit summus *Scaliger* de Emend. Temp. lib. v. p. 441.

CAPUT LXXIX.

ARGUMENTUM.

In familiam Juliam transfertur, Brutum & Cassium, Sextum Pompejum & Marcum Antonium debellat, reliquam orbis partem domat, Jani portas claudit, Dictator sit perpetuus, & Divus Augustus appellatur Octavianus Caesar.

1 Caesar Octavianus ex Octavia familia in Juliam translatus, *in* ultionem Julii Caesaris, a quo heres fuerat institutus, Brutum & 2 Cassium caedis auctores in Macedonia vicit. Sextum Pompejum Cn. Pompeji F. bona paterna repetentem, in freto Siculo superavit. 3 Marcum Antonium Consulem Syriam obtinentem, amore Cleopatrae devinctum, in Actiaco Ambraciae litore debellavit. 4 Reliquam

1 *Caesar Octavianus.*] In his breviores erimus, quod existent copiosae de his Veterum lucubrationes, *Suetonii*, *Dionis*, *Sex. Aurelii Victoris*, eorumque qui Caesarum vitas conscripsere. SCHOTTUS.

Octavia Familia.] Velitris oriunda. ANNA.

In Macedonia vicit.] In Campis Philippicis an. U. C. 711. Vide *Flor.* lib. IV. cap. VII. EAD.

2 *Sextum Pompejum.*] *Florus* lib. IV. c. VIII. EAD.

In freto Siculo.] *Totu mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppressus est. Florus* An. U. C. 717. EAD.

3 *Consulem.*] Vox *Consulem* mihi suspecta est. Neque enim tunc consul erat Antonius. EAD. Sed accipiamus hanc vocem generaliori significatione, de quocunque Imperatore vel Duce, qui bellum gerit, quomodo aliquoties supra, adde Cl. *Duker.* ad *Florum* lib. II. cap. XIV. §. 5.

In Actiaco Ambraciae litore.] An. U. C. 722. Vide

quam orbis partem per legatos domuit. Huic Parthi signa, quae Crasso sustulerant, ultro reddiderunt. Indi, Scythae, Sarmatae, 5 Daci, quos non domuerat, dona miserunt. Jani gemini portas 6 bis ante se clausas, primo sub Numa; iterum post primum Punicum bellum; sua manu clausit. Dictator in perpetuum factus, a se- 7 natu, ob res gestas Divus Augustus est appellatus.

Vide *Flor.* lib. IV. cap. XI. ANNA.

Reliquam orbis partem.] *Flor.* lib. IV. cap. XII. EAD.

4 *Sustulerant.*] *Abstulerant* alii: *Horat.* lib. IV. Od. XV:

Et signa nostro restituit Jovi.

SCHOTT.

Ultro reddiderunt.] Idem *Florus.* *Parthi quoque quasi victoriae poeniteret, rapta clade Crassiana, ultro signa retulere.* Sed falsum est, signa Romana a Parthis reddita, cum Phraatis filium Augustus remisisset. Quare sciens & volens *Horatius* etiam falsus est lib. IV. Od. XV.

Tua, Caesar, aetas
Fruges & agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus.

ANNA. Quid sibi velit hac nota bellissima Femina, ego non percipio, utique certum est signa a Parthis Romam esse relata, cum in eo tantum dissentiant Veteres, utrum hoc metu Augusti fecerit Phraates, an ut filium redimeret. Vide *Freinsh.* ad *Florum* lib. IV. cap. XII. §. 63. Quare fortasse voluit *Anna* indicare, signa non *reddita ultro*, sed potius *redemta* esse. Sed tum non video, quare *Horatium* falsi accuset. ARNTZ.

5 *Inde Scythae.*] Sic MSS. scribe *Indi, Scythae:* adstipulante *Sexto Aurelio Victore* in Augusto. SCHOTT. *Horat.* lib. IV. Od. XIV.

Te cantaber non ante domabilis
Medusque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela praesens
Italiae, Dominaeque Romae!

Indi ultra & intra Gangem noti sunt, *Scythae* ad ultimam septemtrionis plagam supra mare Caspium. ANNA.

Sarmatae.] Ad fluvium Rham, qui in mare Caspium incurrit. EAD.

Daci.] Ad Danubium.

6 *Jani gemini.*] Jani templum tempore Numae Pompilii, a quo aedificatum est, clausum anno ab U. C. XLII. & annis prope XL. Iterum C. Atilio Bulbo II. T. Manlio Torquato Coss. anno DXVIII. post primum Punicum bellum & uno anno duntaxat clausum. *Orosius* III. cap. VIII. lib. IV. cap. XII. tertio post Caesaris Augusti ad Actium de Antonio & Cleopatra victoriam, pace terra marique parta, anno IOCCXXIV: *Livius* lib. I. ab U. C. *Suet.* in Augusto cap. XXIII. ubi pro *tertio clausit* in veteribus MSS. est *ter clusit*: *L. Annaeus Florus*, *Orosius* lib. III. cap. VIII. & IV. cap. XXII. *Plutarchus* de Fortuna Romana & alii. SCHOTT. Luculenter in hac materia versatus est accuratissimus *Massonius* in Jani Templo Christo nascente Reser. & praesertim Janum ter ab Augusto clausum fuisse evincit sect. II. cap. I. & seqq.

Portas.] Quae apertae bellum: clausae pacem indicabant. ANNA.

Post primum Punicum bellum.] An. U. C. 519. EAD.

Clausit.] Ter clausit. Vide quae apud *Flor.* lib. IV. cap. XII. dicta sunt. EAD.

7 *Dictator in perpetuum.*] De hoc supra dictum. Hunc honorem Augustus fortiter repulit. EAD.

Augustus.] Ut, dum terras colebat, ipso nomine & titulo consecraretur. *Augustus* enim majestatis divinae vox est, qua, quae diis consecrata sunt, insigniuntur. EAD.

CAPUT LXXX.

ARGUMENTUM.

Sociorum cauſſae ut ſe favere dicat non adducitur, Ptolemaei pecuniam ſummam cum fide Romam perducit, Pompeji partes ſequitur, & illo victo Uticae ſemet occidit Cato Praetorius.

1 Cato Praetorius, Catonis Cenſorii pronepos, cum in domo avunculi Druſi educaretur, nec pretio, nec minis potuit adduci a Q. Popedio Silone Marſorum Principe, ut favere ſe cauſſae Socio-
2 rum diceret. Quaeſtor in Cyprum miſſus ad vehendam ex Ptolemaei hereditate pecuniam, cum ſumma eam fide perduxit; prae-
2 terea conjuratos puniendos cenſuit. Bello civili, Pompeji partes ſequutus eſt; quo victo exercitum per deſerta Africae duxit, ubi
4 Scipioni Conſulari delatum ad ſe inperium conceſſit. Victis partibus Uticam conceſſit, ubi filium hortatus, ut clementiam Caeſaris experiretur, ipſe lecto Platonis libro, qui de bonis mortis eſt, ſemet occidit.

1 *Catonis Cenſorii.*] Cujus ſupra vita eſt deſcripta cap. XLVII. Vide genealogiam Catonum ex *Ciceronis* libro de laude M. Catonis apud *Gellium* lib. XIII. cap. XVIII. & *Macrob.* lib. VI. c. II. SCHOTT.

Nec minus.] E caenaculo enim praecipitaturum minabatur. IDEM.

A Qu. Popedio.] Sic emendo: in MSS. erat *ab Pedio*, pro *a Q. Popedio* vel *Pompedio*, de quo diximus in Metellum Pium: ubi vulgati codices *Q. Pompejum* corrupte ſcribunt. *Plutarchus* in Mario *Pompedium* appellat. IDEM.

Cauſſae ſociorum.] Qui jus civitatis ſibi a Druſo promiſſum armis repetebant. Inde bellum *ſociale*, de quo ſupra. ANNA.

2 *Quaeſtor in Cyprum miſſus.*] Vide quae apud *Florum* dicta ſunt lib. III. cap. IX. EAD. Mox credo legendum eſſe *ad advehendam* ex illis quae notavimus ſup. ad cap. XIX. §. 2. & *Torren.* ad *Valer. Max.* lib. I. cap. VIII. exem. 2. ARNTZEN.

Hereditate.] Cave hic *haereditatem* ita accipias quaſi populum Romanum Ptolemaeus haeredem fecerit. Nam contra eſt. *Haereditate*, id eſt, bonis. Vivo enim adhuc Ptolemaeo, Clodius ei infenſus legem tulit, ut ejus bona publicarentur, & Cyprus in provinciae formam redigeretur. Miſſus igitur Cato, qui ejus bona ad populum Romanum transferret. ANNA.

Conjuratos.] Lentulum & alios. Ejus orationem vide apud *Salluſtium* Catilinaria. EAD.

3 *Per deſerta Africae.*] *Velleius* lib. II. cap. LIV. *Eorumque* (Jubae & Scipionis) *copias auxerat Marcus Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir cum ſummum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit.* EAD.

4 *Uticam.*] Maritimam Africae urbem prope Carthaginem. EAD.

Platonis libro.] Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς. Vide *Valer. Max.* lib. III. cap. II. SCHOTT. Qui *Phaedon* dicitur, de immortalitate animae hic egit *Plato*. In eum librum extat *Callimachi* epigramma quod interpretes non intellexerunt: illud vide editionis noſtrae pag. 135. ANNA.

CAPUT LXXXI.

ARGUMENTUM.

Genus ab Attio Tullo ducit, Athenis Antiochum philoſophum audit, Rhodi Molonem rhetorem magiſtrum habet, Siciliam quaeſtor habet, Verrem repetundarum aedilis damnat, Ciliciam latrociniis praetor liberat, conjuratos conſul capite punit, in exſilium agitur, Romam redit, Pompejum bello civili ſequitur, a Caeſare veniam accipit, Antonium hoſtem judicat, & fugiens occiditur M. Tullius Cicero.

Marcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre Equite Romano natus, genus a Tullo Attio Rege duxit. Adoleſcens Roſcia- 1 no judicio eloquentiam, & libertatem ſuam adverſum Sullanos oſtendit, ex quo veritus invidiam Athenas ſtudiorum gratia petivit, ubi 2

1 *Marcus Tullius Cicero.*] Hujus vitam carptim delibabimus: neque enim copioſe perſequi eſt animus, tantum in fontes digitum intendam. Exſtat enim Ciceronis per annos conſulares tam accurate digeſta hiſtoria a *Francisco Fabricio* Marcoduano, poſt *Plutarchum*, *Sebaſtianum Corradum*, & *Benedictum Herbeſtum*, ut omneis omnium in Ciceronem conatus exiguo libello ſuperaſſe videatur. Illum autem manuſcripto noſtro quoque uſum (ex Clivia enim liber allatus eſt) conſtat: Ait enim ſe in vetuſto codice de Viris illuſtribus vitam Ciceronis breviter compreheuſam legiſſe, quae hac appendice incluſa eſt: caeterum *Fabricii* vitam niſi invidae Parcae magno rei litterariae damno abrupiſſent, *Demoſthenis* vitam inchoatam olim, ac ſimiliter contextam, & jam ut audio affectam, haberemus: quam haeredum beneficio aliquando editum iri confido. SCHOTT.

Arpinas.] Arpinum urbs apud Hirpinos. ANN.

Patre equite Romano.] At fulloniam feciſſe, ac vites oleasque ſemper coluiſſe *Q. Fufius Calenus* apud *Dionem* lib. XLVI. ait. Meminit patris ſui Cicero II. de Legib. & Epiſtola V. lib. I. ad Atticum. SCHOTT.

Genus a Tito Tatio Rege.] *Euſebius* in Chronicis & *Plutarchus* in vita Ciceronis genus ad Volſcorum Regem retulere, ſed *Tullum Attium* nominant: tamerſi quidam codices Τύλλον Ἄττιον pro Ἄττιον male: in Coriolano vero Ἀουφίδιον, non minus vitioſe ſcribunt. *Dionyſius Halicarnaſſeus* ſemel Τύλλος Ἀουίδιος: alibi recte ſemper appellat: quo de in Coriolano noſtro quoque mentio facta. *Silius Italicus* lib. VIII. *Tullum* quoque vocat.

Tullius aeratus raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto. &c. IDEM. Et quae breviter ſupra nos cap. XIX.

2 *Roſciano judicio.*] Contra L. Sullae dominantis opes Sextum Roſcium Amerinum parricidii reum defendit. *Cic.* Offic. II. Et primam cauſſam in Bruto vocat, publicam ſcilicet: nam pro Quinctio privatam apud Aquilium Gallum judicem egit anno aetatis XXVI. poſt Romam conditam DCLXXII. *Quinctil.* lib. XII. cap. VI. Vide *Agellium* lib. XV. cap. XXVIII. qui *Corn. Nepotem*, ut *Feneſtellam Pedianus*, erroris convicit, de anno actionis Roſcianae: diſces ibidem & annum nati Ciceronis. Dixit & pro Q. Roſcio comoedo anno DCLXXVII. aetatis XXXI. ut recte *Fabricius*, repugnantibus reliquis, defendit. SCHOTTUS. Cum Roſcius Amerinus Romae occiſus eſſet, ejus bona tanquam proſcripti Sulla haſtae ſubjecit, ea emit Chryſogonus ejus libertus duobus millibus nummum. Sed cum filius idemque haeres Roſcii patris bona ita venduta eſſe aegre ferret, eaque ſexagies eſſe demonſtraret, Sulla coargui ſe graviter tulit, & Roſcii filii nomen operae Chryſogoni de parricidio deferendum curavit. Cum Roſcii patrocinium ob Sullae metum nemo ſuſciperet, adoleſcens ad Ciceronem confugit, qui annos natus XXVII. eum contra Sullae dominantis opes defendit. Victor in cauſſa, magna in admiratione fuit, & ipſe *Cicero* in Bruto ſic ſcribit: *Itaque prima cauſſa publica pro Sexto Roſcio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quae non noſtro digna patrocinio videretur.* ANN.

Ex quo veritus invidiam.] Sic & *Euſebius* in Chronicis, *Calenus* apud *Dionem* lib. XLVI. & *Plutarchus*. Ipſe tamen in Bruto eam cauſſam dicit

ubi Antiochum Academicum philoſophum ſtudioſe audivit. Inde eloquentiae gratia Aſiam, poſt Rhodum petiit, ubi Molonem Graecum, Rhetorem tum diſertiſſimum magiſtrum habuit; qui fleſſe dicitur quod per hunc Graecia eloquentiae laude privaretur. Quae-
3 ſtor Siciliam habuit. Aedilis C. Verrem repetundarum damnavit.
4 Praetor Ciliciam latrociniis liberavit. Conſul conjuratos capite punivit.

eit in Graeciam proficiſcendi fuiſſe, quod infirmitate corporis vocis contentionem in dicendo latera non ſerrent. Triennium ergo a patria ſtudiorum cauſſa afuit, temperavitque vocem; ut ad orandum paratior redierit, & validior. SCHOTT.

Athenas ſtudiorum gratia.] Poſt biennium quam Roſcium defenderat. ANNA.

Ubi Antiochum.] Aſcalonitam ſcilicet, ut *Plutarchus* vocat: de quo *Cicero* 1. de Natura Deorum, in Bruto, Lucullo, & 1. de Legibus, *Plutarchus* in Cicerone & Lucullo. SCHOTT.

Audivit.] Sex menſes. *Cicer.* in Bruto. *Cum veniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho veteris Academiae nobiliſſimo, & prudentiſſimo Philoſopho, fui, &c. poſt a me Aſia tota peregrata eſt.* ANNA.

Molonem.] MS. C. noſter *Milonem* depravate ſcripſerat, neſcio quid de Annio Milone, quem Cicero reum caedis Clodianae defenderat, ſomnians. *Molonem* omneis appellant: quem audivit anno aetatis XXIX. DCLXXV. poſt Romam conditam. Antea quoque Romae eidem operam dederat aetatis XX. ab U. C. DCLXVI. teſtis *Cicero* ipſe in Bruto: *Plutarchus* in Cicerone & Caeſare. *Strabo* lib. XIV. *Quinctilianus* lib. III. cap. 1. *Sueton.* in Julio. *Valer.* lib. II. cap. 1. Rurſus anno XXVI. aetatis, DCLXXII. poſt U. C. cum legatus *Molo* ad Senatum Romanum de praemiis venerat: Rhodos enim ſola bello Mithradatico in fide Romana permanſit. *Cicero* in Bruto. Ad Praeturam usque Graece declamaſſe auctor eſt *Suetonius* de Claris Rhetoribus. Noſter c. LXXVI. & *Paterculus* libro priore poſt primam lacunam. *Juvenalis* Satyra X. de eloquentia plerumque perniciosa:

- - - Saevus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae.
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.

SCHOTT.

Qui fleſſe dicitur.] *Plutarchus* triſtem fingit, neque orante Cicerone Graece laetitiam prae ſe tuliſſe. SCHOTT. Apollonius Molo Latinae linguae rudis Ciceronem oravit, ut Graece declamaret, in quo cum ideo illi obtemperaſſet, quod putaret ſe ita melius corrigi poſſe, Apollonius neque orante Cicerone laetitiam prae ſe tulit, & cum peroraſſet, defixus in cogitatione diu ſedit, quod ubi Ciceronem aegre ferre ſenſit, haec ejus vox erupit: *Te equidem, M. Tulli collaudo & admiror. Sed me Graecorum fortunae miſeret, cum videam doctrinae & eloquentiae laudem, quae ſola nobis reliqua erat, per te ad Romanos tranſlatam eſſe.* ANNA.

3 *Quaeſtor.*] Urbanus aetatis anno XXXI. U. C. DCLXXVII. *Cicero* in Piſonem. Verrina VII. Famil. lib. VII. epiſt. XXXI. SCHOTT.

Siciliam habuit.] Anno inſequenti. Quaeſtor autem erat Lilybaetanus, praetore Sexto Peducaeo, ut *Aſconius*: & M. Curtio, ut ipſe oratione poſt reditum in ſenatu affirmat. Accidebat autem ut unus quaeſtor duorum Praetorum eſſet. *Nicolaus Gruchius* II. de Comitiis. Duplex vero in Sicilia Quaeſtor erat, unus Lilybaetanus: alter Syracuſanus dictus. *Plutarchus*, *Aſconius Pedianus* & *Cicero* pro Plancio, Verrina II. & VII. IDEM. Latius haec omnia, unde ſua hauſit Doct. *Schottus*, tractat *Fabricius* in Hiſtor. Cicer. p. 69.

Aedilis.] An. U. C. 683. aetatis ſuae 37. ANNA.

C. Verrem.] Verres ex Praetura Siciliam provinciam per triennium tenuerat, atque *in* ea fuerat libidinoſe, avare, crudeliterque verſatus, quare repetundarum reus a Siculis poſtulatus eſt, quorum patrocinium ſuſcepit Cicero. EAD.

Praetor Ciliciam.] Fuit urbanus Praetor A. U. C. DCXXCVII. Aetatis XLI. Ciliciam vero Provinciam Conſularem privatus ſorte obtinuit DCCII. ab U. C. aetatis LVI. auctore *Plutarcho* & *Cicerone* ad Attic. lib. V. Epiſt. XV. Fam. lib. III. Epiſt. VI. Itaque Praetor hic non eum ſignificat, qui jurisdictioni in urbe praeeſt, ſed qui cum imperio extraordinario in provinciam miſſus eſt. Graecis στρατηγὸς. SCHOTT. De hac ſignificatione vocis *Praeteris* ſupra egimus c. LXIII. §. 2.

Liberavit.] Vide ad Atticum lib. V. Epiſt. XX. Famil. lib. II. Epiſt. X. lib. XV. Epiſt. IV. ANN.

Conſul.] An. U. 690. aetatis ſuae 45. EAD.

Conjuratos.] Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, & alios, qui cum Catilina conjuraverant. EAD.

4 *Invidia*

nivit. Mox invidia P. Clodii, inſtinctuque Caeſaris & Pompeji, 4
quos dominationis ſuſpectos, eadem, qua quondam Sullanos, liber-
tate perſtrinxerat, ſollicitatis Piſone & Gabinio Conſulibus, qui
Macedoniam, Aſiamque provincias in ſtipendium opera hujus ac-
ceperant, in exſilium actus; mox ipſo referente Pompejo rediit,
eumque civili bello ſequutus eſt. Quo victo veniam a Caeſare ultro 5
accepit; quo interfecto Auguſtum fovit; Antonium hoſtem judica-
vit. Et cum III. Viros ſe feciſſent, Caeſar, Lepidus, Antonius- 6
que, concordia non aliter viſa eſt inter eos jungi poſſe, niſi Tulli-
us necaretur; qui, inmiſſis ab Antonio percuſſoribus, cum forte
Formiis

4 *Invidia P. Clodii.*] Qui tunc Tribunus plebis erat. EAD.

Sullanos.] Cum Roſcium defendit. EAD.

Sollicitatis.] Clodius pactus cum Conſulibus, Gabinio Syriam, Babylonem, Perſas, Piſoni Achajam, Theſſaliam, Graeciam, Macedoniam, omnemque Boeotiam dedit. EAD.

Piſone & Gabinio.] L. Calpurnius Piſo Caeſonius & A. Gabinius Conſules in Faſtis Capitolinis nominantur anno, ni fallor, DCXCV. SCHOTT.

Macedoniam Aſiamque.] Hoc loco *Schottus* pro *Aſiam*, quod erat in MS. repoſuerat *Syriam*, quod ſcilicet exiſtimaret, nimis generale illud eſſe. Sed tamen eo modo emendare neceſſe non eſt, cum non ſolum Syria, verum & aliae Aſiae Regiones Gabinio fuerint attributae, ut conſtat ex *Cicer.* pro Domo cap. XXIII. *Alteri Syriam, Babylonem, Perſas integerrimas pacatiſſimasque gentes ad diripiendum tradidiſſes.* ut non mirum ſit, ſi talem Provinciam *Aſiam* appellet, quomodo *Cicero* Ciliciam *Aſiam* dixit lib. I. ad Quint. Fratr. Epiſt. I. *Quare cura, ut hic annus qui ad laborem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiae prorogatus eſſe videatur; quoniam in te retinendo fuit Aſia felicior, quam nos in deducendo.* Similiter *Provincia Aſia* occurrit apud *Tacitum* lib. XIII. Ann. cap. XLIII. & Agric. cap. VI. Et certius lectionis hujus veritas confirmatur ex *Floro* lib. IV. cap. II. §. 12. qui ſcribit Caeſarem Gallias, Craſſum *Aſiam* invaſiſſe provinciam, per quam *Syriam* eſſe intelligendam conſtat ex *Livii* Epit. CV. *Craſſo* Syria *& Parthicum bellum, Caeſari Gallia & Germania debantur.* ARNTZ.

Opera hujus.] Legendum opinor *operae hujus*, qua de re vide *Sigonium* ſup. 283. SYLBURG. *Opera hujus* intelligi debet de P. Clodio. ſed tale quid vix patitur verborum nexus. itaque non immerito locus haberi queat ſuſpectus de mendo. GRUT. Neque hic locus medicina eget, cum *hic* etiam ſi ſolitarie ponatur non ad proxime praecedens ſed ad ulterius referri ſoleat. Exempla vide apud Cel. *Burmannum* ad *Quinctil.* lib. II. Inſt. cap. V. & Erud. *Cortium* ad *Salluſt.* Jug. cap. XVIII. §. 9. ſimilis eſt locus *Flori* lib. I. cap. XXVI. §. 7. *Ac de ſpurio quidem ſupplicium Pater ipſius ſumſit. Hunc Quinctii dictatoris imperio in medio foro Magiſter Equitum Servilius Ahala confodit.* Si *Sylburgii* conjectura reciperetur, potius Noſter ſcripſiſſet, *hujus operae.* ARNTZ.

In exſilium actus.] An. U. C. 695. aetatis ſuae XLVIII. ANNA.

Referente.] Id eſt, in Senatu verba faciente. EAD.

Pompejo.] Imo L. Mummio Tribuno plebis, & adjuvante Pompejo. EAD.

Civili Bello.] Caeſaris & Pompeji. EAD.

Sequutus eſt.] Vide lib. XIV. Epiſt. VII. Famil. & orat. pro Ligario. Tunc Cicero annum agebat LVIII. EAD.

5 *Ultro.*] Nam praeterquam quod Dolabellae id negotii dediſſet Caeſar victor, ut ad Ciceronem ſcriberet, ut quam primum in Italiam rediret: ipſe literas ad eum ex Aegypto miſit, ut eſſet idem, qui fuiſſet. *Cicero* Epiſtola ult. lib. XIV. ad Fam. & orat. pro Q. Ligario. Vide lib. XI. ad Attic. extrem. SCHOTT.

Antonium.] Coſ. An. U. C. 709. aetatis Ciceronis LXIII. ANNA.

6 *Et cum III. viros.*] An. U. C. 710. Vide *Flor.* lib. IV. cap. VI. EAD.

Concordia non aliter viſa eſt.] Antonius enim nullam conditionem accipere ſeſe dicebat, niſi primus Cicero interficeretur, primis diebus pro Ciceronis ſalute certavit Octavius; ſed tertio demum die ceſſit, ejusque vitam prodidit. EAD.

Formiis quieſceret.] Ita & *Euſebius* in Chronicis. Ad Cajetam in villa ſua, inquit *Valerius* Me-

Formiis quiescceret, inminens exitium corvi auspicio didicit, & fugiens occisus est. Caput ad Antonium relatum.

morabilium lib. I. cap. IV. & *Plutarchus: Appianus* vero ad Capuam Ciceronis villam collocat: inde se a servis lectica ad mare deferri jussit. Idem *Plutarchus* plures corvos infausta auspicia dedisse ait. SCHOTT.

Corvi.] Cum Cicero servis se ad Cajetam deportandum navigio commisisset, ubi praedia habebat, & blandum aestate etesiarum diebus perfugium, e sacello Apollinis quod ibidem supra mare erat, corvi cum clangore ad ejus navem, quae ad littus appellebatur, confestim advolarunt atque ex utraque parte antennae insidentes partim crocitarunt, partim rudentum capita rostris tutuderunt: idque signum omnibus infaustum est visum. Cicero tamen egressus in villam se recepit, & quieti dedit. Ibi corvorum magna pars tristi voce ad fenestram assedit: Unus in lectum devolavit, & rostro vestem, qua Cicero tectus erat, paullatim ab ore ipsius removit. *Plutarchus* Cicerone. *Val. Max.* lib. I. cap. IV. ANNA.

Auspicio.] Anno priore DCCIX. aliud prodigium exitium ipsi Ciceroni portendere videbatur: Minervae enim simulacrum, quod in Capitolio, priusquam ex urbe in exsilium abiret, dedicaverat, cum hac inscriptione.

MINERVAE CUSTODI URBIS.

Vi turbinis dissiparum membris, prostum jacuit, fractis humeris, brachiis, & capite. *Julius Obsequens* & *Dio* libro XIV. & *August.* Civitatis lib. III. cap. XXX. SCHOTT.

Fugiens.] Lectica per silvestres & opacas ambulationes. ANNA.

Occisus est.] Ab Herennio Centurione & C. Popilio Laenate tribuno militum, quem parricidii reum olim defenderat. quo de vide *Val. Max.* lib. V. cap. III. & *Senecam* in Declamationibus & Suasoriis. Caput & manus dextera, qua Philippicas scripserat, pro rostris, ubi saepe verba faciens cum stupore hominum auditus fuerat, in contumeliam ab Antonio collocata. Spectaculum mehercle, horrendum, facinus crudele & impium, sive auctorem sive percussorem spectes. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menses II. dies. 5. SCHOTT.

CAPUT LXXXII.

ARGUMENTUM.

Philosophiam & eloquentiam discit, Cytheridem amat, in Ciliciam quaestor proficisci non vult, Pompejum bello civili sequitur, a Caesare veniam accipit, Galliam proconsul regit, Caesarem occidit, ab Augusto vincitur, & Stratoni cervicem praebet Marcus Brutus.

Marcus Brutus avunculi Catonis imitator, Athenis Philosophiam, Rhodi eloquentiam didicit. Cytheridem mimam cum Antonio

nio & Gallo poëta amavit. Quaestor in Galliam proficiſci noluit,3 quod is bonis omnibus diſplicebat. Cum Appio Claudio in Cilicia4 fuit, & cum ille repetundarum accuſaretur, ipſe ne verbo quidem infamatus eſt. Civili bello a Catone ex Cilicia retractus, Pompe-5 jum ſequutus eſt. quo victo, veniam a Caeſare accepit, & Procon-ſul Galliam rexit, tamen cum aliis conjuratis in curia Caeſarem oc-cidit. Et ob invidiam veteranorum in Macedoniam miſſus, ab Au-6 guſto in campis Philippiis victus, Stratoni cervicem praebuit.

2 *Cytheridem.*] *Mimum* male in MS. *Cytheris* autem Meretrix, Volumnii liberta, Antonium in Galliam ſequuta eſt: quam cum Cor. Gallus poëta eximius petdite amaret: ab illa ſpre-tus, repulſam impatienter tulit. Hunc igitur x. Ecloga *Virgilius* inducit, illamque Lycoridem no-minat:

- - - Tua, Galle, Lycoris
Perque niveis alium, perque horrida caſtra ſe-quuta eſt.

Quo loco vide *Servium*, & *Ciceronem* Philipp. II. Idem lib. X. Epiſt. XII. ad Attic. *M. Antonius Cytheridem ſecum lectica aperta portat, altera uxo-rem.* SCHOTT.

3 *In Galliam.*] Omiſſum eſt nomen Imperato-ris, cui Brutus Quaeſtor eſſe noluit, fortaſſe igi-tur legendum: *Quaeſtor cum Caeſare in Galliam proficiſci noluit.* Caeſar enim per illos annos Gal-liae proconſul fuit. SYLB.

Cum Appio ſocio.] Sic ſcriptum reperi, unde conjeci pro *ſocio*, *Clodio* primum fuiſſe. *Clodii* enim, *Claudii* ipſi, poſt dicti ſunt migrante di-phthongo *au* in *o* ut & *Aula* in *Olla* & ſimilia. SCHOTT.

Cum illo repetundarum.] Eum accuſavit P. Cor-nelius Dolabella. ANNA.

5 *Proconſul Galliam rexit.*] Ciſalpinam intelli-ge, a Julio Caeſare ad bellum Africanum profici-ſcente, ei praefectus; auctor *Appianus* lib. II. *Cicero* ad Famil. lib. VI. Epiſt. VI. qui ad illum quinque Epiſtolas miſit, quae lib. XIII. exſtant. Immemor tamen beneficii, de caede Caſaris co-gitavit, & perfecit. SCHOTT.

6 *Ob invidiam Veteranorum.*] Qui Caeſarem diligebant & ejus necem impatienter ferebant. ANN.

Philippiis.] In MSS. aſſidue, ut non incuria quadam, ſed de induſtria accidiſſe videatur. Urbs certe Philippi numero multitudinis appellantur. SCHOTT. Non debuerat igitur contra manu-ſcripti Auctoritatem peccare Vir doctiſſimus, re-ponendo in textum *Philippicis*, praeſertim cum notum ſit, adjectiva illa Regionum & in *icus* & *ius* terminari, *Philippius* & *Philippicus*, uti illud eadem hac in voce patet ex *Velleio* lib. II. cap. LXXXVI. §. 2. *Aut in campis Philippiis, ſi ſic lo-cuiſſet.* ubi alii itidem *Philippicis*, alii *Philippis*. neglecta una littera, quod fortaſſe etiam errori an-ſam dedit apud *Valerium Maximum* lib. I. cap. VII. exem. I. *In campis Philippis Romani exerci-tus concurrerunt.* uti exſtat in Vet. Editt. & MSS. levi mutatione pro *Philippiis*. Ita *Pharſalius* a-pud Nobil. *Heinſium* ad *Claudian.* VI. Conſ. Hon. verſ. 400. & Erud. *Oudend.* ad *Lucanum* lib. VI. verſ. 576. & lib. VII. verſ. 787. qui hoc idem de aliis vocibus obſervavit ad lib. II. verſ. 49. & lib. VI. verſ. 402. Similiter *Troius* apud *Nicola-um Heinſium* ad *Ovid.* Epiſt. I. verſ. 78. quae vox ita emendatior occurrit apud *Senecam* in Cod. ſcripto in Agam. verſ. 637.

Secura metus Troïa pubes
Sacros gaudet tangere funes.

ARNTZ.

Stratonis.] Pro liberti nomine, librarii *Strabo-nis* ſcripſerant, *ſtrabi* & ipſi fortaſſe, quos inter caecos Reges eſſe pueri didicerunt. Vide *Valer. Max.* lib. VI. c. V. & *Plutar.* in Bruto. SCHOT-TUS. *Ipſe quoque uni comitum ſuorum confodi-endum praebuit latus. Florus* lib. IV. cap. VII. ANNA.

CAPUT LXXXIII.

ARGUMENTUM.

In Syria Craſſi quaeſtor eſt, Oſacem ſuperat, Caryota cognominatur, Caeſarem oppugnat, civili bello Pompejum ſequitur, a Caeſare veniam accipit, conjurationis adverſus Caeſarem auctor eſt, ab Antonio vincitur, & Pandaro jugulum praebet C. Caſſius Longinus.

1 Cajus Caſſius Longinus Quaeſtor Craſſi in Syria fuit, poſt cujus
2 caedem, collectis reliquiis in Syriam rediit. Oſacem praefe-
3 ctum regium apud Orontem fluvium ſuperavit. Dein quod coëm-
4 tis Syriacis mercibus foediſſime negotiaretur, Caryota cognomi-
natus eſt. Tribunus plebis Caeſarem oppugnavit. Bello civili
5 Pompejum ſequutus claſſi praefuit. A Caeſare veniam accepit, tamen adverſus eum conjurationis auctor cum Bruto fuit, & in caede dubitanti cuidam, vel per me, inquit, feri; magnoque exercitu comparato, in Macedonia Bruto conjunctus in campis Philippiis ab Antonio victus, cum eandem fortunam Bruti putaret, qui Caeſarem

2 *Oſacem.*] Sic emendo de ingenio. *Oſaces* enim appellatur dux Parthorum inſignis, qui [*Paterculus* II. XLVI. vide & *Vulcatium Gallicanum* in Avidio Caſſio initio, *Paullum Oroſium* VII. cap. XIII.] Pacori, filii regis Orodis [Sic & *Florus* appellat de quo *Oroſ.* VI. cap. IV. *Appiano* Θραάζης. *Dioni* vero Ορώδης eſt. aliis Horodis Albanorum Rex] nomine &c. in Syriam exercitum ductavit. *Dio* lib. XL. *Juſtinus* XLII. *Plutarchus* & *Cicero* lib. V. ad Attic. Epiſt. XX. & lib. II. ad Famil. Epiſt. X. & Philippica II. In MSS. *Lyſacen* ſcriptum inveni & *Syſacen*: quem non agnoſco. SCHOTT. Quae parentheſibus incluſa ſunt, in addendis deleri juſſerat Vir Erud. ſed cum a ſequentibus Editoribus tamen recepta ſint, & hic exprimi ſum paſſus.

Orontem.] In Syria. ANNA.

Superavit.] An. U. C. 702. EAD.

3 *Syriacis.*] *Horatius* Od. lib. I. cap. XXXI.

- - - Dive & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce.

Fuere autem *Syri* mercatores. *Strabo*, *Mela* libro I. cap. XII. *Ezech.* XXVII. *Syrus negotiator tuus.* D. *Hieron.* Epiſt. ad Demetriadem *avidiſſimos mercedum Syros* vocat. Et *Salvianus* lib. IV. de Vera Judicio, *negotiatorum & Syrorum. Quam nihil aliud eſſe* ait, *quam meditationem doli & triturem mendacii.* SCHOTT.

Caryota.] *Varro* lib. II. de Re Ruſt. cap. I. extr. *Non ſcitis palmulas Caryotas Syria pareve in Judaea, in Italia non poſſe.* De Caryotis ſaepe *Plinius*, meminitque *Strabo* lib. XVII. Geogr. SCHOTT. *Caruota* ſeu *Caryota* proprie ſonat eum, qui Caryotis palmulis negotiatur, quarum palmularum mentio apud *Dioſcoridem* lib. I. cap. CXLIX. & *Aëtium* lib. II. cap. XXX. Nec non apud *Varronem* de Re Ruſt. lib. II. cap. I. & apud *Plinium* compluribus in locis. Simili ſcommate Vespaſianus ab Alexandrinis dictus eſt Κυβιοσάκτης, ut in ejus vita tradit *Suetonius* c. XIX. SYLB. Quippe cum in Syria tantum *caryotae* naſcantur, iis praecipue negotiabatur. ANNA. Et Vir ſtupendae lectionis *Salmaſius* ad *Solinum* p. 927.

5 *Vel per me, inquit, feri.*] Sic apud *Juſtinum* Gobrias Magum *medium amplexus, cunctantibus ſociis, ne ipſum pro Mago transfoderent, quia res obſcuro loco gerebatur, vel per ſuum corpus adigi Mago ferrum juſſit.* ANNA.

Cum eandem fortunam.] Brutus Auguſti, Antonius vero Caſſii caſtra devicerat, Caſſius autem cum *rapido impetu recipientes* ſe Bruti equites *videret: fugere arbitratus, transactum de partibus*

ratus,

rem vicerat, Pindaro liberto jugulum praebuit. Cujus morte audi- 6
ta, Antonius exclamasse dicitur, Vici.

ratus, uni de proximis auferendum praebuit caput. Vide *Flor.* lib. IV. cap. VII. EAD. Mox pro *Pandaro* melius *Pindaro* restituit *Vossius* ad *Vell. Paterc.* lib. II. cap. LXX. §. 2.

CAPUT LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Apud Mundum vincitur, Siciliam petit, mare obsidet, Italiam vexat, se Neptuni filium confitetur, pace facta cum Antonio & Caesare epulatur, rupto foedere victus in Asiam fugit & occiditur Sextus Pompejus.

Sextus Pompejus in Hispania apud Mundam victus, amisso fratre, 1
reliquiis exercitus collectis Siciliam petiit, ubi ruptis ergastulis mare obsedit. Interceptis commeatibus Italiam vexavit; & cum 2
mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est, eumque bobus auratis & equo placavit. Pace facta epulatus in navi cum Anto- 3
nio & Caesare non invenuste ait: Hae sunt meae Carinae, quia Romae in Carinis domum ejus Antonius tenebat. Rupto per eundem 4
Anto-

1 *Apud Mundam victus.*] *Flor.* lib. IV. cap. VII. ANNA.

Amisso fratre.] Cn. Pompejo, quem praelio profugum Caesonius apud Lauronem opidum consequutus, pugnantem interfecit. EAD.

Ruptis ergastulis.] *Flor.* lib. IV. cap. VIII. *Contractisque infelicis belli reliquiis, quum insuper ergastula armasset, Siciliam, Sardiniamque habebat. Jam & classe medium mare insederat.* EAD.

2 *Neptuni se filium.*] Unde & *Neptunius* ab *Horatio* dicitur per derisum. EAD. Et *Dacer.* ad *Horat.* Epod. IX. vers. 7: Quare crediderim nummum, quem Clar. *Havercampus* ad illustrandum *Josephum* adhibuit, quemque Vir harum rerum peritissimus de Cn. Pompejo exponit tab. I. num. 16. potius pertinere ad Sextum Pompejum, cum in illo & Tridens Neptuni & delphinus conspiciatur, & *Nasidius*, cujus nomen ab altera parte legitur, classi Sext. Pompeji praefuerit. ARNTZ.

Confessus est.] Id est, palam professus est. ANNA.

3 *Hae sunt meae Carinae.*] Hac lepida ambiguitate Antonio exprobravit cum ex proscriptione domum suam, quae in *Carinis* erat, possidere. Vide *Dionem.* EAD.

Carinis.] Ad Telluris aedem, in qua regione Pompejorum domus. *Suetonius* de Lenaeo Grammatico: *Docuit in Carinis ad Telluris, in qua regione*

Antonium foedere, Sextus ab Auguſto per Agrippam navali praelio victus in Aſiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occiſus eſt.

gione Pompejorum domus fuerat. Sic enim emendandum cenſeo. SCHOTT. Jocus Sexti Pompeji de carinis refertur etiam a *Vellejo* lib. II. cap. LXXVII. *Sueton.* in libro de Illuſtribus Grammaticis Pompejorum domum fuiſſe ſcribit in carinis ad aedem Telluris. SYLB. Carinae Regio Urbis Romanae inter lautiſſimas, unde *Virgilius*:

Lautis mugire carinis.

ANNA.

Rupto per eundem Antonium.] Antonius in hac pugna afuiſſe dicitur, & in Aſia non procul Lesbo adverſus Medos rem male geſſiſſe: quare ſuſpicor legendum, *eundem Pompejum*; nam ille latrociniis rurſus mare vexarat, nec pacem, quam acceperat, praeſtabat. Vide *Oroſium* VI. cap. XVIII. (legendum puto) *Continuo* inquit, *cum contra pactum Pompejus fugitivos adlegeret, & hoſtis habitus eſt.* SCHOTT. *Eutrop.* lib. VII. *Interim Pompejus pacem rupit: Et navali praelio victus, fugiens ad Aſiam, interfectus eſt.* ANNA. Potius exiſtimarim, *Antonium* a gloſſatoris manu interrepſiſſe, & *eundem* referendum ad Pompejum, neque tum quidquam debet offendere, quod ſequatur *Sextus*, cum tales conſtructiones novae non ſint. In prioribus Editionibus conjectura *Schotti* haec legebatur: *Rupto per eundem Pompejum foedere, ab Auguſto.* Sed contra mentem Viri optimi, qui tres ultimas voces expungi juſſerat in Add. Tamen vulgatas Edit. ſecutus eſt Doct. *Heſſelius* ad *Vibium* p. 75.

CAPUT LXXXV.

ARGUMENTUM.

In expeditionibus Julio Caeſari comes eſt, ei diadema imponere tentat, mortuo honores divinos decernit, Auguſtum perfidioſe tractat, ab illo victus in Galliam fugit, Brutum occidit, in gratiam cum Caeſare redit, triumvir proſcriptionis auctor eſt, Parthis bellum infert, ab illis & deinde ab Auguſto vincitur, & necem ſibi conſciſcit Marcus Antonius.

1 Marcus Antonius in omnibus expeditionibus Julio Caeſari comes, Lupercalibus diadema ei inponere tentavit, mortuo divinos hono-

1 *Lupercalibus.*] Hoc eſt, XV. Kal. Martii. SCHOTT. *Sueton.* cap. LXXIX. *Et Lupercalibus pro Roſtris a Conſule Antonio admotum ſaepius capiti ſuo diadema repulerit, atque in Capitolium Jovi Opt. Max. miſerit.* ANNA.

Inponere tentavit.] Et impoſuit unus e Lupercis Antonius. Caeſar vero in ſella repoſuit: quod invidioſum fuit, tamquam regnum affectaret, unde M. Aemilius Lepidus ſe avertiſſe dicitur, & diſplicere ſibi ſervitutem, moeſtitia vultus declaraſſe.

honores decrevit. Auguſtum perfidioſe tractavit, a quo apud Mutinam victus, Peruſii fame domitus, in Galliam fugit. Ibi Lepidum ſibi collegam adjunxit. Brutum, exercitu ejus corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiam regreſſus cum Caeſare in gratiam rediit. Triumvir factus proſcriptionem a Lucio Caeſare avunculo ſuo coepit. In Syriam miſſus bellum Parthis intulit, a quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Aegyptum perduxit; ibi Cleopatrae amore devinctus in Actiaco litore ab Auguſto victus eſt. In Alexandriam regreſſus, cum habitu regio in ſolio regali ſedisſet, necem ſibi conſcivit.

raſſe. Vide *Plutarchum* in Antonio, *Dionem*, *Appianum* & *Ciceronem* Philipp. II. III. & XIII. idemque Epiſtola quadam apud *Quinctilianum* lib. IX. cap. III. *Data Lupercalibus: quo die Antonius Caeſari.* Notat *Quinctilianus* apoſiopeſin eſſe & *Diadema impoſuit* exaudiendum. SCHOTT.

Mortuo.] *Sueton.* cap. LXXXIV. *Laudationis loco conſul Antonius per praeconem pronuntiavit ſenatus conſultum, quo omnia ei divina ſimul atque humana decreverat*, &c. ANNA.

2 *Auguſtum perfidioſe tractavit.*] *Lacerabat furtis haereditatem, ipſum infectabatur probris, cunctis artibus coeptationem Juliae gentis inhibere non deſinebat. Flor.* lib. IV. cap. IV. EAD.

Peruſii fame domitus.] Certe hic aliquid turbatum eſt, neque enim M. Antonius *Peruſii fame domitus*, ſed L. Antonius. EAD. Confundit praenomina duorum, quae ſupina negligentia in unum hominem confert. de victo M. Antonio, & fame domito Lucio ita *Lucan.* lib. I. verſ. 41.

His, Caeſar, Peruſina fames, Mutinaeque Labores
Accedant fatis.

Et *Vell. Paterc.* lib. II. cap. LXXIV.

In Galliam fugit.] Pendent a ſuperioribus, *apud Mutinam victus.* Idque ex hiſtoriae fide *Vellej.* lib. II. cap. LXXI. ANNA.

Ibi Lepidum ſibi collegam adjunxit.] Factum id a. d. III. Kal. Junii anno DCCX. U. C. quo nuntio accepto Octavianus Caeſar cauſſam Optimatum ſine cunctatione deſeruit. *Cicero* ad Famil. lib. X. Epiſt. XXIII. *Plutarchus* in Antonio. *Appian.* lib. III. & *Paterculus* libro poſteriori. Lepidus igitur pridie Kal. Quinctileis ſententiis omnibus hoſtis a ſenatu judicatus eſt, caeterique qui una cum illo a Republica defeceſſant. Quibus tamen ad ſanitatem redeundi, ante Kal. Septembris poteſtas facta fuit. *Cicero* ad Famil. lib. XII. Epiſt. X. ad Brutum Epiſtola XVI. & XIX. Dio. lib. XLVI. SCHOTT. Antonius fuga transgreſſus Alpes primo per colloquia repulſus a M. Lepido, qui Pontifex Maximus in C. Caeſaris locum furto creatus, decreta ſibi Hiſpania, adhuc in Gallia morabatur: mox ſaepius in conſpectum veniens militum, cum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat ſobrius, per averſa caſtrorum proruto vallo, militibus receptus eſt: qui titulo imperii cedebat Lepido, cum ſumma virium penes eum foret. ANNA.

Brutum.] Decimum Brutum Vellej. cap. LXIV. *D. Brutus deſertus primo a Planco, poſt etiam infidiis ejusdem petitus, paullatim relinquente eum exercitu, fugiens, in boſpitis cujusdam nobilis viri, nomine Cameli, domo ab iis, quos miſerat Antonius, jugulatus eſt.* EAD.

3 *Triumvir factus.*] An. U. C. 710. EAD.

4 *In Syriam miſſus bellum P.*] Ann. U. C. 717. Vide *Flor.* lib. IV. cap. X. EAD.

De quindecim legionibus.] Sedecim habet *L. Annaeus Florus* lib. IV. & in Syriam profugiſſe; alii in Ciliciam ad illum veniſſe Cleopatram referunt. SCHOTT.

In Actiaco littore.] Juxta Ambracium ſinum. ANNA.

Auguſto victus.] An. U. C. 722. EAD.

CAPUT LXXXVI.

ARGUMENTUM.

A Ptolemaeo fratre & marito pellitur, ad Caesarem venit, Ptolemaei regnum & necem ab eo impetrat, Antonio jungitur, cum eo vincitur, & aspidibus admotis perit Cleopatra regina.

1 Cleopatra Ptolemaei Regis Aegyptiorum filia, a fratre suo Ptolemaeo eodemque marito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad Caesarem bello civili in Alexandriam venit. ab eo specie sua &
2 concubitu, regnum Ptolemaei & necem inpetravit. Haec tantae libidinis fuit, ut saepe prostiterit; tantae pulcritudinis, ut multi
3 noctem illius morte emerint. Postea Antonio juncta, cum eo victa, cum se illi inferias ferre simularet in Mausoleo ejus, admotis aspidibus periit.

1 *A Fratre suo Ptolemaeo.*] Fuit hic Auletis filius, Aegypti rex XIII. ut puto; Cleopatra vero XIV. qua devicta Aegyptum in provinciae formam redegit Augustus. Notandum autem Junonem quandam fuisse Celopatram: quae regis & soror & conjux. *Dio* lib. XLII. de Caesare. *Brissonius* de Jure Connub. p. 5. Lacedaemone enim & Athenis dimidium licebat, Alexandriae totum. *Seneca* in Ἀποκολοκυνθώσει seu Ludo de Morte Claudii. Spartanis autem uterinam, id est, eadem matre natam sororem ducere licebat: Athenienfibus germanam, hoc est eodem patre natam. Alexandrinis vero & germanam, & uterinam. Auctor *Corn. Nepos* in praefatione & in Cimonis Vita (quae tamen loca interpretes male explicarunt) *Plutarch.* extrem. Themistocle. Vide *Alexandrum Ab Alex.* lib. II. cap. XXIV. & *Turnebum* lib. XIIX. Adversariorum. Pulcher exstat apud *Philonem Judaeum* libro de Specialibus Legib. initio super hac re locus, quem non pigebit illustrandae rei adscribere. Ὁ Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίοις ἐφαὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν: ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας. τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν, ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων, χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν, ὡς ἡμίεργα διαταττομένων, εὐφόρησεν εἰς ἀσέλγειαν. Porro de Cleopatra vide *Tertullianum* extremo libro ad Martyres, & Historicos Rom. omneis. Haec enim ut virgo Vestalis Ilia, seu Rea Silvia Historiam inchoavit, ita claudit. Prostratae libidinis & illiciti concubitus utraque poenas dedit: haec veneno, illa humi viva defossa. Hic igitur omnis Historiae fructus est uberrimus, ut aliorum exemplis admoniti, ab his potissimum vitiis declinemus per quae regna saepenumero mutantur, & provinciae (quod velimus, nolimus, pro dolor, cernimus) in alium statum, conditionem, adeoque & religionem demigrant. SCHOTT. Sic Ptolemaei & soror & conjux fuit Berenice. *Hygin.* lib. II. *Theocrit.* Hym. in Ptolem. de ea.

Ἐκ θυμοῦ στέργοισα κασίγνητόν τε πόσιντε.
Ex animo diligens fratremque virumque.

Id est, Ptolemaeum. Et illud sane Regibus Aegypti familiare. ANNA.

Ad Caesarem bello civili.] An. U. C. 706. EAD.

3 *Cum eo victa.*] Ad Actium, supra. EAD.

In Mausoleo ejus.] *Florus* lib. IV. cap. XI. *Incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se, sepulcra Regum sic vocant, recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium, admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est.* EAD. De genere hujus mortis conferatur *Bochartus* part. II. Hier. lib. III. cap. I. Cl. *Drakenb.* ad *Silium* lib. II. vers. 417. & Gemma apud *Augustin.* In Gemm. part. I. num. 78.

SEXTUS